UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Scientia Salvtis, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam Spiritualis Vitæ Materiam complectens

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

urn:nbn:de:hbz:466:1-59837

Visual Library

Th
466

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

L. I Th. 4466

18.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SCIENTIA SALVTIS.
Dominus illuminatio mea,
et Salus mea. Psalm. 26.
B. Kilian sc.
Eddin

# SCIENTIA SALVTIS,

*SIVE*

# CONSIDERATIONES PIÆ,

*Præcipuam Spiritualis Vitæ Materiam complectentes,*

EX ASCETICIS LIBRIS EXCERPTÆ, ET PER SINGULAS ANNI DIES, ATQUE FESTIVITATES DISTRIBVTAE.

AR. P. SAMVELE LABERHITTEL
Societ. JESU.

Altera editio correctior.

*Cum consensu Superiorum.*

INGOLSTADII,
TYPIS JOANNIS OSTERMAYR.
*Anno M. DC. LX.*

Collegii Soc^tis JESU Paderborn.
Anno 1699

# APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS.

EGo infrà scriptus Societatis IESV, per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis, potestate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre N. GOSWINO NICKEL, ejusdem Societatis IESV Præposito Generali, typis mandari permitto Librum, cui Titulus est: Scientia Salutis, seu Considerationes piæ in singulas anni dies, atq; festivitates distributæ; à P. Samuele Laberhittel, Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, & à deputatis ad id Theologis lectum & approbatum. In cujus Fidem has Litteras manu propriâ subscriptas, consuetóque officij Sigillo munitas dedi. Pragæ, 1658. Die 2. Septembris.

JOANNES Possmurnius, idem, qui suprà.

# PRIMO PRINCIPIO

## VERITATES AETERNAS.

Cœlestem Politiã Mõarchę Cœlorũ,
Evangelica præcepta Legislatori,
Consilia magno Consiliario,
Minas tremendo Iudici,
Paradoxa & ænigmata Abscondito
Adagia, gnomas & Parabolas sapiẽtię
Eloquia Domini dulcia Dilecto,
Ineffabilia Verbo,
Oracula Deo,
Miracula Omnipotenti,
Acta Theandrica Numini Incarnato
Regnum virtutum earundem Regi,
In acceptis gratè referre vellem
Nunquam tantum, quin amplius,
Amplius quàm fontibus aquas,
Pondus Centro,
Ignem Sphæris, radios Soli,
Cœlos omnes primo mobili.
Vos veri rectíque Arbitri

Legis Specula, virtutum Consulti
Cœli Municipes, Dei Imagines,
Felices Animæ occasûs nesciæ,
Beati Spiritus,
Adeste comites, animate palpitantẽ,
Sed tu ante alios, Diva,
Vnicè Deo proxima semper
Aureliana vota excipe.
(a) *Quæcunque scripsi de tuo, Deus,*
*Agnoscant & tui,*
*Si qua de meo,*
*Et tu ignosce & tui.*
En vota calentia;
Accipe & porrige Nato attrectãda!
Si fervente in Sole colorantur,
Qui alia licet de causa perambulãt,
Agente Te Matre
Qui defert, quod debet filio
Neque *Gloriam* mendicat, sed *Gratiam* aspicit.

(a) *S. August. lib. 15. de Trinit.*

PROLO-

# PROLOQVIVM
## AD LECTOREM
### De argumento libri & oratione mentali.

*Um omnis homo scire appetat, en scientiam, non* mundi, *quæ* (a) odit DEVM; *non* earnis, (b) *quam* DEVS odit; *non* literarum, *quæ bona quidem, sed* propriæ infirmitatis *melior, quòd ignorantia sui progignat superbiam malorum magistram. Sed* Scientiam Charitatis, *optimam omnium Salutis Sanctitatisque* Universitatem, (c) Quicunque *enim* DEVM amat, sapit. *Ex adverso* (d) Scientia sine Charitate dementia est. *Hujus* (e) duæ sunt demonstrationes, Brevitas tribulationis, Æternitas retributionis.

(a) *Ioann. 7. v. 7.* (b) *Apocal. 2. 6.*
(c) *D. Laur. Iustin de Charit. Dei c. 6.*
(d) *D. Chrysost. hom. 20. in Epist. ad Corint.*
(e) *D. Bernard. serm 12. in Psal. 99.*

*Quisquis igitur* honestate *duci assolet, huic se dedat scientiæ, sanctitate nil sublimiùs.* (a) *Quòd si* nihil ambitio invenit difficile, *sanctitas inveniat? Quisquis movetur ab* utili, *hanc amplectatur scientiam, minimus amoris* DEI *actus* DEVM valet. *Quisquis trahitur à* dulci, *in hac se scientia exerceat,* (c) Meditatio DEI dulcis est. *Quemcunque finis, & propria* Beatitas *allicit, hic à bonis creatis aversus proposito sibi majore, unicóque* Bono *infinito, in eodem cognoscendo & amando tantùm occupetur. Ideo enim Beatus est* DEVS, *quia se scit & amat. Quòd si à* necessario *excitamenta requirantur,* Modúsque *his operam navandi literis desideretur,* edocebunt *sequentes Paragraphi.*

(a) *Petrus Blesens. Epist.* 19.
(b) *D. Augustin. in Manual. cap.* 13.

## §. I.

## DE ORATIONIS MENTALIS NECESSITATE.

VNiversum quod inter nos & dæmones conflatur bellum, non esse alia de re, quàm de Oratione nobis perneceſſaria, dæmonibus maximoperè odioſa, asserunt (*a*) unanimiter Ascetæ; propterea, quòd dæmon animæ, cui unicè invidet, nocere priùs non valeat, quàm ipsa sit perversa; nisi enim videat mentem ad infusiones suas inclinatam, non potest in cor illius de proprio, quod habet, malo immittere; cùm in eum tantùm, qui gratiæ conscientiæq; dictamine abutitur, accipiat permittente DEO jus, ut voluntatem ejusmodi pertentet, vitiet, nec unquam satis defœdet. (*b*) *Non enim seducit ille, vel trahit aliquem, nisi quem invenerit ex aliqua parte jam similem sibi: invenit enim eum aliquid cupientem, & cupiditas aperit januam intranti suggestioni diaboli, vel invenit eum aliquid timentem, & monet, ut fugiat, quod illum invenit timere. Et per has duas portas cupiditatis & timoris intrat: claude illas, & imple illud Apostoli: Nolite locum diabolo.* Et verò anima, ne infusio-

(a) *Biblioth: PP. tom. 3. c. 44. & 47. de Orat:*

(b) *Aug ser. 20. de div.*

nibus satanæ aditum præbeat, id per custodiam affectuum, & cogitationum assequaquatur, è quibus sive mali, sive boni omnis origo dimanat; (a) *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs*, id est, *à cogitationibus*, D. Hieronymo interprete: cogitationum autem, affectuúmque discretionẽ oratione mentali obtineri, indubitatum est: igitur in promptu est, infallibilem puritatis obtinendæ, conservandæque regulam sic ab usu sacræ Meditationis procedere, ut priùs nobis imponere immundus satan nequaquam possit, donec ab exercitio meditationis nos abstrahat. A cujus neglectu principium Apostasiæ sumpserunt desertores Angeli, eámq; continuárunt incolæ non solùm Paradisi voluptatis, sed etiam religionis: à qua, quotquot defecerunt Judæ posteri, ex meditationis neglectu ad vomitum, & volutabrum defecerunt; canibus, suibúsque lutulentiores, totúsque adeò mundus in maligno, imò totus infernus non alijs repletus est, quàm erronibus, & ignorãtibus, imprudentibus, & impudentibus, temerarijs, & insensatis, verbo, desertoribus (ita suadente satana) meditationis: præceps quippe temeritas (QVI LEGIT, INTELLIGAT) abduxit mentem, ne circa suggesta mala adhiberent seriam considerationem; inconsideratio fecit, ut invalesceret

(a) *Psal.* 44.

delecta-

delectatio; quam cùm ratio prohiberet, oppressit hanc malæ voluntatis sub apparente bono consensus; quem cùm accusaret conscientia, & status, Deúmque offensum minaretur, contempsit hanc, & illum impudentia. Omne igitur malũ ex appetitione boni falsi, & ignoratione veri boni, hæc verò ex inconsideratione, hæc denique ex oratione mentali neglecta originem ducit. Vnde cœlum spoliatur habitatoribus, terra inundat scelere, infernus repletur damnatis. (a) *Adam non orat in horto, & præponit sensualitatem præcepto*, notat Rupertus Abbas; & Origenes de Jobo ait: *Quem cùm prostratum videret diabolus, gavisus est: cùm autem orantem atque adorantem audivit, obstupuit atque expavit.* Adeò verum illud D. Augustini: (b) *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Equidem in confesso est, tutiora salutis consectantem professioni suæ satisfacere non posse, nisi peccata devitet, vitiorum radices evellat, malis cogitationibus aditum præcludat, affectus ordinet, judiciũ, & propriam voluntatem abneget, Christo Domino mentem subijciat, sensus utrósque colligat, tentationes superet, animum ad bonum roboret, rectificet intentionem, opera expoliat, perficiat virtutes, adversa libenter sustineat, in

(a) *Lib. 3. in Genes.* (b) *Hom. 4. ex 50.*

pace, conscientiæque tranquillitate vivat, Dei sanctitatem imitetur, proximos ad omnem profectum juvare curet, cum devotione, discretionéque spirituum operetur omnia: (a) *cui enim præsto non sunt hæc, cæcus est, & manu tentans.* Atqui hæc ipsa sine oratione mentali nemo habere potest: cùm hactenus enumeratæ actiones sint mentalis orationis effectus: oratio enim mentalis in *cogitationem, meditationem, contemplationémq;* dividitur. Sed *cogitatio* est improvisa ac momentanea Dei, aut rerum ad eum pertinentium consideratio, ad bonum affectum excitandum ordinata: cujus fructus sunt, malis cogitationibus aditum præcludere, plurima peccata vitare, Christo Domino mentem subijcere, animum ad bonum roborare, ad meditationem præparare. Atqui *meditatio* est attenta, ac solicita mentis considerario, cunctanter procedens, & rei cujusque naturam, proprietates, & actiones, utiliter inquirens, ut cultum Deo exhibeat, affectus moveat, orationes puras, ferventésque depromat, & vitæ nostræ emendationem, ac salubrem mutationem adferat: cujus fructus sunt Veritatum æternarum agnitio, odium vitiorum, regni virtutum amor, vitæ reformatio, devotio, & discretio, juxta illud D.

(a) 1. *Petr.* 2.

Bernardi:

Bernardi: (*b*) *Meditatione pericula agnoscimus, oratione evadimus.* Atqui *contemplatio* est perspicax intuitus DEI, rerûmque cœlestium, veritatem sine discursu simpliciter inspiciens, beneficio Sapientiæ, Spiritûs sancti dono, & ex amore procedens, atque in amorem desinens, cujus fructus sunt duodecim actiones, paulò antè enumeratæ. Unde deinceps evincitur (verbis utor D. Chrysostomi, (*a*) quibus à fortiori pro meditationis studio concluditur.) *Quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vitâ carens, expérsque sanæ mentis: nam hoc ipsum evidentissimum signum est amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quòd animæ mors sit, non provolvi ad DEI genua.*

Sapientissimè igitur hoc commentandi exercitio Christus cum Discipulis noctes insomnes in deserto & montibus duxit, & B. Virgo MARIA apud Beatum Lucam in corde suo conferebat, quæ à Christo, vel de Christo dicta audierat. Hoc S. Joannes Baptista omne vitæ tempus in eremo, ac post eum innumeri Anachoretæ sine fastidio traduxerunt: hoc deniq; usi sunt Sãcti omnes,

(b) *Sermon. de S. Andrea.*

(a) *Lib. 1. de orando Deo.*

& quot-

& quotquot salutis suæ fuerunt amantiores.

Duplicem hîc suboriri video difficultatem, alteram ex potentia applicante, alteram ex applicata: illa est voluntas, hæc est memoria, intellectus, imaginatio, sensusque reliqui cum toto corpore, præsertim non bene constituto, quæ omnia totâ mole, contra meditationem nituntur: quòd intellectus sensibilibus, naturalibusque & claris veritatibus assuetus, fidei veritatibus, utpote spiritualibus, abstractis & obscuris non afficiatur, multóque minùs phantasia, & omnium minimè sensus reliqui, affectusque inferiores: à quibus cùm moveatur imaginatio, & ab ea intellectus, & deinceps voluntas, hinc illa à meditando alienatio. Cui malo à peritis meditandi modus hic præscribitur.

## §. 2. *De modo meditandi, ac præparatione triplici.*

MEntalis Oratio, qua parte donum DEI est, cor ab omni alieno affectu vacuum requirit; qua parte verò arduum & difficile negotium est, & à dæmone infestari solitum, totum conatum, vitésque omnes postulat, Itaque præmittenda erit triplex præparatio.

Remota in conservatione vitæ immaculatæ, & ab omni vilitate depuratæ, qualem habere nitimur acturi cum Regibus.

Propin-

Propinqua delectu materiæ, ad purgativam, vel illuminativam, vel unitivam spectantis, prout quis opus habuerit: vel ex lectione sacræ Scripturæ, inhærendo sensui literali, morali, allegorico ad Christum & Ecclesiam spectante, anagogico, cœlum & cœlestia respiciente: vel inhærendo vitæ Christi, Sanctorumque, aliquam inde virtutem eliciendo, incitamenta prō ea quærendo, cogitata in summam colligendo, affectus meditationi aptos, sive lectione piâ, sive orationibus jaculatorijs comparando, insequentem diem huic, illive virtuti decernendo: cujus præparationis omissio ob quascunque occupationes à malo est, sub specie boni fallente, dum bonum præparationis minori bono occupationis posthabere suadet: præterquam, quòd propriam confidentiam arguat præparationis neglectus omnis, & vitiatam plerumque intentionem ex amore inordinato occupationis impertinentis.

Præparatio proxima est collectio suimet immediatè ante meditationem, necessaria etiam exercitatis in oratione, adeò, ut præstet tantillum spatij de meditatione detrahere, vel quasi meditationi computare, datum ad illam collectionē sui, ne unquam repente irrumpatur in meditationem, ne vel latiùs, vel incertùm, vel interruptè vagetur

coram

coram Deo mens, néve accedat quisquam ut orandus, sed ut oraturus humiliter, cupidè, reverenter, ut Christus Deum oravit in horto. Reverentiam excitat agnitio magnitudinis Dei, & nostræ exiguitatis, quæ illi collata minor est infinities, quàm stella respectu firmamenti, gutta respectu maris, atomus respectu universi orbis. Auget reverentiam præsentia Dei, quæ optimè fit per actum fidei: Ipsa verò reverentia, timore & amore Dei sociata, excitat ad orationem internam & externam Dei Itaque formatâ per fidem præsentiâ Dei, adorabo humillimè Sanctissimam Trinitatem ad eum modum, quo Regem adituri tergeniculantur. Orabo Patrem æternum, ut me oraturum audiat, & adjuvet; Filium, ut me doceat orare; Spiritum sanctum, ut oret in me nesciente orare, sicut oportet, & clamet mecum, & pro me: Abba, Pater. Dicam potentijs meis cum Davide: Venite, adoremus, & procidamus ante Deum. Sequitur Oratio pręparatoria, quæ semper eadem manet, quâ petimus à Domino gratiam, ut vires atque operationes nostræ, omnes sincerè ad ejus gloriam & cultum tendant. Unde tria orationis arcentur impedimenta: Indignitas orantis, minùs recta intentio, infirmitas, & ignorantia,

## §. 3. De triplici præludio.

AD minuendam difficultatem cum DEO, qui Spiritus est, agendi de rebus spiritûs, præmittuntur præludia, quæ pro diversitate rerum sunt diversa. Primum præludiũ est historiæ, de qua meditaturus sum, repræsentatio, per unum Pater, & Ave.

Secundum præludium est loci constitutio imaginaria, ubi historia contigit: quod si materia non sit historica, fingendus est breviter locus, vel aliquid ex re meditãda, quod sub sensum cadit, unde imaginatio suaviter alligata evagari non sinatur: & cùm per eam affectus sensitivi excitentur, nascetur hinc sensibilis devotio.

Præludium tertium est petitio luminis ad agnoscendum, quod considerarè proposui, & gratiæ ad obtinendum, quod bonum intellexero, vel effugiendum malum.

## §. 4. De tribus, quæ ad ipsam meditationem requiruntur.

CVm meditatio sit rerum Fidei attenta & humilis investigatio, ut ejus beneficio moveamur ad fugam malorum, prosecutionem bonorum, debet abesse curiositas, suavitatum cupiditas, ostentationis vanitas, & mera, quâ tempus insumatur, consuetudo: adesse verò debet voluntas Deum colendi,

cor

cor emundandi, auxilia contra hostilitates pro laboribus, & doloribus sufferendis è cœlo impetrandi, Deóque nos conformandi & uniendi, & denique agnoscendi, quid vitandum, quídve præstandum, credendum, sperandum, & amandum sit: ideo in meditatione requiruntur tria. 1. Veritatis expositio, ejus finis, & probatio. 2. Media ad eam obtinendam. 3. Praxis utendi medijs. Ad quæ obtinenda dividitur Meditatio in puncta, & colloquia.

## §. 5. *De Punctis in meditatione.*

PUnctum quodvis tria habet. 1. Intelligere veritatem propositam, & ratione solida intellectu convicto voluntatem ad eam amplectendam movere, mediáque inquirere, ad obtinendum finem per eam veritatem intentum. Veritates sunt eæ cognitiones, quibus notitiam Dei, & nostri, rerum verò cæterarum propter eandem Dei & nostri notitiam comparamus; quæ semper erunt praxi servientes: Nam ideo Deum agnoscimus, ut ex ejus notitia ad ejus amorem, timorem, obedientiam moveamur: Nos verò ideo cognoscimus, ut ex perceptione vilitatis, & nihili nostri humiliemur, & propter dona Dei in nobis, eorum largitori ad gratias referendas excitemur. 2. Exami-

nare

nare se, quomodo agnitam veritatem exercuerit, & quomodo eam posthac exercere possit. 3. Propositum facere, eam deinceps exercendi. Seu breviùs, in quovis puncto meditationis memoria per primam mentis operationem apprehendit historiam, vel Evangelicam veritatem. Deinde per secundam mentis operationem judicat hanc esse veritatem de Fide divina, unde intellectus per discursum deducit conclusiones supernaturales practicas, voluntatique proponit amplectendas.

## §. 6. *Quomodo quis historiam meditetur.*

ET hoc est illud, quod dicitur in meditatione historiæ, ut considerata persona, ejus nobilitate, educatione, ætate, forma, &c. Verbis, vel silentio, &c. Actionibus, actionis natura, modo, circumstantijs, &c. Fine se superandi, virtutem accipiendi, proximo prælucendi, Dei honorem promovendi, satisfaciendi, Dei gratiam impetrandi, &c. Affectibus, cõsolatione, vel desolatione, &c. Effectibus bonis sibi, & alijs, adjunctisque præterea reflexionibus circa historiam earum rerum, quæ probabiliter accidere poterant; tandem deveniat ad materiam non historicam, qualis est virtus ex historia deduct

ducta, cujus considerata honestate, communi & propria, utilitate in anima & corpore, facilitate, propter auxilia è cœlo, & exempla, necessitate inevitabili, amotisque impedimentis; ad extremum (quòd omnis de virtute intellectio ad agendum referatur) judicet practicè, quàm sibi ea virtus conveniat, quantùm absit ab ejus perfectione, quàm conniti debeat ad eam obtinendam, comparando personas personis: verba verbis, opera operibus, finem fini, affectus affectibus, effectus effectibus, ut graviora, duriora perferat nullâ suâ culpâ, sponte, ad exemplum mihi, ad gloriam Dei. Signum, efficaciter hæc voluntati proposita fuisse, est: si ipsa valde desideret, si indigentiam, & impotentiam suam advertat, si in Deo confidens petat, & instet pro eadem virtute obtinenda, luvabitur confidentia duobus: beneficiorum commemoratione, & puritate animæ, labis non conscia, unicámque Dei gloriam expetentis.

## §. 7. *Quomodo excitandi affectus.*

*augendi eos modi septem.*

SEquitur affectus ex permota voluntate, & ex affectu interno colloquium optimum. Affectus excitantur à suis objectis. Amor ex agnitione boni: Desiderium ex absentia

sentia boni: Spes ex promisso bono: Audacia ex necessitate urgente: Gaudium ex præsentia boni: Ira in bonum impedientem: Timor boni perdendi: Odium contra officientem bono: Fuga similiter.

Affectus augentur. 1. Per propositiones conditionatas, quid Christus, vel Sancti facerent, si in statu meo essent: Quid ego, si personam eorum subirem, ratiocinando, urgendóque, quantò magis me id nunc deceat.

2. Amando id, circa quod meditor: amor enim semper novos affectus invenit, quia est fons affectuum, restituitque ad eum modum orantem, quo funambuli in funiculo tenui quantumcunque titubantes ad rectitudinem se reducunt. Et occurrentibus quibusvis distrahentibus, leonibus, bobus, lupis & agnis, parvulus amor Dei minabit eos.

3. Augentur affectus ex majori agnitione virtutis, eiusque pulchritudine, necessitate, utilitate in hac, altera vita, delectatione, honore coram Deo & Angelis, & mundo, displicentia coram Dæmone, eiúsque asseclis, ex penetratione consiliorum, exemplíque Christi, ac Sanctorum. Similiter augentur affectus odij contra vitium ex agnita ejus turpitudine, tametsi non esset vetitum; ex ejus fugiendi necessitate, ex utilitate perẽni, amaritu-

amaritudine verò etiam in hac vita, nisi fugiatur, ex dedecore coram cœlo & terra, ex displicentia, & odio, quo feruntur in vitia Sancti, & Angeli, & Deus; ex voluptate, quam dæmon inde habet, & damnati nobis invidentes, ex consilio exemplóque Christi & Sanctorum.

4. Augentur per viam. 1. purgatiuam, ad quam spectat odium dissonans malo, & elicitur corde, ore, opere, de omni actu mali, ejusque causa, dispositione proxima, propinqua, & remota, crescentibus odijs super omnia mala fortunæ, corporis, animi, vitæ, temporalia, æterna, cum odijs Sanctorum Viatorum, Comprehensorum, Angelorum, Beatissimæ Virginis, Domini JESV, & DEI. Et quia odium in aversione situm est, qui seriò odit malum culpæ, in plura abibit suspiria, quàm Mater Augustini, Manasses, Petrus, Magdalena, &c. Odium sequitur fuga discessus à malo: Solicitudo, quæ cogitat id malum declinare: Angor, qui premit: Timor, qui metuit: Terror, qui concutit: Fortitudo, quæ instat: Pavor, qui mentem loco movet: Dolor, qui cruciat: Tristitia, quæ est de malo præsente: Spes, motus in bonum arduum comparabile: Audacia in malum arduum: ingens Desiderium mortificandi, radices vitij, & resecandi. 2. Per viam illumi-

nativam

nativam augentur affectus amoris erga virtutem, omnémque actum virtuosum, & causam, & dispositiones proximas, propinquas, remotas, super omnia bona fortunæ, corporis, animi, vitæ, tẽporalia, & æterna. amoribus Sanctorum, &c. Huc spectant desiderium, spes, gaudium, sancta quædam tristitia, quòd Christum, non sicut oportet, imiter, &c. 3. Per viam unitivam augentur affectus amoris de Deo, ejusque attributis vehemẽti desiderio, ut Deus agnoscatur ampliùs, & ametur ubique amore complacentiæ, benevolentiæ, obedientiæ, corde, mente, animâ, viribus, virtute, ex toto. Hinc fervor, languor, suspiria ardentia, importunitas, gaudium, liquefactio, unio, zelus, extasis, quæ est positio volũtatis, & intellectûs extra suam ordinationem; raptus, qui superaddit violentiam, amor, & gaudium de Christo Domino, bonísque ejus, & quæ in nos redundant, ferventissima ejus imitandi appetitio, reliquíque affectus bene multi in meditationibus, 165. 166. 167. & 348. usque ad 356. & 400.

Augentur affectus 5. si ordine alphabeti teneantur memoriâ, verbi causâ affect' Æstimationis, Affirmationis, Admirationis de divinis perfectionibus, proprijs imperfectionibus, pulchritudine virtutis, turpitudine

vitij,

vitij, magnitudine præmiorum, gravitate pœnarum, æternitate utriusque, per actus Fidei ad imitationem Psalmi 135. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus. Benedictionis cum tribus pueris in fornace Babylonica. Communicationis secum, cum Deo, Sanctis, quidnam agendum, per modum dialogismi. Confessionis reatûs proprij. Confortationis ad fervorem, ad agenda & perpetienda ardua. Detestationis lapsûs, & causarum ejus. Dubitationis de evadendis ijs, obtinendis contrarijs. Exhortationis sui ipsius ad strenuè agendum. Fiduciæ in Deo propter bonitatem, promissa, Filij Dei merita. Gratitudinis triplicis, agnitione beneficij, gratiarú actione, compensatione: Odiique ingratitudinis, quæ nec compensat, nec gratias agit, nec agnoscit beneficium. Humiliationis sui, quàm nihil possit, quàm nihil sit, quàm malus sit, & quàm hoc nesciat. Invitationis Dei, Angelorum, & Sanctorum, ne sui obliviscantur. Laudationis, nominando Dei attributa, & Sanctorum acta, & Passionem, Minitationis sibi ipsi à Deo, à se, ab Angelo. Narrationis, quæ pro Deo fecerit, tulerit, voluerit. Negationis virium propriarum, meriti sui, vel reatûs sui tanti. Oblationis sui totius; Obsecrationis, instando per immensum

mensum amorem DEI, &c. Petitionis, ut exaudiat, ut succurrat, ut illuminet, &c. Propositi in futurum. Provocationis diaboli, mundi, per conditionatas propositiones. Prosopopœjæ reprehendentis, adhortantis, promittentis Dei, vel alicujus Sancti, dolentis meam socordiam, vel diaboli exultantis, aut exulcerati, vel inducendo virtutes loquentes, exemplo D. Augustini. Querelæ Dei, vel apud Deum. Reprehensionis suimet, vel Satanæ. Solicitationis, instando apud Deum, ut festinet. Taxationis, statuendo in se pœnam, nisi deinceps caverit. Victoriæ sui hodie, in hac re, toties. Zeli, pro gloria Dei, salute proximi, omnia exemplo Christi, Sanctorúmque.

Augentur affectus 6. Si per totum Rosarium unius virtutis actus diversi eliciantur. Est hic modus admodum efficax ad virtutem aliquam solidè, atque integrè animæ insculpendam. Si verbi causâ in prima decade vitia virtuti illi opposita detester, in secunda actus illius virtutis eliciam, in tertia actus heroicos ejusdem virtutis, &c.

Augentur affectus 7. Si manente eodem formali objecto virtutis mutetur ejus materiale, ut, placet abstinentia in cibo, placet in potu, placet in somno, &c.

## §. 8. *De colloquijs, quomodo fiant, & augeantur.*

SEquuntur colloquia. Habet colloquium tria 1. Gratiarum actionem, vel pro lumine, vel pro Dei circa me patientia, quomodo gratias agebant Sancti, præsertim Christus Dominus 2. habet oblationem propositi facti, cum cineribus Sanctorum, incenso Angelorum, meritis Christi 3. habet petitionem gratiæ. Argumenta petitionis sunt: 1 Propria miseria. 2 Humilis commemoratio obsequiorum DEO præstitorum. 3. Intercessio Sanctorum. 4. Meritu Christi, in quo summè sibi complacet Deus Pater, éstque ipsi gratus, & acceptus infinitè cujus actiones valent apud Deum infinitè quia est Persona infinitè digna, per quam habemus satisfactionem sine fine 5. Deus ipse propter gloriam sui nominis; debet autem rogari ætetna pro ipso homine petente in Fide, Spe, Charitate, perseveranter, & piè. Hinc causæ non impetratæ petitionis sunt, vel quia peccatores in flagitiis hæremus, vel quia salutaria non petimus vel non ferventer, non constanter, non bona intentione, sed imperiosè, superbè, sed sine resignatione, sine misericordia erga supplices nostros postulamus, quibus absentibus à Domino non audimur ad votum, exaudimur

dimur ad meritum, si non impetramus ad voluntatem, certè obtinemus ad salutem.

Colloquia fiunt ad Sanctos, Conjugatos, Viduas, Virgines, Confessores, Martyres, Apostolos, qui rogandi sunt per beneficia à Deo accepta, quæ referuntur Med: 47. Ad Angelos perfectos in exequendo: Archangelos perfectos in præscribendis medijs: Principatus perfectos in gubernando: Potestates perfectos in spirituali fortitudine: Virtutes, perfectos in miraculis: Dominationes, perfectos in electione summi boni: Thronos perfectè addictos voluntati DEI: Cherubim, perfectos in claritate & notitia divinorum mysteriorum: Seraphin, perfectos in charitate, & ardenti amore Dei, amicitiáque plenos, qui rogandi sunt per beneficia à Deo accepta, quæ referuntur Medit: 44.

Ad Beatissimam Virginem, quæ roganda est per beneficia à Deo accepta, quæ referuntur Medit. 339. per Virtutes, &c.

Ad Christum Dominum fontem luminum, & gratiæ, defensorem, promotorem, spectatorem, Doctorem Virtutis, causam ejus efficientem, meritoriam, exemplarem, finalem, qui seipsum proposuit mercedem magnam nimis, qui rogandus est per beneficia specialia à Deo accepta, & referuntur Medit: 158. Per prodigia in Incarnatione, &c.

In Venerabili, &c. Per virtutes Christi, abstinentiam, beatitudines, beneficentiam, benignitatem, charitatem in Deum, & homines, Castitatem, Circumspectionem, Clementiam, Constantiam, Contemptum sæculi, Discretionem perfectiora eligendo, Docilitatem, Fiduciam, Fortitudinem, Fructus Spiritûs sancti, & Dona, Gratitudinem, Humilitatem, Justitiam, Liberalitatem, Longanimitatem, Macerationem, Magnanimitatem, Mansuetudinem, Misericordiam, Modestiam, Mortificationem, Obedientiam, Observantiam, Pacem, Patientiam, Paupertatem, Pœnitentiam, Perseverantiam, Prudentiam, Pudicitiam, Puritatem cordis, Religionem, Spem, Severitatem, Simplicitatem, Sobrietatem, Solicitudinem, Studiositatem, Taciturnitatem, Temperantiam, Timorem Domini, Veracitatem, Virginitatem, Zelum, ex quibus virtutibus scala Jacob fieri posset ad Deum,

Augentur colloquia ad Deum ipsum omnis boni originem, cujus ego sum infinitus debitor, ejus infinitis attributis præsentabo abyssos nihili mei, ac miseriarum. Attributa Dei in ordinem Alphabeti ita redacta sunt.

Est Deus à se, Adjutor, Affabilis, Altissimus, Amabilis, Amãs omne bonum; Amor, Artifex omnium, Æternus.

Beatus, Beneficus, Bene omnia facit, Benignus, Bonus.

Clemens, Conservator, Consiliarius, Consolator, Cõtentus modico, Creator, Custos.

Deus Pater, dat quantum quisque capax est, Desiderabilis, Dives, Dominus, Donum, Dulcis.

Excelsus, Excellentissimus.

Deus Filius, Fidelis, Firmamentum, Fortitudo.

Gloria nostra, Glorificator, Gubernator.

Ineffabilis, Incomparabilis, Incomprehensibilis, Infinitus, Immensus, Immortalis, Invisibilis, Judex, Justificans, Justus.

Legislator, Liberalis, Longanimis, Loquens justitiam, Lux sine caligine.

Magnificus, Merces, Misericors.

Nobilissimus.

Odiens omne malum, Omnipotens.

Pater simpliciter, Pater noster, Pater futuri sæculi, Patiens, Pax nostra, Pulcher, Perfectissimus, Providẽtissimus, Protector, Pius, Prædestinator, Perseverantiæ dator, Puniens semel tantùm, nec unum propter alium.

Redemptor, Rectus, Refugium nostrum, Revelans profunda.

Deus Spiritus sanctus, Salus, Sanctus, Sapiens, Spiritus, Simplicissimus, Spes nostra, Suavis, Susceptor, Suscitator, scit quantum ab unoquoque petat.

SS. TRINITAS unus DEVS, Terribilis. Verbum, Verax, Verus, Videt nõ oculum, & personam, sed cor; Vita, Vnus, Vocans, Ultor, Ultimus finis omnium.

Zelans. His attributis propriæ miseriæ abyssi per antithesim subijci possunt, ut Adjutori egestas mea, Affabili mea protervia. Altissimo demissio mea substernitur, &c.

Colloquium ultimum ad personas SS. TRINITATIS, quibus denuo adoratis, actisq; gratijs pro audientia, luminibus, &c. Petam humillimè à Patre, fõte omnis boni, ut memoriam meam impleat donis datis, addito Pater, & Ave. Ad Verbum, ut intellectum meum lumine veritatis, inspirationibusque suis illustret, addito: Anima Christi, &c. Ad Spiritum Sanctum, ut voluntatem meam ad se flectat, & inflammet, & stabiliat in amore suo, addito: Veni sancte Spiritus, &c. denique ad B. Virginem, ut ipsa suppleat defectus meos, addito: Sub tuum præsidium, &c. vel: Defende quæsumus, &c.

Summopere in eliciendis affectibus notandum est, ut nullo modo violenter, sed suaviter, plenâ tamen voluntate, licet insensibiliter, eliciantur; ut solet amicus loqui cum amico præsertim dilecto, ubi occupantur omnes potentiæ, sensusque interni, nec fatigantur.

§. 9. *Di*

## §. 9. *De repetitione triplici, & quadruplici sensuum applicatione.*

REpetitio ejusdem meditationis utilissima, quò Veritas magis penetretur, & intellectu antè persuaso affectus vehementior suboriatur. Fit repetitio vel inhæsione illi parti, ubi major illustratio fuit, vel ubi aridatem experti sumus, vel per applicationem sensuum.

Est applicatio sensuum actuosa mysteriorum contemplatio sine necessario discursu, admisso tamen, si occurrat. Præmittitur præparatio, ut dictum est antè, subsequitur ipsa sensuum exercitatio, modus eos exercendi est proponere sibi eorum objecta.

Oculus spectat, colorem, lucem, figuram, quantitatem, numerum, motum, quietem, distantiam, situm, qualitatem.

Aures percipiunt vocem, suspiria, gemitus, risum, strepitum, sonum, numerum, motum, quietem, facundáque silentia.

Gustus dijudicat cibos, potum, saporem, numerum, varietatem.

Odoratus versatur circa odores florum, unguentorum, & è contrario.

Tactus attendit ad qualitatem, frigus, calorem, succum, durum, ad pondus, ad figuram, ad quantitatem, distantiam, situm, numerum, motum, quietem.

Hinc uberrima ſumitur ex ſacris hiſtorijs ad meditandum materia, propoſitis etiam ijs, quæ probabiliter accidere poterant, Colloquijs de more ſequentibus.

Secundus modus exercendi ſenſus eſt per objecta metaphorica, & ſpiritualia: ut videre Chriſti loquentis verba inſtar lucidi radij; audire vocis ſuavitatem: olfacere fructum eorũ: guſtare dulcedinẽ verborum corda ſatiantium: cõtingere verborũ calorem pectora inflammantiũ Ex adverſo videre verbi vitioſi monſtroſam formam, audire ejus diſſonãtiam, ſentire fœtorem, guſtare amaritiem, tãgere peſtilentiã, & quæ probabiliter concipi poſſunt, imaginatione cõplecti, ad magis inclinandam, vel avertendam voluntatẽ.

Tertius modus exercendi ſenſus eſt, quando ſenſibus reſpondent virtutes, ut viſui Fides, auditui Obedientia, odoratui Spes, guſtui Devotio, & ſapor rerum Dei, tactui reſpondet Charitas, quâ velut duabus ulnis Deus, & proximus ſtringitur, fitque conjunctio ſpiritûs mei, cum ſpiritu Dei.

Quartus modus exercendi ſenſus eſt extraordinarius, & à Deo infuſus, nec intelligitur, niſi per cognitionem experimentalem, unde ab inexperto concipi non poteſt; ſicut dulcedo mellis nullis verbis, ſed tantùm delibatione agnoſcitur. Hic ſenſus interius

nus à Deo communicatur 1 Spirituali visione, sive aspectu, ut Moyses vidit invisibilem. 2. Spirituali auditu, sic Sponsa loquente Sponso liquefiebat: quanquam plus habeat claritatis visio, quàm auditio. 3. Spirituali odoratu, qui excitat in nobis concupiscentias internas. 4. Spirituali gustu, supra omne delectamentum lactis, mellis, favi, & mannæ. 5. Spirituali tactu, & unione spiritûs nostri, cum Spiritu Dei. Superat hic sensus reliquos omnes: sed quia terrena habitatio callum nobis obduxit, non facilè dici potest, nec sentiri. Qua de re Pater Ceparius Librum sapientiâ plenum edidit.

## §. 10. *De reflexione à meditatione facienda.*

SEquitur reflexio, quam vaferrimus dæmon semper impedit, metuens, ne vel fraudum ejus vestigia reflexione, & examine dignoscantur: vel ut gratiæ Dei, ac lumina oblivione præfocata extinguantur. (a) Pro discernendis autem luminibus veris ab illusionibus, advertit nonnemo, omnem illusionem voluntatis aliquid inordinatè aversantis, vel prosequentis, supponere errorem saltem practicum in intellectu: ad quos errores discernendos attendendum est ad bonum, qualenam sit: aliud enim est bonum

(a) *P. Anton. Gaudier, de 4 instrum. perfect.*

Dei extrinsecum, seu gloria Dei, aliud meum gratiæ, & gloriæ, aliud indifferens, quod naturæ placet. Ita malum triplex est, vel contra Dei gloriam, vel malum culpæ, vel indifferens aliquod mihi dolorosum. Hinc accidit, ut sæpe bonum gloriæ Dei conjunctum sit cum malo indifferente, mihi doloroso: & malum Dei conjunctum cum bono indifferente mihi delectabili, quod sibi me fortius attrahat, quàm avertat malum Dei. Itaque omnis illusio inde oritur, quòd vel intellectus voluntati non satis perspicaciter propoſat bonitatem rei, vel malitiam; vel quòd voluntas practicum pervertat judicium. Id, quod in genere quatuor modis evenit, vel ex parte causæ efficientis, dum putamus nos plus posse cum ordinario Dei auxilio, quàm possimus, adeóq; bona pleraque à nobis esse putamus, nólque nobis pæne sufficere, unde non ita à Deo pendemus. Vel illudimur ex parte causæ finalis, quando nos facimus finem bonorum nostrorum, & actionum, non autem Deum. Vel illudimur ex parte rei indifferentis, eidem non præmissâ discretione adhærendo. Vel denique ex parte ipsius electionis, quando utile, atque delectabile præponimus honesto, vel minùs honestum magis honesto præferimus, virtutum bonis interim velatis. In particulari, num à dæmone

illusus

illusus in meditatione fuerim ex reflexione agnoscam; si enim antemeditationem non cavi à culpa, torpore, laxitate, imò si nimiâ intensione verbi causâ studui, deceptus sum ex mente Divi Nili, & Basilij, quia obstaculum bono successui meditationis posui. Si in præparatione materiæ fui negligentior, vel ex confidentia propria, id erat occultæ superbiæ; vel ex alia occupatione, quod fuit erroris minus bonum proposuisse majori. Si in ipsa meditatione fuit negligentia in consideratione divinæ præsentiæ, sine qua inutilis solet esse meditatio, illusus sum. Si oblivio rerum propositarum contigit, ei medebor tripliciter; 1. res meditandas per sensibilia in posterum memorię proponam; deinde amabo intensè meditationis materiam; non potest memoriâ excidere, quod amatur. Servabo denique additiones magni meditationis magistri, sancti Patris IGNATII. Si voluntas non fuit bene dispositа, ex culpa etiam habituali, quæ gratiæ Dei officit, necessariæ orationi mentali; relinquit enim omnis culpa remorsum, reddit metuentem, minusque Deo confidentem; cui medebor magnâ puritate mentis. Quòd si voluntatẽ perturbârunt affectus, licet à culpa immunes, ut amor sui, horror difficultatum, quæ in oratione solent occurrere, & quarundam passionum

libertas nimia, qnæ arguunt voluntatem alienis affectibus plus nimio indulgentem, & proinde minùs addictam ad ea, quæ Dei sunt; vel cùm intimè in ea resideant affectus illi, semper parati sunt, ut cùm ad orandum applicare voluerit cæteras potentias, facto velut agmine irruant, & avertant: cui medebor passionum dominio. Quòd si voluntatem quævis anxia impedivit solicitudo, circa rem bonam, ut studia, si illa sit nimia, ei medebor absolutâ voluntatis mortificatione ad obtinendum animæ libertatem; ex nostra enim corruptione vix ullam rem attingere possumus, quin aliquis inordinatus in voluntate non sat mortificata relinquatur affectus. Quòd si voluntas ideo non plenè meditationem prosequitur, quia fructus ejus, qui occulti sunt, & spirituales, non experitur; ei medebor propositis, impetratione, satisfactione, meritóque majore propter humilitatem, patientiam, heroicam fortitudinem, amorémque Dei majorem, quas omnes virtutes meditãs insensibiliter licet, exercet.

Manifestæ præterea illusiones in meditatione sunt inconstantia in mutatione materiæ, potissimùm a quærentibus devotionem sensibilem, quod est animi non satis virilis. Item Curiositas; non enim abundantia scientiæ, sed sensus, & gustus rerum interior

deside

desiderium animæ explere solent. Superba sui æstimatio, quando lumina divina naturali discursu exaggerantur, unde lubricus & præceps proprij judicij casus. Indiscretio, dum auertimur à virtute magis necessaria, & ad minus eo tempore necessariam convertimur; dum trahimur famâ, vel utili aliquo, aut delectabili potiùs, quàm virtuoso. Nimia consolationis sensibilis æstimatio non directa ad substantialem, quæ in exercitio virtutum sita est. Falsa consolatio, quæ dissolvit mentem, restinguit mortificationis, & humilitatis desiderium, securitatem nimiam parit, solicitudinem, inquietem affert. Temporis præcisio prætextu pietatis, utilitatísque proximi; putantium intellectum discursibus speculativis implendum, cùm deberet practicis, cuivis facilibus: nam etiam ignaris noti sunt aliquo modo mores sui, veritatésque Fidei, unde ad regulam quotidianas vitæ actiones formare queant. Ariditas, quæ adversatur sanctis affectibus volũtatis, unde difficulter eliciuntur actus virtutum: quæ si adversatur consolationi tantùm sensibili, bona erit; quòd si inferiorem partem contra pios excitet voluntatis motus, ita, ut ad memoriam crucis, virtutúmque solidarum animus horreat, reddaturque timidus, inconstans, morosus, lentus, diffidentiâ plenus,

atque

atque tristitiâ in omnibus, quæ pertinent ad cultum Dei, & quadam desperatione agatur, certissima erunt signa desolationis diabolicæ. Igitur ejus causæ inquirendæ, quæ sunt triplices.

## §. 11. *De causis desolationis, & remedijs.*

1. NEgligentia in cavendis culpis, earumque radicibus evellendis, atque affectibus cohibendis: & tollitur sancto timore DEI, cordis, sensuumque custodiâ: qui enim sibi non est culpæ conscius, neque in præmissa præparatione negligentiam admisit, qui sensus in oratione cohibet, distractiones aversatur: qui tempus præscriptum explet, situmque tenet decorum: qui in his sex non delinquit, non est, cur se affligat, quantumcunque sit sine affectu.

Secunda desolationis causa est, impugnatio dæmonis: Cui constanter resistendum, qui non stetit in veritate constanter: constantiâ igitur superabitur.

Tertia est permissio Dei, cui respondere oportet discretione, nihil ex passione agendo, vel omittendo, sed totum ex ratione, & consilio. Humilitate, quâ nostram miseriam agnoscimus: nihil enim ita impedit DEI sensum, atque nostri excusatio. Fortitudine, opponendo se desolationi, statuendóque

nihil

nihil nos velle sponte admittere Deo displicens Oratione, quâ petimus, ut Deus nobis pacem largiatur, & turbatores orationis nostræ comprimat. Fiducia in DEI auxilio, Agnitione, id nobis prodesse, quòd simus cõformiores Christo in cruce derelicto; quòd ita magis exerceatur virtus, amórque DEI: cur enim affligimur, nisi, quòd Deum laudare nequeamus? Cur volumus, nisi, quòd amemus? Liberalitatis divinæ provocatione, pœnitentijs corporalibus, &c. Aspectu piæ imaginis, lectione sacrâ, verbi gratiâ, soliloquiorum divi Augustini, Psalmorum Davidis, &c. Ire ad templum fontem lucis. Parare se ad confitendum coram Deo. Communicare spiritualiter, id, quod in dies, qui agit, vix unquam devotione carebit. Renovatione actuum Religionis. Oratione mentali. Propositâ paupertate suâ per vicos cœlestes à Sanctis petere varias virtutes, atque ab Angelis. Totam Christi vitam in varias stationes dividere, ad unamquamque aliquid orare. Recurrere ad vulneta Domini JESV. Decernere, quibus virtutibus singulas diei actiones velim exornare. Mente ad mundi partes sanctiores peregrinari. Pro diversis hominum statibus Dominum exorare. Denique in promptu habere ordinem multorum actuum, ut ante memini, virtutum:

tum: sed ita, ut non impediatur Spiritus sanctus operari volens. Nec omittendi triplices orandi modi. 1. Quo discurras circa Præcepta Dei, aut Ecclesiæ, circa septem peccata mortalia, tres animæ potentias, & quinque corporis sensus, & hoc non tam speculativè, quàm practicè: verbi causâ, in præceptis, præmissis præludijs, considerare mandatum ipsum in se, quàm sit bonum, rationi consonum, & sanctum; quia voluntas Dei explicata per præceptum sanctificatio nostra: quàm utilis ejus observantia; Quomodo illud servaverim: si exactè, gratus ero Deo: sin minùs, dolebo, & veniam petam, proponam ejus observantiam, petam ad hoc gratiam per colloquium ad DEVM: quo finito ad aliud præceptum transibo. Idem agam per peccata discurrens. 1. Excutiam singula, quàm sint voluntati divinæ, doctrinæ, & exemplo Christi, obligationique meæ multiplici contraria, quàm turpia, quàm damnosa, quàm justè prohibita, quantùm noceant, si tempestivè non fugiantur, quomodo illa hactenus fugerim, vel imposterùm decreverim fugere. Quòd si de virtutibus considerationem instituam, incitamenta quæram ex voluntate Dei, doctrina Christi, & exemplo, obligatione meâ, pulchritudine virtutis etiam gentibus commendata,

mendata, & præmio ejusdem etiam in hac vita. Cùm de potentijs animæ, & corporis sensibus agam, videbo 1. quàm nobiles, & utiles nobis sint singulæ, memoria, intellectus, voluntas, &c. ad quem finem homini à Deo datæ: Quomodo ijs usus sit Christus, B Virgo, sanctique: Quomodo ego ijs usus sim, & posthac uti velim. Quanti hoc orandi genus Christiano homini faciendum sit, ex eo collige, quòd S. Franciscus Xaverius Indorum Apostolus, solitus referatur omnibus, quas tractabat, animabus, eundem modum vehementer commendare, imò & pœnitentiæ interdum loco injungere: ut manè & vesperè aliquod tempus huic exercitio impenderent.

Secundus orandi modus ex perpensa singularum vocum orationis significatione desumitur, præmissâ oratione præparatoriâ, recitandóque orationem Dominicam, si meditationis figatur pes; verbi causâ in Pater noster, quamdiu circa eam variæ significationes, similitudines, spirituales gustus, & aliæ commotiones devotæ inciderint, sic deinceps procedendo: quod & in alijs orationibus, titulísque Dei, Christi, B. Virginis, & Sanctorum fieri poterit.

Tertius orandi modus, qui fit cum quadam vocum & temporis commensuratione,

sic

sic exercetur. Præmissâ, ut antè, oratione præparatoriâ, in Psalmorum, verbi gratiâ, lectione singulas voces per tantum temporis, quanto communiter una respiratio durare solet, considerando rem singulis vocibus significatam, ut ita orem spiritu, orem & mente.

Iuverit etiam uti modo examinis per quinque puncta, circa virtutem aliquam se occupando: Gratias agere pro agnitione talis virtutis: Petere majus lumen ad eam cognoscendam: Discutere se, num, ubi, quando, & quomodo eam exercuerit: Dolore de negligenti executione, propositôque facto, petere auxilia pro usu ejus, formando colloquium ad DEVM, ad Christum, ad Divam Virginem.

Ad extremum, quantacunque desolatione afflictus, dicat: Ego non incepi hanc meditationem meam propter meum solatium, sed ex mero DEI amore, quare eandem ex amore eodem perficiam.

Illusiones post meditationem sunt 1. neglectus reflexionis. 2. Effusio mentis ad alia. 3. Animi dejectio ob successum minùs bonum. 4. Defectus bonæ executionis. Ex adverso signum Spiritûs boni erit, si notatis LVMINE, AFFECTV, & RESOLVTIONE reperero veritates æternas, notitiam Dei,

Dei, meique, ut bona Dei præponam meis, ut proprio me sensu exuam, virtutes Dei placito operer, si vergam ad munditiam cordis, concupiscentias, & passiones cohibeam, tentationes vincam, opiniones, & errores vanorum hominum contemnam, despiciam terrena, desiderem cœlestia, imiter Christum: nemo quippe melius egit Christo: Deo uniar, Zelo æstuem, labores hilaris suscipiam, continuam, doloresque perpetiar pro vita æterna. Hisce luminibus accedentes lachrymæ admitti poterunt, sine illis suspectæ sint. Erunt autem eâdem die sine meditandi indicto, resolutiones exercendæ, ad habitus vitiorum evellendos, virtutesque acquirendas: Quidquid enim Spiritus Domini dictaverit, visitatione, inspiratione, institutóque suo: sive ordinaria dictet facienda, sive extraordinaria, obtemperandũ ei est: quôd hac in re omnis perfectio orationis, & amicitiæ Dei sita sit, obedire Spiritui Dei præcipienti, consulenti, inspirantique semper, quæ perfectiora sunt, ut ipse dixit, sanctæ Virgini Gertrudi: Bonitas mihi ingenita eligit melius. Alioquin neglectus ejusmodi inspirationum est extinctio quædam damnosa spiritûs, & justa desolationum, ariditatum, derelictionum divinarum causa. Quid enim DEVS riget

agium

agrum cordis, pluviam ejus voluntariam non recipientem? Quorsum eum seminet, si fructificare nolit seminanti? Quare colet vineam, de fructu ejus non manducaturus, aut labruscas pro uvis ejus recepturus? Atqui, *ubi deficit gratia, deficis tu*, inquit D. Bernardus serm. 54. in Cantic.

## §. 12 *Quid agendum, si quis impulsus senserit extraordinarios in meditatione.*

Circa impulsus extraordinarios notandum, eos à Theophilo Bernardino ad tres classes reduci. Ad miracula, ad actiones ex occultis principijs procedentes, ut stultitiam simulare, actum Davidi: ad actus repentinos, ut sanctæ Apolloniæ in ignem insultus. In his discernendis, 1. audire ea nemo debet, qui certus non est ab ipso DEO se ad ea promoveri eo modo, quo permoti sunt Sancti, quibus inspirans Deus certos eos reddebat, quòd ipse esset, qui juberet. Deinde quinque regulas servandas: 1. Num respondeat sacræ Scripturæ, Ecclesiæ Præceptis, Consilijs, Intentioníque Deo placendi. 2. An sit utilis illa inspiratio ad terrenorum contemptum, & amorem divinorum: dispensationes enim ad sensualitates plerumque suspectæ sunt. 3. An sit inspi-

inspiratio pacifica. 4. An humilitate instructa. 5. An recipiens sit constans amicus Dei, convenientis ætatis, integri judicij, & an totum submittat judicio superioris: quod in hoc negotio uti utilissimo, ita & maximè exposito illusionibus, est semper consulendum.

Cæterùm ordinarijs Dei recipiendis impulsibus materiam & occasionem subministrabunt 415. considerationes sequentes, quas Domino Scripturas aperiente, qui mente versare volet, tritam ille quidem inibit viam, qui ex ijs actus virtutum frequentare, vela dabit lætus: qui assumpserit contemplandas, sublime feretur: cujus denique animus ad Dei, proximique amorem perficiendum incaluerit, ignitus volabit ille fulminis ocyor alis: quid enim vetet amantem? itaque clavi orationis instructo, omnia sponte sua referabuntur sequentia, utinam eo in omnibus scientiæ Sanctorum amatoribus consequente fructu, quem Deus ipse intendit: quo inspirante, ut tam diversis hominum ingenijs placeret (a) *Veritas ubique mater sanctitatis*, utile censuit D. Augustin. (b) *ut ipsa perveniat ad alios sic, ad alios autem sic.*

(a) *D. Chrysost. in Ps.* 118. (b) *L.* 1, *de Trin. c.* 3.

# INDEX MEDITATIONUM.


1. De Circumcisione Domini.

*De fine, mediis, & praxi Christianæ perfectionis.* Fol. 1

2. De Octava S. Stephani.

*Resistimus Spiritui Dei ex amore proprio.* fol. 3

3. De Octava S. Joannis Evangelistæ.

*Secreta praxis assecurandi salutem suam.* 5

4. De Octava SS. Innocentium.

*De felicitate renuntiantium sibi, sequentium Deum.* 6

5. De Vigilia Epiphaniæ.

*Indifferentia primus affectus rejecti amoris Proprij.* 9

6. De Epiphania Domini.

*De perfectione, eiusq; gradu triplici.* 11

7. Dies 2. infra Oct: Epiphaniæ.

*Esse possibilem perfectionem.* 13

8. Dies 3. infra Oct: Epiphaniæ.

*De puro DEI amore motivo ad perfectionem maximo.* 14

9. Dies 4. infra Octavam Epiphaniæ.

*De modo agnoscendi purum amorem Dei.* 17

10. Dies 5 infra Octavam Epiphaniæ.

*De septem excitatorijs ad perfectionem.* 18

11. Dies 6. infra Octav: Epiphaniæ.

*De triplici virtutum genere in Christo.* 20

12. Dies 7. infra Octav; Epiph.


*Vitæ*

# INDEX MEDIT.

*Vita spiritualis teneat locum primum, naturalis secundum.* 21

13. Dies 8. Epiph. Domini.

*Nostrâ culpâ à fine aberramus.* 22

14. Dominica 1. Epiphaniæ.

*Deus Incarnatus exemplum obedientiæ.* 23

15. Feria 2. Domin. 1. Epiphan.

*De obediendi necessitate* 25

16. Feria 3. Domin. 1. Epiph.

*In obediendo rationem spectans, & non auctoritatem, tollit è mundo obedientiam.* 27

17 Feria 4. Dominicæ 1. Epiph.

*Quid debeamus Præsidi?* 28

18 Feria 5. Domin 1. Epiph.

*Quid agendum, si erret Præses?* 29

19. Feria 6. Domin. 1. Epiph.

*Quid agendum, si sit malevolus Præses?* 32

20. Sabbato Domin. 1. Epiph.

*Quid agendum, si tantùm se permissivè haberet?* 34

21 Dominica 2. Epiphaniæ.

*De Præceptis Christi audiendis, & persolvendis* 36

22. Feria 2. Domin. 2. Epiphaniæ.

*De differentia Præceptorum Evangelij, à Lege veteri.* 37

23 Feria 3. Domin. 2. Epiph.

*Ordinatur potentia concupiscibilis.* 39

24. Feria 4. Domin. 2. Epiph.

*Ordina-*

*Ordinatur potentia irascibilis.* 41
25. Feria 5. Domin, 2. Epiph.
*Ordinatur potentia rationalis voluntatis circa gloriam.* 41
26. Feria 6. Domin. 2. Epiph.
*Ordinatur potentia rationalis intellectûs circa juramenta.* 4
27. Sabbato Domin. 2. Epiphan.
*Præmia observantibus, pœna negligentibus Præcepta Domini.* 4
28. Dominic. 3. Epiphan.
*Quomodo ad SS. Eucharistiam accedendum.* 4
29. Feria 2. Domin 3. Epiph.
*De cavendo errore in negotio salutis.* 5
30. Feria 3. Domin. 3. Epiph.
*In omnibus non meum commodum, sed Dei beneplacitum quærendum.* 5
31. Feria 4. Domin. 3. Epiph.
*Quomodo via ad cælum sit arcta, & tamen lata.* 5
32. Feria 5. Domin. 3. Epiph.
*De præcepto gratiæ gratum faciente.* 5
33. Feria 6. Domin. 3. Epiph.
*De Præceptis Evangelij respectu proximi.* 5
34. Sabbato Domin. 3. Epiph.
*De Architecto sapiente, & stulto.* 5
35 Dominica 4. Epiphan.
*Quæ tentationes impetant incipientes servire Deo, & quidem de segnitie.* 61

36. Feria 2

36. Feria 2. *De nimio fervore.* 62
37. Feria 3. *De memoria seculi, & antiquæ vitæ.* 63
38 Feria 4. *De perseverandi desperatione.* 65
39. Feria 5. *De desiderio mutandi statum.* 66
40. Feria 6. *De blasphemis cogitationibus, & scrupulis.* 69
41. Sabbato. *B. Virgo Stellæ polaris.* 69
42. Dominica 5. Epiphaniæ.
*Inevitabilis tentationum necessitas in via illuminativa.* 70
43. Fer. 2 *De generalibus remedijs tētationū.* 72
44 Fer. 3. *De Pusillanimitate.* 73
45. Fer. 4. *De nimio Zelo.* 74
46. Fer. 5. *Incuria inoperando.* 76
47. Fer. 6. *Adhæsio ad loca, & ministeria, & appetitus honoris.* 77
48. Sabb. *B Virgo Patrona tentatorum.* 79
49. Dominica 6. Epiphaniæ.
*Acrimonia sinapis perfectorum tentatio.* 80.
50. Fer. 2. *De occulta superbia,* 81
51. Fer. 3. *De temeritate judicandi, conatu supra vires, licentia inrepandi.* 82
52. Fer. 4. *De Immisericordia.* 83
53. Fer 5. *De corporis ægritudinibus, & persecutionibus.* 84
54 Fer. 6. *De desolatione.* ibid.
55. Sabb. *Ope B. Virg. cælum subimus.* 86
56. Dominica Septuagesimæ.

*Passio D N. est vinea meditatione excolenda.* 8
57. Feria 2. *Eucharistia Actio deifica pa*
*quàdam devotionis mensurâ agenda* 9
58. Feria 3. *D. IESVS ardentissimus salu*
*nostræ amator* 9
59. Fer. 4. *De Obedientia D. IESV.* 9
60. Fer. 5. *de triplici Baptismo Christi.* 1
61. Fer. 6. *Christus D. valedicit Matri sua.*
62. Sabb. *Septem Tortores Matris Dei.*
63. Dominica Sexagesimæ.
*De missione Domini IESV.* 1
64. Fer. 2. *De duobus comitibus D. IES*
*dolore & amore.* 1
65. Fer. 3. *De Contentione exuendâ.* 1
66. Fer. 4 *Væ, à quo exit cum donis suis Iesus.*
67. Fer. 5. *De Scandalo Apostolorum.* 1
68. Fer. 6. *De scandalo Petri.* 1
69. Sabb. *Septem gladij ignei Matris Dei.*
70. Dominica quinquagesimæ.
*Suadetur Passionis D accuratior meditatio.* 1
71. Feria 2. *Christus denuo patitur.* 1
72. Fer. 3 *Christus denuo crucifigitur.* 1
73 Fer. 4 *Quæ oportuit Christum pati, ne*
*detrectaremus.* 1
74. Fer. 5. *Spes Resurrectionis minuit sens*
*Passionis.* 1
75 Fer 6. *Initia sint sine defectu ferventia.* 1
76. Sabb. *Septem dolores B. Virginis.* 1
77. Dominica 1. Quadragesimæ.

T

*Tria mala mundi triplici modo superanda.* 124
78. Fer. 2. *Collaborandum* DIESV, *ac iterum tædia passionis ferat.* 126
79. Feria 3. *Septem interna contristationes Christi.* 128
80. Fer. 4. *Septem pavores Christi.* 131
81. Fer. 5. *Septem mœstitiæ Christi.* 132
82. Fer. 6. *Septem avulsiones Christi.* 133
83. Sabb. *Septem lanceæ B. Virginis.* 134
84. Dominica 2. Quadragesimæ.
*Deus addens solatia, addit dolorem.* 136
85. Fer. 2. *Christus Dominus Exemplum Orationis.* 137
86. Fer. 3. *Resignanda voluntas nostra in voluntatem* DEI. 140
87. Fer. 4. *Vehemens affectus erga Christum, Dominum Calicem prome bibentem.* 142
88. Fer. 5 *Ille diligit proximũ, qui se negligit.* 144
89. Fer. 6. *Omnis patiens latus.* 145
90. Sabb. *Septem anxietates perpetuæ B. V.* 148
91. Dominica 3. Quadrag.
*Causa lapsûs Iudæ, eadémque Saulis.* 148
92. Fer. 2 *Triplex reflexio circa Iudam.* 151
93. Fer. 3. *Qui reduci à Deo nolunt, permittuntur voluntati suæ.* 153
94 Fer. 4 *Quantum differat hora mortis nostræ, ab hora mortis Christi.* 155
95. Fer. 5. *Christus vetans se defendi, Magister Patientiæ.* 156

96. Fer 6. *De Fuga Discipulorum, fuga ad*
*lescentis, captivatione Christi.* 15
97. Sabb. *Septem Christi vincula, septem al*
*urationes Matris DEI.* 16
98. Dominica 4. Quadragesimæ.
*Errores Magistratûs Ecclesiastici circa Chri*
*stum.* 16
99. Feria 2. *Septem concilia contra Christu*
*habita.* 1
100. Fer. 3. *Oblivio judicij extremi dedit*
*daciam Pontificibus sic judicandi.* 1
101. Fer. 4. *Octo horrore plena in Christ*
*patrata in domo Caiphæ.* 1
102. Fer. 5. *Lapsus Petri docet non labi,*
*lapsum resurgere.* 1
103. Feria 6. *Declinanda concilia malign*
*tium.* 1
104. Sabb. *Septem Spasmi B. Virg. ex sept*
*commutationibus Christi.* 1
105. Dominica Passionis.
*Accusatio Christi, & defensio.* 1
106. Feria 2. *Secretum Pilati colloquium,*
*primum examen Christi: quis sit? & q*
*fecerit?* 1
107. Fer. 3. *Apud Herodem Christi silenti*
*perfectionis signum.* 1
108. Fer. 4. *Reliqua examina apud Pilatũ.* 1
109. Fer. 5. *Crudeles duodecim contumeli*
*Christum, in domo Pilati.*
110. F

110. Feria 6. *Causa Deicidij ex parte Pilati duodecim.* 186

111. Sabb. *B. Virgo amarum mare septemgeminis dolorum ostijs influentibus tumidum, & tempestuosum.* 188

112. Dominica Palmarum.

*Decem notabilia, quæ in eductione Christi contigerunt.* 191

113. Fer. 2. *Septem prima notabilia in Crucifixione Christi.* 193

114. Fer. 3. *Notabilia 11. in crucifixum jam Christum.* 196

115. Fer. 4. *De primis quatuor verbis Domini in Cruce.* 198

116. Feria 5. *De reliquis Christi verbis in Cruce.* 201

117. Fer. 6. *Omnis passio mea collata Passioni Christi, nihil est.* 204

118. Sabbato Sancto.

*Septem Abyssi dolorum, B. Virginis ex morientis, & mortuo Filio.* 207

119. Dominica Resurrectionis.

*De quatuor D. Iesu apparitionibus primis.* 109

120. Fer. 2. *Non datur hic in hac vita frui Deo, quantò minùs creaturis.* 211

121. Fer 3. *Pascha continuandum in vulneribus Christi.* 112

122. Fer 4 *De septima apparitione.* 213

123. Fer. 5. *De apparit. facta Magdal. soli* 215

124. Fer. 6. *De Octava Apparitione.* 21
125. Sabbato. *Septem gaudia B. Virginis c*
*Christo glorioso.* 12
126. Dominica in albis.
*De nova apparitione post octo dies facta.* 21
127 Feria 2. *De Promissis Evangelicis in ge*
*nere.* 21
128. Fer. 3. *De bonis, quæ Evangelium pr*
*mittit in hac vita.* 21
129. Fer. 4. *De majoribus bonis spiritualib*
*promissis in hac vita.* 21
130. Fer. 5. *Ponderatur magis donum amic*
*tiæ cum Deo.* 21
131. Fer. 6. *De reliquis bonis, quæ Deus in h*
*vita promittit suis* 21
132. Sabb. *De septem gaudijs B. V. ex bon*
*Dei, Christi, & suis.* 23
133. Dominica 2. post Pascha.
*De bonis, quæ Deus promittit in altera vita.* 23
134. Fer. 2 *De bonis Beatorum in genere.* 23
135. Fer. 3. *De bonis Beatorum ineffabil*
*bus.* 23
136. Fer: 4. *De magnitudine gloriæ Beat*
*rum.* 23
137. Fer. 5. *Amplius ostenditur hac magnitud*
*gloriæ.* 23
138. Fer. 6. *De Gratia consummata Beat*
*rum.* 24
139. Sabb. *De septem gaudijs B M. Virgini*
*propter*

*propter dona gratiæ.* 251

140. Dominica 3. post Pascha.

*De loco & spatio corporis glorioſi.* 243

141. Fer. 2. *De corpore glorioſo, impaſsibili, & claro.* 245

142. Fer. 3. *De corpore glorioſo, agili, & ſubtili* 247

143. Fer. 4. *De corporis glorioſi aureolis.* 249

144. Fer. 5. *De corpore quoad ſenſus externos glorioſo.* 251

145. Fer. 6. *De corporis glorioſi potentijs internis Beatis.* 253

146. Sabb. *De ſeptem gaudijs corporis glorioſi B. Virginis.* 255

147. Dominica 4. post Pascha.

*De Gloria Animæ beatæ.* 257

148. Fer. 2. *De conſequentibus viſionem beatam.* 259.

149. Fer. 3. *De Beatorũ ardenti amore Dei* 261

150. Fer. 4. *De Beatorum gaudio immenſo de DEO.* 262

151. Fer. 5. *De Beatorũ infinita laude Dei.* 264

152. Fer. 6. *De Beatorum æterna gratiarum actione.* 266

153. Sabb. *De ſeptem gaudijs animæ glorioſæ B. Virginis.* 267

154. Dominica 5. post Pascha.

*De dono Orationis* 269

155. Fer. 2. *Qui ſint tres panes petendi.* 271

156. fer. 3. *Quomodo petendum sit, & quid* 27
157. fer. 4. *Supplex libellus ad Christum.* 27
158. fer. 5. *De Ascensione Domini.* 27
159. fer. 6 *Quomodo orandus Deus, ut nos mundet.* 27
160 Sabb. *Quomodo orandus Deus, ut nos magis emundet* 27
161. Dominica infra Octav. Ascensionis. *Quomodo orandus Deus, ut nos ex toto mundet.* 28
162. Fer 2. *Quomodo orandus DEVS, ut illuminet.* 1
163 fer. 3 *Quomodo orandus Deus, ut nos magis illuminet.* 2
164. fer. 4 *Quomodo orandus DEVS, ut illuminet ex toto.* 2
165. fer. 5. *Quomodo orandus DEVS, ut nos uniat.* 3
166 Fer. 6. *Quomodo orandus* DEVS, *ut sibi magis uniat* 1
16 . Vigilia Pentecostes. *Quomodo orandus* DEVS, *ut nos sibi uniat toto.* 2
168. Dominica Pentecostes.
169. Fer. 2. *De donorum Spiritûs sancti magna vi.* 2
170 Fer. 3. *De majore vi donorum Spiritus sancti.* 29
171. Fer. 4. *De reliqua vi donorum Spiritus sancti.* 300. 1

172. fer. 5. *De duodecim fructibus Spiritus sancti.* 302
173. fer. 6. *De Spirituum discretione.* 304
174. Sabbato. *De pleniore Spirituum discretione.* 306
175. Dominica SS. Trinitatis.
*De SS. Trinitate.* 309
176. Fer. 2. *de Omnipotentia* DEI. 311
177. fer. 3. *de Sapientia, & Gubernatione* DEI. 313
178. fer. 4 *de Bonitate* DEI. 314
179. fer. 5. *de Sacrificio incruento.* 316
180. fer 6. *Septem miracula in Venerabili.* 318
181. Sabb. *Septem res in Venerabili* 319
182. Domin infra Oct. Corp. Christi.
*In Eucharistia sunt omnia.* 321
183. fer. 2. *de duodecim Fructibus Venerabilis.* 323
184. fer. 3. *de aliis fructibus Venerabilis.* 325
185. fer. 4. *de aliis fructibus Venerabilis.* 386
186. fer. 5 *de reliquis fructibus Venerabilis.* 327
187. fer 6. *de negligentibus celebrare, vel audire Missam.* 329
188. Sabb. *de fine, quo accedendum ad Missam.* 331
189. Dominica 2. post Pentecost.
*De appetitione* DEI *ultimi finis.* 333
190. Fer. 2. *de malitia peccati mortalis.* 336
191. fer. 3 *de fœditate peccati mortalis.* 337

192. fer. 4. *de abyssali cõfusione peccatoris.* 33
193. fer. 5. *de erectione peccatoris ad spe*
*venia.* 34
194. fer. 6. *de proposito non peccandi, & sati*
*faciendi.* 34
19[illegible]. Sabbbato. *B. Virgo refugium peccat*
*rum.* 34
196. Dominica 4 post Pentecost.
*De peccati venialis fuga.* 34
19[illegible]. fer. 2. *de peccati venialis fuga propt*
*damna, quæ invehit.* 34
198. fer. 3. *de remedijs ad elevanda pecca*
*venialia.* 35
199. feria 4. *de peccatis venialibus significat*
*per lignum.* 1. *ad Cor.* 3. 35
200. feria 5. *de peccatis venialibus significat*
*per fœnum.* 35
201. feria 6. *de peccatis venialibus significat*
*per stipulam.* 35
202. Sabbato. *Beata Virgo refugium labe*
*tium.* 35
203. Dominica 5. post Pentecost.
*De extinctione vitiorum.* 35
204. Feria 2. *de Gula.* 36
205. feria 3. *de Vitio Luxuriæ.* 36
206. feria 4. *de Vitio Avaritiæ.* 36
207. feria 5. *de Ira* 36
208. feria 6. *de Invidia.* 37
209. Sabbato. *Beata Virgo refugium contr*
*vitii*

vitia. 374.
210. Dominica 6. post Pentecost.
De Acedia. 375
211. Feria 2. De Vitio inanis gloriæ. 377
212. feria 3. de vitio Superbiæ. 380
213. feria 4. de sex stultitijs, quæ committuntur in bello cum vitijs. 383
214. feria 5. de alijs sex stultitijs, quæ committuntur in bello adversus vitia 384
215. feria 6. de reliquis decem impedimentis in bello contra vitia. 385
216. Sabbato. Beata Virgo refugium contra vitia. 388
217. Dominica 7. post Pentecost.
Cavendum à Sathana, adhærendũ Christo. 389
218. Feria 2. de inevitabili necessitate mortificationis volentium adhærere DEO. 391
219. feria 3. de odio sui, paradoxo Evangelij præcipuo. 393
220. feria 4. de subigenda propria voluntate. 397
221. feria 5. de subigendo proprio intellectu. 399
222. feria 6. Quæ scientia tavenda, & quæ amanda. 400
223. Sabbato. Beata Virgo perfectæ sapientiæ Sanctorum Magistra. 402
224. Dominica 8. post Pentecost.
Quomodo ad scientiam Sanctorum veniatur. 403

225. Feria 2. *de subigendo judicio proprio.* 405
226. feria 3. *de subigendis passionibus.* 407
227. feria 4. *de ordinandis cogitationibus.* 409
228. feria 5. *de cultu corporis, & asperitate.* 410
229. feria 6. *de mortificatione Tactûs.* 411
230. Sabbato. *Beata Virgo mortificationis Magistra.* 413

231. Dominica 9. post Pentecost.

*De mortificatione motionum corporis.* 414
232. Feria 2. *de mortificatione Linguæ.* 416
233. feria 3. *de mortificatione Oculorum.* 418
234. feria 4. *de mortificatione Auditûs.* 420
235. feria 5. *de mortificatione Gustûs.* 421
236. feria 6. *de mortificatione Odoratûs.* 424
237. Sabbato. *Quomodo B. Virgo excelluerit in mortificatione sensuum.* 425

238. Dominica 10. post Pentecost.

*Qui censeantur esse in via purgativa, qui in illuminativa.* 426
239. Feria 2. *Incitamenta ad tentationes alacriter ferendas.* 429
240. feria 3. *de alijs incitamentis appetendis tentationis.* 431
241. feria 4. *Tentationibus resistendum ab utili.* 432
242. feria 5. *de fine belli contra vitia.* 434
243. feria 6. *de optimo vitia superandi modo.* 435

244. Sab-

244. Sabbato. *Beata Virgo Refugium in tentationibus.* 426

245. Dominica 11. post Pentecost.

*Dominus IESVS præest Regno virtutum.* 438

246. Feria 2. *de instrumentis virtutum.* 439

247. feria 3. *de remedijs contra obices virtutum.* 440

248. feria 4. *de quatuor signis eversæ tyrannidis vitiorum.* 443

249. feria 5. *de regni virtutis præstantia, & quatuor indicijs obtentæ virtutis.* 444

250. feria 6. *de alijs signis obtentæ virtutis.* 446

251. Sabbato. *Quomodo Beata Virgo in his excelluerit.* 449

252. Dominica 12. post Pentecost.

*De amore* DEI, *& proximi.* 450

253. Feria 2. *de documentis ad consequendum dilectionem* DEI. 452

254. feria 3. *Quomodo Christus D. eâ excelluerit in usu charitatis.* 454

255. feria 4. *de fructibus perfectæ dilectionis.* 455

256. feria 5. *de Amicitia.* 457

257 feria 6 *documenta ad eã fraternam charitatem, eiúsque gradibus, fructibus.* 459

25[illegible]. Sabbato. *Beata Virgo Magistra utriusq; Charitatis.* 461

259. Dominica 13. post Pentecost.

De

*De Abstinentia.* 462
260. Feria 2. *de Beneficentia.* 464
261. feria 3. *de Castitate.* 466
262. feria 4. *de Circumspectione.* 468
263. feria 5. *de Clementia.* 470
264. feria 6. *de Constantia.* 471
265. Sabbato. *Quomodo B Virgo in his virtutibus excelluerit.* 471
266. Dominica 14. post Pentecost.
*De contemptu seculi gnoma Evangelij praecipua.* 474
267. Feria 2. *de commiseratione, & operibus misericordiæ corporalibus.* 476
268. feria 3. *de operibus misericordiæ spiritualibus.* 477
269. feria 4. *de discretione in sectando perfectiora.* 480
270. feria 5. *de Docilitate.* 483
271. feria 6. *de Fide* 485
272. Sabbato. *Quomodo B Virgo in his virtutibus excelluerit.* 488
273. Dominica 15. post Pentecost.
*De Fiducia.* 489
274. Feria 2. *de Fortitudine.* 492
275. feria 3. *de gaudio spiritûs.* 494
276. feria 4. *de Gratitudine.* 496
277. feria 5. *de Humilitate.* 498
278. feria 6. *de Iustitia.* 499
279. Sabbato. *Quomodo B. Virgo excelluerit in his virtutibus.* 496
280. Do

280. Dominica 16. post Pentecost.
*De Liberalitate.* 497
281. Feria 2 *de Longanimitate.* 498
282. feria 3. *de Maceratione.* 499
283. feria 4. *de Magnanimitate.* 500
284. feria 5. *de Mansuetudine.* 503
385. feria 6. *de Modestia* 504
286. Sabbato. *Quomodo B. Virgo in his virtutibus exc lluerit* 506
187. Dominica 17. post Pentecost.
*De dilectione* DEI, *& ejus qualitatibus.* 507
288. Feria 2. *de ejus desiderio.* 509
289. feria 3. *de ejus actionibus.* 511
290. feria 4. *de observantia amoris divini.* 512
291. feria 5. *de proprietatibus ejusdem.* 514
292. feria 6. *de effectibus amoris divini.* 515
293. Sabbato. *Quomodo B. Virgo excelluerit in dilectione.* 517
294. Dominica 18. post Pentecost.
*De Obedientia.* 518
295. Feria 2. *de Observantia.* 520
296. feria. 3. *de Pace.* 521
297. feria 4. *de Patientia.* 523
298. feria 5. *de Paupertate.* 526
299. feria 6. *de Pœnitentia.* 528
300. Sabbato. *Quomodo B. Virgo in his virtutibus excelluerit* 530
391. Dominica 19. post Pentecost.

De

*De septem virtutibus gubernandi.* 531
302. Feria 2. *de Perseverantia.* 531
303. feria 3. *de Prudentia.* 534
304. feria 4. *de Pudicitia.* 537
305. feria 5. *de puritate cordis.* 538
306. feria 6. *de Pietate* 539
307. Sabbato. *Quomodo Beata Virgo in hi virtutibus excelluerit.* 54
308. Dominica 29. post Pentecost.
*De Religione.* 54
309 Feria 2. *de Securitate.* 54
310. feria 3. *de Simplicitate.* 54
311. feria 4 *de Sobrietate.* 54
312. feria 5. *de Solicitudine.* 54
313. feria 6. *de Spe.* 55
314. Sabbat. *Quomodo Beata Virgo in his virtutibus excelluerit* 55
315. Dominica 21. post Pentecost.
*De Studiositate.* 55
316. Feria 2. *de Taciturnitate.* 55
317. feria 3. *de Temperantia.* 55
318. feria 4. *de Timore.* 55
319. feria. 5. *de Veritate.* 56
320. feria 6. *de Virginitate.* 561
321. Sabbato. *de Zelo, & quomodo in his B. Virgo excelluerit.* 561
322. Dominica 22. post Pentecost.
*De via unitiva, & qui ad eam admittantur* 465.

323. Feria

323. Feria 2. *de Oratione.* 567
324. feria. 3. *de Meditatione.* 569
325. feria 4. *de Contemplatione.* 571
326. feria 5. *de decem attributis* DEI 572
327. feria 6. *de decem alijs attributis* DEI. 575
328. Sabbato. *de alijs decem attributis* DEI. 579
329. Dominica 23 post Pentecost.
De *alijs perfectionibus divinis.* 582
330. Feria 2. *de alijs perfectionibus divinis.*
331. feria 3. *de alijs perfectionibus divinis.* 588.
332. feria 4. *de alijs perfectionibus divinis.* 490 (594
333. feria 5. *de alijs perfectionibus divinis.*
334. feria 6. *de alijs perfectionibus divinis.* 596
335. Sabbato. *de reliquis perfectionibus divinis.* 599
336. Dominica 24. post Pentecost.
De *minis desolationis spiritualis.* 603
337. Feria 2 *de minis mortis.* 505
338. feria 3. *de minis judicij.* 607
339 feria 4. *de minis inferni.* 608
340. feria 5. *de æternitate pœnarũ inferni* 610
341 feria 6. *de causis tam horribilium minarum.* 613
342. Sabbato. *B Virgo præsidium contra omnes minas, earumque causas.* 615

343. De-

343. Dominica 1. Adventûs.
De *causis Incarnationis.* 61
344. Feria 2. Dominica 1. Adventûs.
De *decreto Incarnationis.* 61
345. Feria 3. Dominica 1. Adventûs.
De *executione decreti Incarnationis.* 61
346. Feria 4. Dominica 1. Adventûs.
De *ineffabili demissione* DEI. 61
347. Feria 5. Dominica 1. Adventûs.
De *ineffabili sublevatione hominis.* 61
348. Feria 6. Dominica 1. Adventûs.
De *jugi permansione cum* DEO, *qui quod sem assumpsit, nunquam dimisit.* 61
349. Sabbato Dominica 1. Adventûs.
De *Abstractione ab omni creatura, ut tu Matre Virgine omnes actus mei sint Vi ginei.* 62
350. Dominica 2. Adventûs.
De *quærendâ pace cum* DEO, *quia in Chris Spiritus unitus fuit carni.* 62
351. Feria 2. Dominica 2. Adventûs.
De *Aspiratione ad divinam unionem, qui Christus fuit Viator & Comprehensor.* 631
342. Feria 3. Dominica 2 Adventûs.
De *Resignatione in D. IESVM, qui fuit sin Patre & Matre.* 631
353. Feria 4. Dominica 2. Adventûs.
De *Postulatione conducibilium ad unionem cum Verbo infante & viro.* 633

354. Fer.

354. Feria 5. Dominica 2. Adventûs.
*De quærenda conformatione cum Verbo in carne patiente & glorioso.* 635
355. Feria 6. Dominica 2. Adventûs.
*De dilectione conformi dilectione Verbi in carne viventis ac morientis.* 636
356. Sabbato Dominica 2 Adventûs.
*De Renovatione Vnionis cum* D. JESV *moriente & resurrecturo.* 637
357. Dominica 3. Adventûs.
*De plenitudine Spiritûs Domini in Anima Christi.* 639
358. Feria 2. Dominica 3. Adventûs.
*De Sanctitate animæ* D. JESV. 640
359. Feria 3 Dominica 3. Adventûs.
*De plenitudine scientiæ* D. JESV. 642
360. Feria 4. Dominic. 3. Adventûs.
*De Animâ* D. JESV. *plena gratis gratis datis.* 645
361. Feria 5. Dominica 3. Adventûs.
*De appetitu* D. JESV *pleno sanctitate.* 646
362. Feria 6 Dominica 3. Adventûs.
*De carne* D. JESV. *plena sanctitate.* 647
363. Sabbato. Dominica 3. Adventûs.
*De bono libertatis, & primo actu meritorio* D. JESV 649
364. Dominica 4. Adventûs.
*De exuendis imperfectionibus.* 651
365. Feria 2. Dominica 4. Adventûs.

*De Ope-*

*De operationibus ad exemplum Christi p*
*ciendis.* 6

366. Feria 3. Dominica 4. Adventûs

*Quæ virtutes, ut impetrentur ab Angelis*
*scendæ.* 6

367. Feria 4. Dominica 4. Adventûs

*Quæ virtutes, ut impetrentur à Sanctis*
*scendæ.* 6

268. Feria 5. Dominica 4. Adventûs

*Quid præterea boni ad præparandas vias*
*mini cupiam.* 6

369. Feria 6. Dominica 4. Adventûs

*Quid amplius boni ad præparandas vias*
*mini cupiam.* 6

370. Sabbato Dominica 4. Adventûs

*Quæ virtutes à Regina Sanctorum, ut impet*
*tur poscendæ.* 6

371. De Nativitate Domini Nostri
JESV Christi. 6

372. Die S. Stephani.

*Quid sanctum Stephanum ad patiendum*
*maverit.* 6

373. Die S. Joannis.

*De triplici præsidio servandæ Puritatis* 66

374. Die sanctorum Innocentum.

*De 7. Visitationibus* D. JESV. *& nocte*
*transigenda.* 6

375. De S. Thoma Cantuariensi.

MEDITAT.

*Consecranda* DEO *omnes injuriæ futuræ.* 665

376. Infra Octav. Nativitatis Domini.

*Vita Religiosa est Martyrium.* 666

377. Die ultima Anni.

*De Signis profectûs in Scientia Sanctorũ.* 667

# MEDITATIONES PRO FESTIS.

378. In Dedicatione Templi.

*De beneficijs collatis in totam Ecclesiam.* 670

379. In Anniversario conversionis ad DEVM.

*De gratitudine pro beneficio vocationis,* 672

*IANVARIVS.*

380. De Conversione S. Pauli.

*De Conformitate cum* DEO. 673

*FEBRVARIVS.*

381. De Purificatione B. MARIAE Virginis.

*De Holocaustomate offerendo* DEO. 674

382. Die BB. Joanne, Paulo, & Iacobo, Martyr. Japon. Soc. JESV.

*De cruce ferenda.* 676

383. De

INDEX

383. De S. Matthia.

*Perimus, quia volumus.* 6

MARTIVS.

384. De sancto Josepho.

De *facili ad summam sanctitatem via.* 6

385. De sancto Joachimo.

De *fructu capiendo etiam ex malis.* 6

386. De Annunciatione B. MARIAE Virginis.

De *Puritate & Humilitate B. Virginis.* 6

MAIVS.

387. De SS. Philippo & Jacobo.

De *Via ad domum* DEI. 6

388. De Inventione sanctæ Crucis.

*Septem Mysteria revelata à Christo Nicod mo.* 6

IVNIVS.

389. De B. Aloysio, Soc. IESV.

De *tribus prærogativis B. Aloysij.* 6

390. De sancto Joanne Baptista.

*Fuit unus ex tribus Sanctis* DEO *summè ch ris.* 68

391. De SS. Petro & Paulo.

De *Officio boni Pastoris.* 69

IVLIVS.

392. De Visitatione B. MARIAE Virginis.

De *ejus erga Deŭ gratitudine pro se & alijs.* 69

393. De sancta Maria Magdalena.

De *bono dilectionis & devotionis.* 694

304. Die sancti Jacobi.

De *remedij cõtra defectibilitatem humanã.* 696

305. Die sanctæ Annæ.

*Quousodo fieri posſimus Gazophylaciũ* Dei. 698

306. De sancto Ignatio.

De *Victoria sui* 699

*AVGVSTVS.*

307. De sancto Laurentio.

*Tres virtutes sancti Laurentij miraculis majores.* 702

308. De sancto Stanisláo

*Quibus vijs tam citò iſte Sanctus evaſerit.* 704

309. De Assumptione B. Virginis.

De *Gloria B. Virginis.* 705

400. Pro tota, & infra Octavam Assumptionis B. Virginis.

De *Natura Contẽplationis, & ad eã medijs.* 707

401. De S Bartholomæo.

De *Oratione attenta, & modo.* 712

*SEPTEMBER.*

402. De Nativitate B. Virginis.

De *conſtantia in bene cœptis, & modo.* 714

403. De sancto Matthæo.

*De duplici pulſu, quo hominum corda movet Chriſtus.* 715

404. De sancto Michaële.

*De felicitate Angelorum, & noſtra propter eos.* 717

OCTO-

## OCTOBER.

405. De B. Francisco Borgia Soc. JESV
*De tribus actionibus hominis* DEO *dicati.*
406. Die SS. Simonis & Judæ.
*De mundi vanitate fugienda.*

## NOVEMBER.

407. Die Omnium Sanctorum.
*De septem Fontibus beatitatis.*
408. Die Fidelium defunctorum.
*De modo evadendi Purgatorium.*
409 De sancto Martino.
*De Libertate Spiritûs*
410. Die Præsentationis B. Virginis.
*De Consecratione sui* DEO *in Templum.*
411. Die sanctæ Catharinæ.
*De Studio dilectionis.*
412. Die sancti Andreæ.
*De tribus clavis, seu triplici causa crucem rendi.*

## DECEMBER.

413. Die sancti Francisci Xaverij.
*De victoria sui sine fine,*
414. De Immaculata Conceptione
De *adhærentia B Virginis* DEO.
415. De sancto Thoma.
*Quid obsit, quidve prosit fructus Communionis.*

# MEDITATIO I.

## De Circumcisione Domini.

*De fine, medijs, & praxi Christianæ perfectionis.*

### Oratio præparatoria de more.

ASpiciam Dominum catenâ legum nostrarũ vinctum, ejusq; nomen effusum; ut enim liquor in omnem figuram diffunditur, sic JESVS omnibus rodeũ volentibus. Petam esse cereus ad ecipiendam in me vitæ JESV effigiem.

*Considerabo* 1. Circumcisionem fuisse professionem legis; Dominum autem JESVM deo circumcisum, ut tam *Legali*, ex se ad justificandum inefficaci, onerosâ & inutili vitâ (ad Galat. 4.) quàm *Carnali* ex Adam corruptâ, saluti, & Spiritui Sancto contrariâ, omnisque omnino mali radice exclusâ, animaremur Spiritu Christi, propositâ nobis admonitandum Sanctitate Filij DEI *Qui servare vult, hanc ingrediatur viam*, inquit D. Augustin. serm. 47. de divers. Petam esse *sicut bonus miles Christi Iesu*, 2. Tim. 2.

*Consid.* 2. Media ad hunc finem esse Virtutes Domini JESV, quarum specimen hodie

dedit. Virtus 1. fuit *Obedientia*; cùm ch
etiam quâ homo, quòd de Spiritu San
conceptus, Auctor Legis, Monarcha univ
& Persona Dei esset, circumcisioni non sub
ceretur; sponte tamen pœnali præcepto,
náque Legi universæ, observatu difficilli
se subdidit. Virtus 2. fuit *Humilitas*, q
Innocentia Christi, circumcisionem, ma
festum peccatoris indicium, non respuit.
tus 3. fuit *Patientia*; in perferendo vul
inflicto, corpus ad id scienter aptando; q
alij infantes vulneris, cultrique apprehen
ne caruerint. Virtus 4 fuit *Charitas*,
sanguinem promptè fudit in pignus Red
ptionis, tempore suo exolvendæ.

*Cons* 3. Praxim esse harum Virtutum
citium. Si radix sancta & rami. *Humi*
propria virtus Christi est origo *Charit*
quia *ut Charitas detur*, *Humilitas mere*
inquit D. Bern. ep. 14. quoniam *humi*
Deus *dat gratiam*, ait D. Jac. c. 4. *Char*
quia liberalis, origo est *Paupertatis*; *pers*
*Charitas nulla cupiditas*; inquit D. Aug. l
q. 9. *Patientia* est origo *Castitatis*, juxta il
*Beati mites*, &c. Vt docet Cass. Col. 12.
*Obedientia est Mater omnium, custósq; virt*
ait D. Aug. Lib. 14. de Civit. Dei c. 1
quòd præcipuum obstaculum virtutum
mosque malæ radicem, voluntatem pr
aus

auferat: sive quòd ponat fundamentum omnium nostrorum meritorum; nihil enim apud Deum habet meritorum, nisi divinę voluntati conforme sit: Sive denique, quòd Obedientia sit specialis providentiæ divinæ indivisa comes. Quare, si apud Deum nova tantummodò valet creatura, Jesúque vita, Ambros. l. 2 de Abel & *prima voti gratia celeritas solutionis*, vota mea (si religiosus sum) reddam domino: Et sicut Deus se nobis dedit sæpius in Incarnatione, & in Sanctissima Eucharistia sine fine, sic DEO reddam me, nunquam toties, quin ex toto semper amplius *Melior est salvus homo, quàm quilibet homo.* Inquit D. Aug serm. 10. de Verb. Apost.

## MEDITATIO II.

## De Octava S. Stephani.

*Resistimus spiritui Dei ex amore proprio.*

ASpiciam persecutores S. Stephani, resistentes Spiritui Sancto. Petam hoc damnabile malum evitare.

*Cons.* 1 Quomodo ad supremum malitiæ gradum prolabuntur, quotquot DEO resistunt; quo enim res est nobilior, pulchrior, utilior, eò majore pœna & damno violatur, ac perditur. Nihil autem præstantius, nec utilius ductu Spiritûs Sancti, sine quo nunquã beati esse possumus; quia quæ Dei sunt, nemo

novit, nisi Spiritus Dei. Bene itaque ait Io-
bus c. 9. *Quis restitit ei*, quis ei se durum
pervicacem exhibuit, & *pacem habuit*? Pa-
Hebræis omne bonum significat, omni ergo
bono privantur, qui Spiritui Dei resistu-

*Cons.* 2. Verba D. Aug. *Cùm ergo vivit ho-
mo secundùm hominem, non secundùm Deum,
milis est diabolo; quia nec Angelo secundù
Angelum, sed secundùm Deum vivendum fu
ut staret in veritate.* l. 14. de civ. Dei c. 4.

*Cons.* 3. Originem tanti mali, sicut em
omnis mali causa in Christianitate est de-
ctus Spiritûs, sic defectionis Spiritûs cau
sunt appetitiones inordinatæ, ut qui alteri
aurum amat, servitutem ejus patitur, n
quòd eum diligat, sed aurum ejus: sic am
concupiscentiæ vel servitur DEO, vel adh
retur Sathanæ: quia quod per alterutru
speratur, ad id obtinendum amatur DEU
vel sustinetur dæmon. Nisi homini DE
placuerit, & ad vota hominis condescend
rit, Deus non erit homini. Itaque amor
ordinatus est dæmone edibilior, qui tan
modo est medium: At inordinatus affec
est principium, & finis mali lib. 6. c. 38 *Va
tali adhærent spiritui!* ait Dominus S. Brig
tæ. Actus renunciationis amori proprio fu
in Medit. 219. exemplo Christi semper, q
placita fuerunt Patri, facientis, & S. Steph

i, qui nihil DEO præposuit. *Colloquium* lenum odij, & excandescentiæ contra amo- emtproprium, ascendentem usque ad con- emptumDei. *Nisi homini Deus placuerit, Deus on erit.* Inquit Tert. in Apolo.

## MEDITATIO III.

## De Octava S. Ioannis Evangelistæ:

### *Secreta praxis assecurandi salutẽ suam.*

VIdebo currentes in odorem Dei omnes amantes salutis. Petam assequi hoc se- retum salutis, & regi spiritu DEI.

*Cons.* 1. Spiritûs nomine intelligi illud in- isibile (instinctum, judicium, intellectum ropensionẽ volũtatis) quo homo ad aliquẽ ctum humanum bonum, seu malum faci- ndum, vel omittendum, ab intrinseco, vel xtrinseco incitatur.

*Cons.* 2. Vnde Spiritus divinus est motio à EO vel proximè, & immediatè per tactum, piritualem suum, vel mediatè per Angelos, ggerunt enim nobis sæpe Angeli facien- a, vel fugienda: Vel per conscientiam no- ram: Vel per pondus virtutum, quas nobis fundit, ut secundum rationem, & virtutem va mus, quæ, quia solum bonum naturale test, accedit illi fides corda purificans, & aritas Christi urgens nos.

*Cons.* 3. Initia divinorum sunt jussiones

Prælatorum, exhortationes, lectiones, ex
pla bona, prospera, & adversa: parum
refert dignoscere, quando solus DEVS
mediatè moveat, quando mediatè, modi
stinctum bonum agnoscam, & ei obe
curem: sicut Ioannes, quem Dominus sic
luit manere, & Petrus, cui identidem ait
minus: Sequere me. Tu me sequere. (
*quium* de more: desiderando impense
rum instinctuum frequentiam, & effica
copiâ ardenter postulando, animúmqu
eas parando, discretâ quadam attention
Dominum cùm loqui voluerit, ne me
distractum, & foris vagantem inveniat,
affectibus compositum, cordeque mun
veniente verò Domino humiliter, & pru
ter procedam: humilitas erit in mei
ctione, ac vilificatione coram Domino;
dentia in intelligendo, ac ad usum diri
do verba Domini, non interrumpendo
cem Domini, & cùm non capiam, humi
lucem & veritatem ejus claram petendo
semper faciam grata Patri.

## MEDITATIO IV.

### De Octava SS Innocentium.

*De felicitate renuntiantium sibi, sequ*
*tium Deum.*

VIdebo Dominum Iesum celeriter ac
pu

ptare à Patre per Angelum evulgatum exilium, tam tenui argumento, quale est somnium. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Sicut res bona naturâ suâ, si immoderata, aut inordinata fiat, noxia efficitur, ut sanguis bonus, & necessarius, si nimi", morbos causat, vitam eripit; & calor naturalis bonus, & necessarius, si modum excedat, febres gignit: Sic amor proprius, si ordinatus sit, bonus, & ad conservationem sui necessarius; si non, malum est majus maximo, & est affectio inordinata sui, quæ nulla ratione habita humanis, & divinis utitur in proprium utile prorsus perversè, cùm nihil amandum, quia utile nobis, ibi finem ponendo, sed quia placet DEO. Ideò *plùs concupiscentia mundi, quàm substantia nocet*, juxta D Bernard. de omnium renuntiatione.

*Cons.* 2. Quomodo tota difficultas in servitio divino sita sit in extirpatione hujus inordinati appetitûs: quia amare DEVM opus est ineffabilis suavitatis. Sed priùs auferri debet humiditas, ut ligna ardeant, ejiciendũ carnale, terrenum, ut subeat cœleste, spirituale. Qui vult spiritum DEI in regno cordis sui plenè dominari, debet furiosum illum dæmoniacum (Marc. 5.) voluntatem propriam expellere: priùs Jonas navi ejiciendus, quàm sedetur tempestas: prius oportet

Herodem mori, quàm redire Christum. Nequit uniri voluntati Dei, quidquid ei contrarium, vel dissimile.

*Conf.* 3. Ad id faciendum me impelli felicitate obsequentiũ spiritui Domini: qui ad originem impeccabilitatis accedunt, qui magis spiritui divino subsunt: voluntas enim quæ per se regula est rationis, justitiæ, sanctitatis, non potest à recto declinare. Voluntas autem DEI talis est naturâ suâ, qualis et Beatorum ex gratia: quia repugnat summæ bonitati, quidquid à puritate alienum est; sed qui obedit spiritui divino, adhæret voluntati DEI: ad originem igitur impeccabilitatis accedit, quid hoc bono cogitari potest felicius? Offeram itaque me cum verecundiâ meæ vilitatis totum spiritui Domini, sicut obtulit eidem Christus. 1. Animam, ut eam Templum suum faciat, in unione sanctissimæ animæ ejus. 2. Memoriam, ut eam ab omni vanitate purificet, in unione pretiosissimæ ejus memoriæ. 3. Intellectum, ut eum luce fidei, & sapientiæ illustret, in unione intellectûs ejus. 4 Voluntatem, ut eam charitate repleat, in unione voluntatis ejus. 5. Sensus, ut ab eis inania removeat, & divino servire faciat, in unione ordinatissimorum sensuum ejus, tam internorum, quàm externorum. 6. Corpus meum, linguam, manus

pedes

pedes, ad laborandum pro eo, in unione virginei corporis ejus. 7. Totum me: & postulabo acceptari oblationem meam.

## MEDITATIO V.

## De Vigilia Epiphaniæ.

### *Indifferentia primus effectus rejecti amoris proprij.*

VIdebo D. Virginem, & Iosephum cum Parvulo ad omnem spiritûs divini nutum mobiles, euntes, & redeuntes. Petam eos assequi.

*Cons.* 1. Indifferentiam sempet attendere ad beneplacitum DEI: quia dignitas, beatitásque animæ non consistit in possessione donorũ Dei, sed quòd Deus sit cum illa contentus. Quicunque indifferentiâ plenâ caret, expositus est omni lapsui: quia omnis mutationis in amore DEI origo est non amâsse indifferenter, non fuisse paratum Deo auctore ad hoc relinquendum, vel assumendum.

*Cons.* 2. Perfectionem indifferentiæ esse, ũt quis sit ad omnia paratus, & simul propendeat ad actum heroicum, aut ad ea, quæ sunt acerbiora: ad omnia in Provincia officia, habitationes, &c. Et simul ad Indias: hoc enim sine illo nihil valet, illud sine isto non est perfectum.

*Cons.* 3. Indifferentiam tolli errore pu-

tantium esse quidquam amabile extra vo
luntatem Dei, cùm *nec paupertas, nec divitiæ*
*bonum*, ut ait D. Chrys. Homil. 67. ad pop.
in cap. 12. Lucæ in illa verba: *Congregabo*
*bona mea*, inquit: *Errat bona putans, quæ sunt*
*indifferentia, & media dicuntur*. Hinc deduc
Necesse est esse bonum, quod amatur: indi
ferentia bona non sunt: errat igitur, qui
diligit. Cùm itaque nemo falli velit, & so
Providentia Dei sit infallibilis, quod est p
pilla sine colore, tela sine plicis, hoc in pri
cipijs salutis, & sanctitatis mihi erit indif
rentia, cujus octo sunt actus. 1. ad pers
nas cujusque nationis, ingenij, honoris. 2.
munia speciosa, vilia, laboriosa. 3. ad lo
incommoda, habitationes ignobiles, insal
bres. 4. ad gradus in religione (si religi
sus sum) 5. ad injurias, delationes. 6. ad
nitatem, ægritudinem, vitam longam,
brevem. 7. ad consolationes, desolation
que spiritûs: ad quæ consecrabo me Deo
lectis cogitatione omnibus, quæ sunt ex
Deum: *melius it claudus in via, quàm cur*
*prater viam*. S. Aug. Ser. 25. de Verb. Ap.
*nihil interest nbi sitis in sæculo, qui extra sæcu*
*lum estis*. Tertul. lib. de
Patient.

## MEDITATIO VI.

## De Epiphania Domini.

*De perfectione, ejúsque gradu triplici.*

ASpiciam tres Reges in Regno virtutum singulos ternum munus, Deóque dignũ offerentes, quorum munera imaginem perfectionis exprimunt. Petam eos imitari.

*Conſ.* 1. Regnum virtutum, ſeu, vitam ſpiritualem, prout in *habitu*, eſſe gratiam, quæ gratum facit Deo, cujus in homine ſunt duodecim ſigna: frequentata contritio, voluntas non habendi, dudum non eſſe lapsũ, nunquam ſcienter deliquiſſe, nauſea ſublunarium, fervens Dei, & inimicorum amor, gaudium in Spiritu Sancto, & pax in virtutum ſtudio, animi tranquilla quies, appetitio mortis, ne ampliùs peccando diſplicere DEO poſſit, vel ut DEO citiùs fruatur, conſcientiæ propriæ teſtimonium, teſtificatio Spiritûs S. in nobis, quòd ſimus Filij DEI. Hoc Regnum virtutum, ſeu vitæ ſpiritualis, prout in *actione* conſiſtit, eſt bonorum operum exercitatio, quâ Deum propter Deum colimus: bona opera ſunt actus à virtute profecti, priùs præceptorũ, deinde conſiliorum.

*Conſ.* 2. Primum gradum vitæ ſpiritualis incipientium per *myrrham* indicari, & habere requiſita quinque. 1. gravia peccata

deserere 2. à levibus quoque peccatis abho
rere. 3. res externas, ut honores, contemp
re. 4. corpus castigare, & sensus mortifica
5. mortificare proprium judicium, & intell
ctum. Secundus gradus vitæ spiritualis, p
*aurum* indicatus, est proficientium, & hab
quinque requisita. 1. virtutes omnes acqu
rere. 2. bonum exemplum bene agendo o
mnibus relinquere. 3. Verbo, & opere re
docere. 4. omnibus per humiliratem se sub
jicere. 5. Patientiam inter detractores, in
sores, servare. Tertius gradus Perfectoru
per *thus* indicatus, similiter habet quinq
requisita. 1. familiariter in oratione cu
DEO agere. 2. nec in oratione, nec in lab
ribus consolationem quærere, sed solius D
beneplacitum. 3. omnia divina obsequ
ingenti fervore perficere, neque à diligen
simis in suis negotijs superari se sinere. 4. p
fectè in Dei beneplacitum se resignare, & si
ceriſſimè cum Dei voluntate concordare,
unus spiritus effici cum Deo, eum præsente
habere, & ei intellectu & affectu sine interm
sione cohærere. Hi sunt 15. gradus ad Deum

*Conf.* 3. Ex hac ordinatione sui solicit
ædificatione Proximi sociali, cultu Dei hum
li exoritur Perfectio, quæ est in Charitate D
sita, ex omnium vitiorum depulsione, omni
virtutum (prout possibile est in hac vit

acquisitione composita, & perfecta, cujus terminus est vita perpetuò duratura. Mediũ ex præcipuis Sanctissima Eucharistia, quam optabo sumere, ut Christum D. hodiè acceperunt Magi.

## MEDITATIO VII.

## Dies 2. infra Octavam Epiphaniæ.

### *Esse possibilem perfectionem.*

ASpiciam primitias gentium, ex mente D. Chrysost: Apostolicam, Christique vitam imitantium. Petam eos assequi.

*Conf.* 1. Vanas cogitationes eorum, qui sibi januam perfectionis clausam putant ob ignorantiam. At non scientia sanctum facit: inflari fortè non poteris, at poteris esse humilis, mansuetus, obediens, observans præceptorum Dei, & consiliorum.

*Conf* 2. Anne adversa valetudo, capitis, stomachi dolores, corporisque debilitas impediat? at patientia opus habet perfectum, & Apostolus dum infirmatur, fortior est.

*Conf.* 3. Jejunare, vigilare, corpus flagris & cilicijs affligere fors non potero? at patientiam habere potero, indigentiam necessariorum sine murmure ferre, divinæ voluntati me, & mea omnia submittere potero, Deum amare potero.

*Conf.* 4. An negotia, & curæ ab obedien-

tia

tia demandatæ, à perfectione me prohibe
ant? at perfectio non sola prolixa lectione
oratione, quiete, sed & labore acquiritur
Ex occupatissimis plurimi sanctissimi extit
runt. Laborabo ergo ex charitate, & obedien
tia, in occupationibus quod superfluũ am
putabo, quod profanum resecabo, quod di
storum dirigam, quod inquietum remov
bo, quod distractum colligam, quod tep
dum, ac triste, luce alacritatis & igne amo
ris succendam.

*Cons. 5.* Mentis ariditas, affectuum impe
tus, tentationum molestiæ, iter mihi ad pe
fectionem intercludant? at si lacrymæ, con
solationes, cœlestis lux, & cordis tranquill
tas fugerunt, non fugiet perseverantia, co
gnitio propriæ indignitatis, compunctio e
terior, culparum confessio, solidarum virtu
tum fervor, quæ sine consolationibus ad Sa
vatorem adducunt. Affectus moderetur bo
na voluntas, comprimat mortificatio, timo
Domini coërceat. Tentationibus resistend
est: non enim impediunt viam perfectioni
sed juvant resistentes ad eruditionem, ad hu
militatem, ad roborandum charitatem.

## Meditatio VIII.

### Dies 3. infra Octavam Epiphaniæ.

### *De puro DEI amore motivo ad perfe-*
*ctionem maximo.*

Aspi

Aspiciam Amorem Divinum omnia subijcientem sibiqúe attrahentem, petam eo inflammari.

*Conf.* 1. Sola conversio ad Deum felicem efficit, perficitque, ad quam obtinendam non incitamentum amore puro Dei efficaci'; semper enim causa superat effectum suum, quod si neglecti amoris Dei effectus pœnæ æternæ, & amati Dei effectus præmia æterna tam sunt vehementia motiva, ut ea impij maluerint non credere, quàm fide regi ad bonum, juxta illud D. Chrysol. ser. 147. *mundus perire maluit, quàm timere ne futurorum metu & expectatione cruciarentur.* Addit D. Chrysost. hom. 10. in 1. ad Timoth. 1. Hinc amor Dei purus tantò majus est ad omne bonum incitamentum, quantò causa est validior effectu suo. Nec est certius medium excogitabile ad resipiscendum, ad proficiendum, ad perfectionem obtinendam, quàm ferri puro amore Dei.

*Conf.* 2. Qui excluso motivo cœli & inferni, ea solo Dei puro amore operatur, is nulla cupiditate vel metu rei creatæ movebitur, omnia enim hæc collata æternis nihil sunt. Hinc sequitur, quòd, qui in servitio Dei non æquè promtus permanet, sive optatis privetur, sive adversis exerceatur, eum non egisse ex puro amore Dei, sed ex amore proprio adeo-

adeoque non servasse suum propositum.

*Conf.* 1. Deinceps sequi 1. eum qui puro amore Dei operatur, nõ labi in pecca quia, ut ait D. Augustinus, in ps. 79 *Om peccata duæ res faciunt in homine, cupidita timor.* Neutro horum affectu movetur, ex puro amore Dei agit. 2. talis homo niam obtinet, cujuscunque reatûs præte juxta illud: Luc. 7. *Remittuntur ei pecc multa, quia dilexit multum.* 3. erit in hac v imperturbabilis, quia nullo regetur affe inordinato: quid enim timeat vel speret, nec infernum, nec cœlum curat? talis n timebit damnationem in altera vita: cessa te enim causa damnationis neglectu amo Dei, cessat effectus ejus, damnatio. 5. nec mebit purgatorium, ubi tantùm expian actus & affectus pravi, qui hic non reperiu tur. 6. plus meretur ejusmodi, qui enim n agit propter meritum præmij, majus me tur præmium. 7 majorem habebit in co beatitatem æternam. Optabo radijs hu amoris ut vulnerer, febricitem, emoriar. morem tui solum cum gratia tua mihi d nes, & dives sum satis, nec aliud quidqua ultrà posco. ô Amor, ô charitas DEVS meus! Amorem jubes? da quod jubes.

M

## MEDITATIO IX.

Dies 4. infra Octavam Epiphaniæ.

### *De modo agnoscendi purum Amorem* DEI.

VIdebo potiorem Deum amantium partem nec unicum adhuc puri amoris actum elicuisse. Petam id agnoscere & evitare.

*Cons.* 1. Amor Dei comminantis à charitate ejicitur, utpote servilis: Amor Dei benefici non est amicitiæ, sed concupiscentiæ, utpote mercenarius: Amor Dei mihi dulcis, est amore proprio vitiatus. Quærit enim dulcedinem Dei, non Deum. Amor erga Deum amore me prævenientem trahentémque, est gratitudinis, attenditque ad bonum privatum. Denique amor erga Deum novis artibus mihi se despondentem, unientem, illuminantem, unicum se bonum esse meum demonstrantem, æquè fumo amoris proprij mixtus est: quis enim non amet ita pro se Zelantem Deum? Itaque multi, dum putant se aluè in amoris Dei studio processisse, reperiunt, se hucusque nec unicum puri amoris Dei actum elicuisse.

*Cons.* 2. Duplex remedium quod Deus adhibet, ut animam ad puritatem amoris Divini sublevet. 1. ostendit ei quàm imperfecte Deum amet, ut pudefiat. 2. sublevat illam

illam ad videndam infinitam Bonitatem D
cum perfectionibus suis infinitè amabilem
licet nullam transgressoribus pœnam fuiss
comminatus, licet nullum inde ad nos pr
mium resultaret: atque hinc oritur ille pur
amor Dei, quo Deus amatur, quia est, quia
Qui amor interruptus animam vulnera
frequentatus febricitantem efficit, Deoq
sic unit, lumine & affectu crescente, ut eod
quantum fas est, in hac vita fruatur.

*Cons.* 3. Modum agnoscendi, an puro
more Dei movear, esse, si non peccem de
beratè, quantumvis leviter, si nihil aga
passione animi inordinatâ, si (& hoc est c
ertissimum puri amoris indicium) tempore
latis quod haberi à Deo potest maximi, qui
quid tunc facio, idem absente omni solati
præsentre omni desolatione facerem, æq
libenter, imò libentiùs: quia si propter d
num Dei, libentiùs propter ipsum Deu
oportet agere, non sensibiliter, sed plenâ v
luntate, quantùm à gratiâ sublevor. Peta
debilitatem Spiritûs mei sublevari ad am
rem illum.

## Meditatio X.

### Dies 5. infra Octavam Epiphaniæ.

### *De septem excitatorijs ad perfectionem*

Aspiciam fervorem triũ Regum aspirantiũ
ad

ad perfectionis exemplar. Petam eos imitari.

*Conf.* 1. Perfectionem donum esse Dei, non tamen nostram excludere cooperationem, adeoque assequendæ perfectioni cooperandum homini esse, tũ desiderijs, tũ operibus.

*Conf.* 2. Excitari me ad concipiendum perfectionis desiderium. 1. ab æstimatione ejus. 2. scire, quòd temporalia non satient. 3. quòd spiritualia animo satisfaciant. 4. quòd Deus impensè velit, ut perfectionem quæramus. 5. quòd desiderium perfectionis signum sit inhabitantis gratiæ. 6. quòd non proficere sit deficere. 7. quòd ad perfectionem quærendam statûs obligatione constringatur quisque.

*Conf.* 3. An velim damnabilem civium Hierosolymæ desidiam imitari, qui alijs iter ad Deum ostendebant, ipsi illud negligebant: similes fabris arcæ Noë, qui alijs, ubi evaderent, præstiterunt, ipsi diluvio perierunt: vel lapidibus, qui viam ostendunt, nec ambulant: an potiùs velim sequi tres Reges, qui Dominum virtutum adhuc non viderant, & jam parati erant mori pro eo. Donabo, me Domino, cujus sum titulis infinitis, præsertim verò (si religiosus sum) quia mihi votum Paupertatis injecit, renovabo illud, & offerã Deo omnia externa temporalia: Quia votum Castitatis dedit, renovabo illud, &

offe-

offeram cum eo corpus meum: quia votum Obedientiæ concessit, repetam illud, & offeram cum eo animam meam, jamque mea alienum, sive Dei judicabo, rogans, ut is rei sui curam gerat, egoque vicissim eum ut Dominum meum respiciam. Orabo, ne me hanc donationem rescindere patiatur Dominus.

## MEDITATIO XI.

### Dies 6. infra Octav. Epiphaniæ.

### *De triplici virtutum genere in Christo.*

ASpiciam Dominum IESVM magno varioque virtutum ornatu fulgentem. Petam eas assequi.

*Cons.* 1. Magnum virtutum ornatum, de quarum actionibus ait Ioannes capite ultimo, quòd *si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros:* qui modus loquendi licet sit figuratus, uti & ille Ioann. 12. *Ecce totus mundus post illum abit*, non tamen est excessivus, sed multò inferior qualitate, & quantitate virtutum D. IESV, quia, si ejus operationes considerentur ut divinæ, quæ sunt comprehendere, & amore infinito amare Patrem, spirare Spiritum S. quis Angelorum vel unicam hanc Christi actionem explicet libris etiam infinitis?

*Cons.* 2. Operationes Christi Theandricas,

Dei-

Dei viriles, partim divinas, partim humanas, ut fuerunt miracula, institutio Sacramentorum, & similia, quæ faciebat ut homo, sed gubernatus à divinitate, cui unitus erat: quæ lingua majestatem actionum ejus eloquetur?

*Cons.* 3. Operationes Christi D tertij generis humanas, ut erat loqui, ambulare, comedere, dormire, quæ præcisè ut humanæ explicarentur facile: verùm si aspiciantur ut factæ à Christo D. ductu spiritûs, internæ prudentiæ, charitatis in Deum, dilectionis in proximum, reliquíque virtutibus exornatæ, non est homo, qui eas eloquatur: quia singula Christi acta fiebant spiritu tam sublimi, in virtutis gradu tam heroico, per omnes circumstantias tam exquisitè perfecta, ut nullus omnino sufficienter ea intelligat, verèque dixerit Simon de Cassia l. 4. c. 1. *Tota Deifica erat vita ejus.* Decernam omnia mea acta operibus tam virtuosis Christi semper unire, ipse pretium eorum intelligit.

## MEDITATIO XII.

## Dies 7. infra Oct. Epiph.

### *Vita spiritualis teneat locum primum, naturali secundum.*

ASpiciam tres Reges relictâ vitâ naturali, quasi viâ præterita, supernaturali tantùm, cælestíque intentos. Petam eos imitari

*Cons.*

*Conſ.* 1. Sicut qui naturæ ex Adamo lap ſuggeſtiones ſequitur, in pejus ſemper ver juxta illud Eccl. 7. *Quid nequius, quam q excogitavit caro, & ſanguis?* Sic qui gratiæ ſtinctibus fertur, it ſemper in melius, eſſ difficultate quavis mâjor, ut ait D. Aug 4°. de verb. Dom. *Non ſunt filij DEI, qui aguntur ſpiritu DEI: ſi autem ſpiritu DE guntur, pugnant*

*Conſ.* 2. Cùm naturæ ex Adamo corru inſtinctus ſit malum: bonum verò ſit inſ ctus gratiæ: uti ſummo in odio habend eſt id, quo nihil eſt nequius, nimirum car & ſanguine, & quæ ipſi excogitant, ſic ſum amore proſequenda eſt gratia, Deiſque m ratio, deſideranda, atque in ea gauden ex toto.

*Conſ.* 3. Quonam ego ferar impetu, an nis, an ſpiritûs? id quod intelligã ex actio bus meis, & regulis diſcretionis S.P. Igna

## Meditatio XIII.

## Dies 8. Epiph. Domini.

*Noſtrâ culpâ à fine aberramus.*

ASpiciam Dominum vocantem, me nuentem. Petam abire à me.

*Conſ.* 1. Dominum causâ mei in par lum infantem mutatum: vocantemque ſe, & volentem congregare pullos ſuos: adverto me nolentem,

*Conf.* 2. Ideo mihi illum bene velle, quia est medicus ad sanitatem, dives ad opulentiã, fons ad satietatem, omne bonum, ad sui communicationem mihi præstandam. Hæc est causa cur de cœlo descenderit.

*Conf.* 3. Ideóne ego ad Deum accedere nolo, ne saner infirmus? ne diteſcam egens? ne siti tabescens satier? ne omni bono replear destitutus omni bono? si aliam causam meliorem assignare nescio, vel mente careo, vel fide, Deum sequi nolens. Iterabo colloquiũ medit. 5. & 8. factum, rogaboque conformari DEO meo: quod fiet, si fuero 1. ejus sapientiâ imbutus. 2. amore donatus. 3. opere perfectus. 4. patientiâ roboratus. 5. Perseverantiâ completus.

## MEDITATIO XIV.

## Dominica I. Epiphaniæ.

### *Deus Incarnatus exemplum obedientiæ.*

ASpiciam DIESVM obediendo MARIAE & Iosepho vitæ Evangelicæ tirocinia ponentem. Petã lumen, & gratiam eũ imitandi.

*Conf.* 1. Obedientiam esse promptam hominis voluntatem ad implendam voluntatem alterius, scilicet præcipientis.

*Conf.* 2. Incitamenta ad Obedientiam 1. quia est janua charitatis in Deum, & ad omnes virtutes, earumque sine ullo errore perfectio-

fectionem. 2. quia obedientia homini pr
stita propter Deum est major, majorisque
moris Dei, quàm obedire immediatè Deo
quod licet ex parte objecti sit nobilius, illu
tamen ex parte subjecti est præstantius: qu
bene sequitur: Obedit homini propter De
ergo magis obediet Deo: non autem e co
trario, ut constat experientiâ. Sicut igit
major est virtus servire pauperi, quàm ser
re Christo, sic & obedire homini plus v
tutis requirit: DEVS autem magis am
quod est virtuosius. 3 Nihil sub Sole ho
stius, utilius, & delectabilius est homini, q
dare gustum DEO, posse mereri apud Deu
Christumque imitari, Deo Patri semper ob
dientem, statim ab incarnatione, quan
ingrediens in mundum dixit, Psal. 39. *E
venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Mu
di redemptio fuit opus excelsum, non tam
propterea venit Filius Dei, sed quia Pater v
luit. 2. In utero obedivit edicto Augusti.
In circumcisione, ut nobis obediendi virt
tem commendaret, inquit Beda. . In Pu
ficatione, ubi juxta S. Cyrill. Legis condit
sicut Deus, legem custodit ut homo. 5.
fuga in Ægyptum & reditu. . Hodie, sub
ijciendo se Parentibus usque ad annum 1
& adhuc Sacerdotibus in consecratione Ve
nerabilis obedit, sæpe deterioribus Caiphæ
sumiturque à pejoribus. Co

*Conſ.* 3. Quibus odijs inobedientiam velim perſequi? 1. eam, quæ eſt reſpectu DEI, & Superiorum. 2. reſpectu rerum. 3. reſpectu mundi: quia ſuprema inobedientia eſt Deo in levibus, intolerabilis autem, quæ ex contemptu. Deinde quibus amoribus velim proſequi Superiorem etiam errantem, etiam malum, reſque à Superiore præceptas, conſilia, inclinationes ad ardua? quóve modo, quâ voluntate, & judicij ſubjectione, quàm promptè, fortiter, humiliter, celeriter, perſeveranter: & quo fine, atque conformitate cum DEO, reverentiâ, gratitudine, imitatione Chriſti, docentis admirabilem in SS. Euchariſtia obedientiam, atque exercentis?

## MEDITAT. XV.

## Feria 2. Domin. 1. Epiph.

### *De obediendi neceſſitate.*

ASpiciam D. IESVM viam obedientiæ præeuntem. Petam eum imitari.

*Conſ.* 1. Neceſſitatem obediendi ex natura deduci humana, quæ ſine ſocietate conſtare nequit, ſocietas autem ſine conjunctione voluntatum, & hæc ſine unione judiciorum non conſtat: ſicut nec inter eos, qui privatis commodis facta, conſiliaque ſua metiuntur, humana ſocietas eſt durabilis. Uni igitur alicui è primis gubernatio dan-

da, uni voluntates reliquæ ſubijciendæ hæc ratio eſt ex parte hominum, quos, ut te liberos, nemo ad ſubjectionem, niſi litas inde manans, cogere poterat.

*Conſ.* 2. Cùm innumera, quibus exp ſumus pericula, viribus providentiáque ſtrâ evadere non poſſimus: fluida enim natura humana, omne autem humi malè terminatur in proprio, bene in ali ſine quo ſemper diffluet. Cæcutire circa na longè eſt periculoſiſſimum, plus plures vident uno. Artifex niſi animo uat exemplar, errabit à regula: hæc au regula, & oculi, & exemplar, & extre ſolidum eſt Deus, ad cujus ſimilitud factus homo per ejuſdem voluntatem r marj, & per efficax auxilium liberari de quod fit per obedientiam: Deus enim or in menſura, numero, & pondere diſponit igitur ordinem, ordo autem in conceptu includit obedientiam.

*Conſ.* 3. Niſi velim periculoſiùs, quàm nas naufragari, juxta illud Orig in c. 8. M *Soli homines Deo reſiſtunt, & ideo in judicio minabuntur* Subijciam me illi poteſtati, nixus ſuperior, quod ordinat, eſt voluntas neceſſariò ſancta: quæcunque itaque ea cam inferunt, bonæ ſunt; quæ ei obſiſtu malæ. Nolo eſſe ſicut naues onerariæ a

mo

mobiles, vel paralytica membra ad capitis imperium immota; sed sicut globi sphærici solo halitu mobiles: nec patiar, ut me superent famuli, ad fores Dominorũ exeubantes, aut universim homines, propter utile terrenum pessimis quibusque se subijcientes.

## MEDITATIO XVI.

## Feria 3. Dom. 1. Epiph.

*In obediendo rationem spectans & non auctoritatem, tollit è mundo obedientiam.*

ASpiciam Dominum IESVM in obediendo non rationem spectâsse, sed auctoritatem. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Inobedientem esse, qui obedien-di rationem quærit: quia pereunte ratione formali Virtutis perit virtus: ratio formalis obedientiæ est potestas Dei in superiore, cui resistentes damnationem sibi acquirunt, vel saltem obedientiæ virtutem perdunt, viles animæ, subijcientes se Prælato, quem non habent loco Christi, in quo semper Deus gubernans spectãdus est, quia excepto peccato, quidquid Superior ordinat, nunquam potestate suâ excidit. Errant igitur, qui rationem in obediendo spectant, sicut erravit, qui requirebat Genes. 3. *Cur præcepit vobis Deus?*

*Cons.* 2. Sicut phantasiæ, si paululum cedas, mirum quantum illi accedit audaciæ:

fic imperia Superiorum non esse confirma
da quæsitis argumentis ex persona super
ris privata ortis, sapiente, &c minimè aut
ex re quæsitis rationibus; propterea qu
omnis obediendi difficultas oriatur ex
amore, vel odio inordinato, ut patet ex d
re ob rem acceptã subsequente, vel impo

*Cons.* 3. Posse me rationes obedie
quærere, desumptas ex obedientiæ virt
insinuatas medit. 14. pun. 2.

## MEDITATIO XVII.

## Feria 4. Dominicæ 1. Epiph

### *Quid debeamus Præsidi?*

ASpiciam D. IESVM dantem Super
bus suis tria: Reverentiam, obsequi
fidem. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Debere me Superiori veneri
nem: quia Dominus ait sibi fieri, quod
statur Superiori. Venerationem conci
virtus, ætas, res gestæ: sed super omnia,
in Superiore spectatur, Deus.

*Cons.* 2. Debere me Superiori obsequi
etiam dyscolo: quia etiam in tali est D
mandans, cui obedimus: obsequium e
est facere, quod alteri placet.

*Cons.* 3. Debere me Superiori fidem:
enim in Superiore auctoritas DEI. Sicut
sem natura coërcuit visum, ne audiat, au

tum, ne videat, sic intellectus noster coërceri debet, ne rationem Superioris, sed auctoritatem Dei attendat, propriam Superiori, non quà est à DEO, vel quà est imago Dei, sed ratione potestatis à Deo sibi collatæ, Deóque propriç, qui in libertatem humanam sibi auctoritatem soli servavit, & jus tantùm Superiori communicavit. Obedientia non est durabilis sine conformitate voluntatum, neq; hæc sine conformitate judiciorum, neque hæc sine fiducia stare potest; fiduciam autem suadet divina Providentia, quæ cùm facilè posset impedire omnẽ Superioris ordinationem, dum non impedit, ob causas æquissimas id facere consenda est; cui quò ampliùs obedivero, Deum fideliorem experiar, qui se in materia virtutis non sinit superari. Bonorum dominorum est fidelibus servis adesse, solus Deus bon°, eiq; obedientes servi fideles. Hinc sũma laus obedientiæ ab actu ejus difficiliore, videlicet intellectûs subjectione, Amor proprius excæcat; amor DEI oculos humanæ rationis excæcando clarificat oculos spiritûs.

## MEDITATIO XVIII.

### Feria 5. Domin. 1. Epiph.

*Quid agendum, si erret Præses?*

ASpiciam Dominum IESVM obedientem

etiam errantibus Principibus Iudæorum*audit*, p
Petam eum imitari. per vo

*Conf.* 1. Difficilè persuaderi errare Sup Provid
riorem, cùm in manu Dei sit cor Regis, Sup sicut, s
riorumq; res bene interpretandæ sint: n erroris
si senior, non decet me juniorem de eo fe lem) o
judicium; si par, illi Deus magis assiste cunque
junior, unde scio, quòd minor sit ipsi as quòd D
stentia Dei, quàm mihi seni mea prudenti utile,
Periculosũ est, de servo alterius judicare, certum
quit D. Hieron. Epist. 99. quid de Superio *Conf*

*Conf.* 2 Posse quidem errare Superiore Superi
quia in naturaliter agentibus creatis, præs ille in
tim homine, datur error, & pravitas, ma licebi
mè cùm multis multa credenda sint: verù juvare
error in Superiore tantùm materialis e rorem
quia ubi errantibus medijs DEO dirigen acqui
ad bonum finem pervenitur, intermedia il in pro
formaliter non sunt errantia: talis est, si a institu
cidat error Superioris: quia est pars Pro stat pr
dentiæ Dei, quæ in sui dispositione non err non li
sed ad meliorem, quàm nos optare possimu justâ,
finem omnia dirigit. Quare tutiùs ille excide
parte Superioris error, ex parte autem D dienti
providentia acceptabitur, quàm revelati nolo a
Angeli: quia hæc fallere potest, ille aute sperin
error fallere non potest: siquidem de Supe fracta
rioris ordinatione habeo promissam assisten sic af
tiam Dei dicentis Luc. 10. *Qui vos audit, me* virtut

*audit*

læorum *audit*, præsertim religiosus, traditione sui Deo per votum Obedientiæ factâ, novo titulo ad Providentiam Dei specialem susceptus. Itaq; sicut, si mihi Deus causam revelaret permissi erroris, eidem (nisi impudenter agere vel eo ipso eidem) obedirem: sic tutissimè obediam cuicunque erranti Superiori: quia de fide est, quòd Deus dirigat errorem, in quo est certum utile, contrarium autem errori non est utile certum.

*Cons.* 3, Quomodo me gerere debeam Superiore manifestè errante: vel enim error ille in damnum erit alterius personæ, & tum licebit (non quidem coram simplici, vel qui juvare nequit, sed coram alio Superiore) errorem manifestare, ut corrigatur, eidemque acquiescere: quòd si sit sine damno alterius, in propria causa non est de facili appellatio instituenda: quia unus Superior ut plurimũ stat pro altero. Nolo causam agere, quã mihi non licet velle in finem deducere: quâ, licet justâ, quàm facilè verbo elabente perturbato excidere possum? nolo perdere nomen obedientis, & virtuosi: nolo spoliari merito, nolo auxilijs è cœlo destitui ad ferendum asperius, quod plerumque talibus obvenit refractarijs. Novum genus patientiæ est ab alio sic affligi, ut affligens non offendat. Plus in virtute habeo dignitatis, quàm de mea po-

tuerim perdere. Nolo queri de denario rep
tito, qui centuplum accepi, & in spe vitæ
æternam.

## MEDITATIO XIX.

## Feria 6. Dom. 1. Epiph.

### *Quid agendum, si sit malevolus Præs*

ASpiciam D. IESVM subjectum etiam m
levolis Superioribus utriusq; statûs, E
clesiastici, & secularis. Petam eum imitari

*Cons.* 1. Si superiorem ab errore, quantu
fieri potest, excusare debeo, multó ma
à suspicione malitiæ debebo liberare.
enim constet, malum esse Superiorem: q
tuor hic attendenda erunt. 1. Persona, cu
est rationem reddere Deo pro subdito. 2. Pe
sonæ facta, quæ si mala, non continuò p
palanda, monet D. Greg. 3. Vitiosa gub
natio: & zelabo, sed coram eo, qui juva
potest. 4. Si mala moralia præcipiat, abs
nebo: quia obedire Deo oportet magis, qu
hominibus. Act. 5. Interea cogitabo ha
mihi positam in cœlum viam: Beati qui lu
gent: putabo eâ mihi conditione venale
esse sanctitatẽ, placandúmque Deum, si ma
la publica lugeã, ut fusè docet S. Bern. Ep. 87

*Cons.* 2. Quòd si non sint mala moralia,
sed malitiosum imperium, obediam tamen
sicut reus, cùm tenear vel in hac, vel in alter

vita

vità Deo satisfacere pro meis quibuscunque erratis: observabo duplici officio fungi Superiorem, cui succenseo. 1. Vice suâ, quâ malevolus est, sed sine ulla omnino efficaciâ, quæ à Deo solùm habetur. 2. Vice divinæ Iustitiæ, cujus licet ignarus instrumentum est, ut Attila Europæ, Vandalus Africæ, Nabuchodonosor Iudææ ultores, & flagella: non feram molestè Dei ministros: mallem bonos, sed quis sum ego, ut legem ponam Deo? malitiam malus puniat, peccatum peccator, ingratus animus ingrato plectatur: expiandis malis tolerantia major est efficacior, virtutique perficiendæ aptior. In persecutione à Semei David ita se solabatur, quòd non sit potestas nisi à Deo, quódque digna factis recipiat, & quidem infra demeritum: rebus enim suis libenter domini parcunt. Deus Adamũ morte consummatâ punire debuit, punivit inchoata.

*Cons.* 3. Quòd si pravitas Superioris immerito mihi accidat, habeo exercitium virtutis, exemplum Patientiæ perfectæ dandi: nec primus hanc viam eo, præcessit Petrus Martyr, Mariana, Chrysostomus. &c. injuriarum à Superioribus tolerantissimi. Affectu in transversum ducitur, qui in ferientem hominem, non sanantem Deum oculos conijcit,

## MEDITATIO XX.

### Sabbato Dom. 1. Epiph.

*Quid agendum, si Deus tantùm se permissivè haberet?*

AVdiam D. IESVM appellari filium fabri & fabrum, seu mechanicum. Petam ab eo qui ejus obedientiam & subjectionem.

*Cons.* 1. Quòd, peccato tantùm excepto, reliqua omnia erroris, malaque physica Deus simpliciter velit per se (sunt enim objectum simplicis complacentiæ Dei, quia bona simpliciter) vel per accidens, ut volendo Iustitiam, vult pœnam: & quia permissio tribuitur Deo effectus: Non enim permitteret, nisi velet: excepto semper peccato, ad quod aspicere Deus non potest: fieri autem potest ea dem res Deo displicente, & placente sibi in eadem sub diversa consideratione: ita displicet peditio hominis, quâ creaturæ, placet, quâ satisfit Iustitiæ, & ut ait D. Basil. Epist. 165. quid quid adversi contigit innocentibus, Iobo Tobiæ, Iosepho, Christo, volente Deo accidit: ideo statuam nunquam admittere displicentiam circa Providentiam Dei.

*Cons.* 2. Obedientiam esse pignus prædestinationis: prædestinatio enim oritur ab illo actu, à quo pendet perseverantia, quæ potissimùm in eo sita est, in quo quis maximè periclita-

iclitatur: sed non est majus periculum obedienti, quàm refragari arduę de se ordinationi; unde nolle sequi obedientiam, est nolle sequi media, quæ Deus dat ad salutem & sanctitatem. Hinc duxit originem reprobatio Saulis, licet sacrificantis; Iudæorum, licet zelantium, & media salutis quærentium, sed ex capite proprio: ad Rom. c. 9. Gentium autem salus, quia ex Dei voluntate media salutis acceperunt. Hinc de Religionum & Vocationum desertoribus æstimari potest.

*Conf.* 3. Quidnam me ab obedientia impedire possit, & videbo esse superbiam: quia, quidquid ago, vel sit ad placendum Deo, vel mihi, vel alijs: sed inobediens non vult placere Deo, cui non vult gustum dare, sed sibi, quæ est detestabilis superbia, amorque sui ascendens usque ad contemptum Dei. Ego verò, si Dei amore usque & infra belluas dejiciar, quid tandem fecero, quando Deus hominem induit, & infra eum factus est? hominis enim cum cæteris est quædam, at Dei cum homine nulla prorsus comparatio, adeò ut vel Deum ad hominem accessisse, vel hominem ad Deum evectum esse, infinitæ sit & potestatis, & humilitatis, uno complexo eas res, quæ infinitè distabant, arctissimè unientis. Ab hac dejectione quantùm disto, quacunque demum infamiâ notatus! præ-

sertim cùm apud Deum nihil perdam, et tumque sit, viam ad cœlum esse *per infami & bonam famam*, 2. Cor. 2. Notabo mi verba D. Bern. Hom. 1. super Missus: *Vtri stupor, utrinq; miraculum, & quòd Deus fœmæ obtemperet, & quòd Deo fœmina princip eur. Disce homo obedire, disce terra subdi, di pulvis obtemperare.* Deponam ad sanctũ al re pedũ B. V. omnia de obedientia propos

## MEDITATIO XXI.

## Dominica 2. Epiphaniæ.

### *De præceptis Christi audiendis, & persolvendis.*

AVdiam sapientissimum Dei matris m nitum: *Quodcunque dixerit vobis, faci* Petam illud assequi.

*Cons.* 1. Monitum B. Virginis plenum s pientiâ: Sicut enim sũma veritas nihil, quo falsum, revelare potest: sic neque summa b nitas quidquam dicere, vel præcipere, quo malum sit. Itaque quæcunque præceperit velut certa, & nullo modo fallentia salutis virtutisque consequendæ media accipienda sunt.

*Cons.* 2. Teneri ad hoc non tantùm ho mines, sed etiam Angelos, quà viatores, ut judicium suum voluntatemque propriam abnegent, & Deo præcipienti se opere subijci-

ant

ant: quia qui ad finem naturâ meliorem elevatur, debet per media fini proportionata, naturámque excedentia velle finẽ obtinere: atqui nec intellectus humanus, nec Angelicus per se ipsos sufficiunt ad illa media obtinẽda, quòd sint supernaturalia, sicut est finis.

*Conf.* 3. Et odisse statuam, quidquid repugnat voluntati Dei: facere autem bonum, cogitatione, verbo, & opere: præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Decalogi observare singillatim: quod mihi nolo fieri, non faciam: quod mihi volo, alteri præstabo: præcepta Ecclesiæ sapientissimæ & optimæ matris custodiam: statutis religionis (si religiosus sum) & votorum parebo: Prælatorum mandatis obtemperabo: divinásque inspirationes excipiam eo affectu, quo sitientissimus calicem manu tenet, & ebibit, quantumque eo inebriatus sim, intelligam ex D. Augustino in Ps. 103. *Inebriamini, sed videte unde: si vos inebriat calix Domini præclarus* (in SS. Eucharistia) *videbitur ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore Iustitiæ, videbitur postremò in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in cœlum, ubi nuptiarum tempus, locúsque proprius.*

## MEDITATIO XXII.

### Feria 2. Dom. 2. Epiphaniæ.

### *De differentia præceptorum Evangelij, à Lege veteri.*

Au-

AVdiam D. IESV legem præstantiorem lege veteri. Petam eam essequi.

*Cons.* 1. Differentiam novæ legis ab omni alia, quòd finis aliarum legum sit delicta punire: lex autem Evangelij punit principia, & origines delictorum; ut si oculus scandalizat te, non dixit: scandalizavit, sed antequàm scandalizet, antequàm pecces, causam peccati abscinde. Ita docuit non jurare, ne pejeres: ut enim mentiri non potest, qui non loquitur, sic nec pejerare, qui non jurat. Amabo tam præstantẽ legem, quâ *nos principia punimus scelerũ, alij fines.* Naz. orat. in Iuli.

*Cons.* 2. Cur dicat D. IESVS: Non veni solvere legem, videlicet, quòd lex tollatur, vel ut abrogetur nomen Legislatoris, vel ipsa lex: neutra fuit causa sufficiens ad tollendã legem Decalogi: qui eam dederat, fuit ipse Deus, qui loquebantur, Prophetæ. Hinc illa confirmatio Decalogi ad vitam ingredi volentibus contra insanos hæreticos. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

*Cons.* 3. Quomodo D. IESVS venerit adimplere legem, id est, perficere: quia variæ erant veteribus permissiones, ut divortium, pluralitas conjugum, &c. quæ jam perficiuntur: erat unum solummodò templum, Sacerdotes tantùm de tribu Levi, jam ubique gentium colitur Deus, & ad hoc ordinantur qui-

quicunque digni: præterea datur gratia implendi, quæ præcipit Christus. Sicut autem vetus lex cærimonialis non obligat nos: quia veniente figurato umbræ disparent, *finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti:* Rom 10. Sic lex Evangelij nos non obligabit in cœlo: quia habito fine cessant media. Itaque ut accéleretur regnum Dei, quodcunque mihi Dominus dixerit, alacriùs faciam.

## MEDITATIO XXIII.

## Feria 3. Dom. 2. Epiph.

### *Ordinatur potentia concupiscibilis.*

AVdiam D. IESVM præcepto negativo concupiscentiam coërcentem: *Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem*, &c. Matth. 5. Petam ejus doctrinam assequi.

*Cons.* 1. Quomodo Dominus concupiscentiam opum, quæ resistit saluti, rescindat: quia cor à cœlestibus aufert, animum à Fide abstrahit, & ad idola convertit: procedit enim à spiritu mammonæ, Diabolo opum. Hic ille lapis est offensionis Iudæorum dicentium, Ioan 11. *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem*: adeò repugnat servire Deo, & mammonæ. Itaque resecanda est inordinata rerum solicitudo, ejusque causa, quam affert D. Chrysost. Hom. 21. in c. 6. Matth. *Nihil ita ad amorẽ divitiarum, ut gloriæ cupiditas inflammat.* *Cons.*

*Conſ.* 2. Quomodo Dominus concupi
ſcentiam carnis reſecet præcepto negativo,
tanquam ſaluti obſtantem: quia origo præ-
cepti negativi eſt propter auferenda obſta-
cula ſalutis: amor autem carnis tollit amo-
rem Dei, cui ex toto opponitur. Sicut igitur
in idololatria ſunt vetita omnia idola, aurea,
& lignea: In homicidio mutilatio, & percuſ-
ſio: In furto rapina, & ſacrilegium, atque
uſura: ſic in luxuria omnis actus externus, &
internus eſt interdictus: quia committitur
contra Deum, coram Deo, in templo Dei.
*Non licet intueri, quod non licet concupiſcere*
ait D. Greg. Lib. 21. Moral. c. 2.

*Conſ.* 3. Differentiam in reſiſtendo ali-
ſpiritibus nequam, & ſpiritui immundo, eſſe
quòd tentatus adverſis, ſi fugiam, obtinet in-
tentum dęmon: hoc enim voluit, ut difficul-
tate me deterreret: ſed in materia carnis, niſi
fugâ mihi conſulo, obtinet intentũ dæmon:
Hoc enim voluit blandiendo, ne fugiam,
cujus ad blanditias niſi avertor, fateor ſatis,
eas mihi placere. Quare ſicut, qui Eccleſiam
non audit, reſcindendus, & quod ſcandali-
zat reſecandum: Sic omnis libidinis vicini-
tas amputanda exemplo Chriſti, quem Diſ-
cipuli mirati ſunt vel ſemel cum Samarita-
na, etſi in loco patente, ſolum fuiſſe collocu-
tum, Ioan. 4. id quod faciam, eſto mihi ali-

quid

quid tam charum esset, atque pupilla oculi: Nam quis magis negavit, qui Christum vexatus, an qui delectatus amisit? Memor D. August. Serm. 32. *Qui dat pro medica delectatione illud, pro quo Christus se tradidit, stultum reputat Christum mercatorem.*

## MEDITATIO XXIV.

## Feria 4. Dom. 2. Epiph.

### *Ordinatur potentia irascibilis.*

AVdiam D. Iesum præcepto negativo iram coërcentem, Petã præceptũ ejus assequi.

*Cons.* 1. Potentia irascibilis inordinata, quia tollit amorem, qui debetur proximo, ordinatur vetando non solùm odium, sed etiam iram triplicẽ, calumniæ, verbi, cordis, quando quis optat puniri proximum indebito fine, repugnante honori Dei, & charitati proximi, quæ ira censetur lethalis, estque causa multorum malorum, imprecationis, blasphemiæ, odij, cui meritò debetur gehenna, quæ tristitiam significat, ira autem ex tristitia oritur.

*Cons.* 2. Infelicissimum illum duorum Theologorum Concionatorum Regulariam casum, quem refert Marsilius Honoratus. Parte 2. vit. Chri. cap. 45. è Chronic. S. Franc. Erant sibi offensi, unóque moriente, & deprecatum mittente ad alterum, cùm istẽ nol-

let,

let, sed infirmum persequi usque ad finem vitæ vellet: hoc super responso infelix infirmus iram lethalem renovavit, in eáque mortuus, & damnatus est. Horribili deinde umbrâ comparens altâ voce illum se esse fassus nuper in odio defunctum Theologum Prædicatorem, salvandum, nisi irremissionem alterius offensæ odium renovâsset. Quocirca vivum continuò secum ad inferos rapuit, ubi ambo iris sine fine in se mutuò sæviunt.

*Cons.* 3. Non minùs infelicem casum inter Nicephorum & Sapricium, quando veniam petenti Nicephoro, Sapricius dare nolens fidem perdidit, Sanctus autem Nicephorus Laureolâ Martyrij coronatus est. Verè igitur ait D. Chrysost. in c. 13. Matth. *Odium spiritus est tenebrarum.* Audiam Psalmistam Psal. 36. *Desine ab ira*: & magis D. Iesum, de quo Tertullianus Lib. de Pat. c. 2. *Nihil de impatientia hominis imitatus est.*

## MEDITATIO XXV.

### Feria 5. Dom. 2. Epiph.

### *Ordinatur potentia rationalis voluntatis circa gloriam.*

AVdiam D. Jesum vanam gloriam coërcentem. Petam doctrinam ejus assequi.

*Cons.* 1. Vanam gloriam semper esse vitium inter omnia carnalia subtilius: est enim

hostis

hostis occultus, aspis venenata, latens latro, piscis Ionæ, mulier decepti-ix, elephas Eleazarum necans, Iudas osculo tradens: quia ambitioni semper immixta est vana gloria: *charitas* autem *non est ambitiosa*: 1. Cor. 13. honor enim est reverentia facta personæ in testimonium excellentiæ, & virtutis ejus; Atqui nulla excellentia nec virtus hominis est ab homine, sed à DEO donatore: *quid habes quod non accepisti?* 1. ad Cor. 4. Nemo igitur potest gloriari tanquam de proprio, sicut nec de veste alterius: ideo Aug in Psal. 136. ait, quòd vana gloria sit opus manûs sinistræ vanum, & malum.

*Cons* 2. Mercedem in cœlo perdi vanâ gloriâ: Quia is debet solvere, qui laborem præcepit, is præmium dare, propter quem justitiam facimus: qualis finis, talis actio: à fine enim pendet bonitas, vel malitia operis, qui actionem specificat: ideo dicitur: Matth. 6. *Receperunt mercedem suam*: & Luc. 16. *Recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Quid stultius est, quàm pretiosa vendere nihilo, congregare in sacculum pertusum; currere, sed extra viam.

*Cons.* 3. Quàm variè vana gloria committatur. 1. ex parte rei, ut si quis gloriari velit de virtute, quam non habet. 2 si de re exigua, nec digna, ut est de coma aurea, &c.

3. si

3. si de de vitio, cùm malè fecerint. 4 si re non refertur ad Deum, ut datorem. 5. sino refertur ad bonum proximi, propter quem donum illud datum est. Reflectam me a intentiones meas, & propter illum solum o mnia faciam, de quo ait D. Chrysost. in Matt hom. 19. *Ipse te prædicabit Deus tuus orbe pre terito*: ille nimirum, qui dixit Ioan. 8. *Si eg quæro gloriam meam, gloria mea nihil est.*

## MEDITATIO XXVI.

## Feria 6. Dom. 2. Epiph.

### *Ordinatur potentia rationalis intellectiva circa juramenta.*

AVdiam D. Iesum prohibentem jurare te merè, Petam ejus prohibitionem assequi

*Cons.* 1. Iuramentum non esse intrinsecè malum, cùm ipse Deus juraverit, Gen. 22. Luc. 1. Apoc. 10. nec per se esse bonum semper, aliàs nunquam vetaretur.

*Cons.* 2. Duplicem esse veritatem, increatam, & creatam, & hanc voluisse Deum ordinari ad illam, ideóque vetuisse juramentum propter reverentiam veritatis æternæ: sed neque velle nos jurare per creatam, ut in ea increata semper resplendeat. Itaque prohibetur juramentum per omnem creaturam, & nominatim cœlum, terram, Hierosolymam, caput, quibus juramentis obnoxij erant Hebræi:

bræi: quia nemo potest exponere in pœnam, quod non est suum: & quia actus juramenti est actus Religionis, & quidem latriæ, soli igitur Deo debetur. Quod autem his abundantius est, à malo est, id est, à dæmone mendacij Patre, ut explicat D. Chrysost. homineſque proni ad mendacium facilè perjuriū committerent, cujus fiebant rei etiam idololatræ, Sap. 14. licet erroneâ conscientiâ.

*Cons.* 3. Cùm juramentum sit velut medicina, quæ tantū ex necessitate est bona, aliàs noxia, ut bonum sit juramentum debet fieri cum justitia, quia in malo non obligat juramentum: debet fieri cum veritate, quia falsum sit perjurium: debet fieri cum judicio, nec temerè, nec sine urgenti necessitate. Reflectam me, an verè audeam dicere: *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ:* Psalm. 118. & quomodo, si quæ vovi Deo, expleam,

## MEDITATIO XXVII.

## Sabbato Dom. 2. Epiph.

### *Præmia observantibus, pœnæ negligentibus præcepta Domini.*

ASpiciam D. Iesum manu dextrâ observantibus legem suam præmia porrigentem, manu sinistrâ pœnas negligentibus minitantē. Petā esse ex observantibus legē Dei.

*Cons.* 1. Divini Legislatoris potestatem: cùm

cum enim nemo audeat ad legem Dei addere, vel ab ea tollere quidquam nisi solus Deus legis Dominus: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Deut. 4. Christus autem Dominus abstulit omnes figuras, ut Sol tenebras, & addidit legi perfectionem, ita ut ipsa perfectio præcepti sit præcepta *Nisi abundaverit justitia vestra &c.* Matth. 5. Hinc constat Christum D. Deum esse.

*Conf.* 2. Minas, & pœnas violatoribus legis inflictas: quia tripliciter Christi præcepta solvuntur, vel ijs non credendo, vel ea non observando, vel alios in errorem ducendo, quibus omnibus Matt. 3. 4. 6. 7. 25 minatur exilium a cœlo, carcerémque inferni: ubi eos triplici ordine collocat: alij vocantur *minimi*, qui docent, & non faciunt, minimi non in Regno cœlorum (sed in Ecclesia adhuc militante, quæ etiam aliquando vocatur Regnum cœlorum) quia si delinquant in ijs, quæ graviter obligant, in cœlo nō erunt, quales erant Pharisæi, qui dicebant, & non faciebant, id quod duplicis fuit iniquitatis, simulando, & se corā hominibus justificando, Luc. 16. ubi minuta quædam ad superstitionem usque observabant graviora legis relinquebant, judicium in causis, misericordiā in Pauperes, fidem in Deum, Matt. 23 jejunabant, & orabant, dabántque eleemosynas ex

vana

vana & damnata gloria, propter quam nec fidem Dei admittebant, unde audierunt: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Joan. 5. Alij vocantur *minores*, qui nec faciunt, nec docent. Tertij vocantur *infimi* omniũ, qui malè faciunt, & docent.

*Cons.* 3. Promissa, & præmia observantibus legem Dei: datur enim ijs vita æterna, & in cœlo duplici ordine collocantur. 1. loco sunt *magni: Qui fecèrit & docuerit magnus vocabitur.* Matt. 5. 2. sunt parvi, qui tantùm fecerunt & non docuerunt legem Dei, quibus etiam Dominus ait: *Pater reddet tibi*: quid illud? cogitari potest, dici non potest. *Colloquium* de more, præsertim ad B. Virg pro tã sancto consilio: *Quodcũq; dixerit vobis, facite*: Joã. 2. renovatis hujus septimanæ propositis.

## MEDITATIO XXVIII.

## Dominica 3. Epiph.

### *Quomodo ad SS. Eucharistiam accedendum.*

VIdebo Centurionem coram D. JESV se humiliantem. Petam eum imitari in accessu ad SS. Eucharistiam.

*Cons.* 1. Verba Centurionis: *Domine*, inquit, *non sum dignus*: ob defectus naturales, quia natura mea infinitæ tuæ, nullius indigæ, & absolutè perfectæ impar est. 2. ob peccata,

cata, & abusus omnium potentiarum. 3. effectus peccati, qui sunt: propensio ad m lum, aversio à divinis, passionum motus co trà rationem, habitus mali, turpitudo a mæ, vermibus, ulcere, cadavere, leprâ, co tagione, cloacâ sordidioris. 4. ob præs tem indignitatem, & imperfectiones, & ind spositionem, reliquáque obstacula. 5. obd stantiam à perfectione Sanctorum homin Christi, & Dei, quem accepturus sum.

*Vt intres:* quia non sum dignus stare co te, quem toties offendi, quantò minùs intres ad me. 2. non sum dignus cogitare te mente tã fœdatâ, quãtò minùs te intra recipere. 3. non sum dignus tangere te, qui sum pejor Ozâ, & tu melior, quàm Arca: no sum ita tui amans sicut Magdalena, cui men dixisti: *Noli me tangere* Joan. 20. n sum utille Seraphin, qui nudâ manu nol tangere carbonem. 5. non sum dignus asp cere te, ut Bethsamithæ, qui aspicientes A cam ultrà quinquaginta millia occisi sunt te, quantò minùs ut intres.

*Sub tectum*, quod est tanquam stabulum plenum sordibus, & aspidibus venenatis, spe lunca latronum verior, quàm templum, ho spitium dæmonũ, pejus inferno, in quo nemo peccat demeritoriè: ego autem plenus cogi nationibus contra te novi semper reatûs.

*Meum*

*Meum*, possessione naturali, quam nec merui, nec mereri potui, quia non fui in mundo priusquàm illa mihi data esset: tot lapsibus fœdatum, tot donis spoliatum: ita meum, ut nulla creatura possit sibi usurpare me nolente, ut gratiam & gloriam te adjuvante mihi propriè mereri possim.

*Sed tantùm dic verbo*: tam efficaci, quàm fuit illud, quo creâsti omnia, quo Lazarum suscitâsti: tam salubri, quo Paralytico peccata remisisti: tam extirpativo, sicut illam sicum arefecisti: tam fœcundo, sicut sunt fructus centesimi: tam læto, quo nomina nostra in cœlo scripsisti: tam pretioso, quale fuit, de quo scriptũ: Et VERBVM *caro factum est*. Jo. 1

*Et sanabitur*: à peccatis præsentibus, & præteritis, ab imperfectionibus, à malis habitibus, ab inordinatis passionibus, à tentationibus periculosis, ab omissione multorum bonorum, ab inconstantia in bene cæptis, à defectu profectûs in virtute continui.

*Anima mea*, à te creata, a te redempta, verâ fide imbuta, toties in peccatis tolerata, toties post peccata justificata, toties SS. Sacramentis refecta, tot auxilijs adjuta, à tot malis animi, corporis, fortunarum liberata, totidémque malis præservata: tot beneficijs naturæ & gratiæ dicata, ad gloriam cœlestem vocata, à te denique tam diu in tuo servitio conservata.

## MEDITATIO XXIX.

### Feria 2. Dom. 3. Epiph.

*De cavendo errare in negotio salutis.*

AVdiam Dominum JESVM dantem sui necessariam cautionem inter tot errorū tenebras existentibus. Petam eam assequi.

*Cons.* 1. Quantùm nocet credere ignaræ viæ, falsis literis, monetæ fictæ, alterum tantùm nocet credere errori, in salutis præsertim negotio: quia effectus sequuntur naturam causarum: veritas autem & error sunt ficut arbor bona, & mala, una quæque juxta genmen suum fructus proferens: illa bonos, hæc pessimos, quos decerpserunt, quotquot contra dictamen conscientiæ egerunt serò æternùm ingeminantes: *Ergo erravimus.* Sap. 5. Dicam cum Psalmista: *Deus meus illumina tenebras meas* Ps. 17.

*Cons.* 2. Originem errorum procedere ab hominibus ipsis, servientibus vel affectui vel Regibus, hoc est, cupiditati inordinatæ, vel respectibus humanis: quas utrásque tenebras D. JESVS lux mundi, cui repugnat error, triplici modo dissipat: præceptis, consilijs, & inspirationibus, quæ semper tendunt ad melius. Petam humillimè mihi pandi thesaurum Veritatum æternarum, & margaritas politiæ cœlestis pro quarum una omnia vendenda

denda sunt: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, &c.* Ps. 42.

*Cons.* 3. Subtiles quosdam errores, sub ratione veri contectos. 1. Putantium se rem bonam fecisse, ut Saul: *Imò audivi vocem Domini.* 1. Reg. 15. 2. Utentium titulo puritatis, us Achas: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Isai. 7. 3. Volentium ineptè imitari Sanctos, ut Jephthe Abrahamum. 4. Recusantium honorifica pertinaciter, ut Petrus lavari pedes. Joan. 13. 5 Præferentium necessitatem, ut Saul necessitate sacrificans, postmodùm audire debuit, stultè se egisse. 6. Prætextus charitatis, ut ille silentij tempore infirmum loquendi gratia visitans, à Crucifixo audivit. *Non placet mihi ista charitas.* 7. Prætextus devotionis, ut ille habens donum lacrymarum in officijs culinæ, è quibus ut devotioni vacaret, liberari petens, dono lacrymarum spoliatus fuit, deinceps non recuperato. Hi septem errores, quia ex inordinato appetitu etiã circa res sanctas procedunt, facilè persuadent arborem amoris proprij errorum originem radicitus evellendam.

## MEDITATIO XXX.

## Feria 3. Dom. 3. Epiph.

*In omnibus non meum commodum, sed Dei beneplacitum quærendum.*

ASpibiam D. JESVM Manu, oculis, or in cœlum intentum, eóque me excitan tem. Petam ei obsequi.

*Cons.* 1. Si regnum Dei est gloria DEI be nedicti, is quæret primùm regnùm DEI, qu bonnm opus intentione bona fecerit. Inten tio optima omnium est, si cujus principium medium, & finis fuerit per IESVM. Hæc optima omniũ occupatio consequendi bo na, quæ sunt in Christo, *de cujus plenitudi omnes accepimus.* Ioan. 1. Nullum enim bonum, quod ab eo non procedat: nam con siderati in statu naturæ lapsæ, omnia bon spiritualia habemus à Christo quà homine, per cujus humanitatem ea nobis omnia di vinitus est operatus.

*Cons.* 2. Ut in omnibus Prima intentio mea sit regnum, seu gloria Dei per Christum obtinenda, necessarium est antè, ut abnegem gloriam meam, & gustum, imò & me ipsum; quia bona intentio extirpat omnem inordi natam amoris proprij appetitionem. Qua res, cùm sit in vita Christiana omnium diffi cillimum bellum domesticum, impellam me ad renunciandum mihi, & quærendam pu ram dloriam Dni in omnibus, eò amplius, quò præstantior est finis medijs: melior est enim sanitas, quàm medicina, sapientia qui studium, messis quàm aratio, victoria quam

prælium, portus quàm navigatio, dominus ædium quàm domus, bona corporis quàm bonæ fortunæ, bona animi, quàm bona corporis, bona gratiæ, quàm naturæ, bona cœli, quàm terræ, bonum denique supremũ Deus, cui collata reliqua omnia nec bona sunt, nec pulchra sunt, nec sunt. Unde concludam cum S. Laurentio Iustiniano, Lib. de casto connub. c. 6. *Stupeat cœlum, clamet terra & omnis creatura, miretur, quòd hominem plùs alliciat creatura, quàm conditor, plùs labor, quàm requies, plùs mors quàm vita*, plùs media, quam finis.

*Cons.* 3. Quânam praxi regnum Dei in omnibus per Christum quærere possim. Certum est, quòd virtutes non sint omnes meriti æqualis: ut enim plùs est expugnâsse hostem, quàm mensam Principis bene instruxisse, sic Deus magis æstimat actum heroicũ, quàm abstinentiam unius diei. Itaque major virtus majus efficiet meritum: *major autem est charitas* 1. Cor. 13. in hac me exercebo unicè, ut faciam omnia Dei amore, quia est, qui est: juxta illud D. August. in Ps 26. *Quidquid mihi vult dare Deus, auferat totum, & se mihi det*: hoc simplici oculo totum corpus operum lucidum & gloriosum erit, ut esse debet; quia ex mente D Ambrosij, ser. de Asc. D. *Ideo Christiani facti sumus, ut semper de futuro sæculo, & æterna beatitudine cogitemus, plùs pro animæ quã pro corpore laboremus.* ME-

## MEDITATIO XXXI.

### Feria 4. Dom. 3. Epiph.

### *Quomodo via ad cœlum sit arcta, & tamen lata.*

ASpiciam D. IESVM ad quæstionem inu tilem (si pauci salventur) tacentem sed, quod magis erat necessarium, iter ad sa lutem ostendentem. Petam illud assequi.

*Cons.* 1. Si regnum Dei est cœlestis be titudo, ad eam intratur per angustam po tam: quia præcepta naturalia propriæ just tiæ non sufficiunt, sed necessaria est Fide Dei. Et hæc via arcta est. 1. Quia præcipit credere difficilia valde, omne rationem humanam superantia. 2. Quia non minùs difficilia facere præcipit, ut sunt pœnitere subijci, abnegare se, diligere Deum ex toto in omni virtutum genere exercere; propte ea quòd ad regnum gloriæ non eatur, nisi per regnum justitiæ, seu virtutis: virtus autem versatur circa difficile & arduum, idque non nisi per Christum: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur*; Ioan. 10. ostium valde humile, ut nisi efficiamur sicut parvu li, non simus intraturi per illud in regnum cœlorum. Verè igitur: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Grandis violentia in terra genitos cœlũ quæ-

rere,

rere, & possidere per virtutem, quę non tenuimus per naturam, inquit hîc D. Hieronym.

*Cons.* 2. Quomodo Dominus tam arduũ præceptum attemperet, nominando totam vitæ Christianæ difficultatem portam angustam. Angustam quidem, sed portam: quia in porta non sistitur, sed transitur ad domũ: arcta via, sed non civitas: strictum iter, sed non mansio; angustus transitus, sed non portus. Unde manet, jugum Christi esse suave, & onus leve, plenumque requie: quia onus præsens collatum ponderi æternæ gloriæ est momentaneum; quia gustatâ requie spirituali, suave fit omne asperum: quia omnia sæva & immania propè nulla efficit amor, qui angustam portam in progressu dilatat: quia animosior fit miles, cùm videt Principem labores admirantem: quia Luc. 13. alterius vitæ bonis multi serò provocati, quærent intrare, & non poterunt. Stultissim' igitur sit, qui itineris difficultate perterreatur.

*Cons.* 3. Ad quatuor capita difficultates superandas reduci. 1. Respectu operis. 2. Respectu naturæ fragilis. 3. Respectu pravæ consuetudinis. 4 Respectu tentationis. Reflectam me ad præteritas difficultates meas, ex his quatuor fontibus ortas, quomodo me in ijs gesserim, & deinceps gerere velim, si quę orirentur, impressis altè memoriæ verbis Do-

mini, Matth. 7. *Intrate per angustam portam quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.*

## MEDITATIO XXXII.

## Feria 5. Dom. 3. Epiph.

### *De præcepto gratiæ gratum facientis.*

ASpiciam parvulum, qui symbolum est innocentiæ, à D. IESV ad imitandum propositum. Petam gratiam gratum facientem unicè necessariam.

*Cons.* 1. Triplicis generis homines mundo admirandos. 1. Prophetas. 2. Miracnlorum patratores. 3. Dæmonum ejectores: nihilominùs ignibus æternis ex ijs adjudicandos: quia gratias quidem gratis datas ad aliorum non propriam utilitatem ordinatas habuerunt, sed gratijs interea gratum facientibus caruerunt, de quibus ait D. Chrysost. hom. 25. in Matth. *Sed & ille, qui fide multa etiam splenduit & claritate signorum, nec tamen aliquid in vita boni operis exercuit, à cœlestibus similiter januis repelletur.* Addit S. August. Tr. 2. in Ioan. Epist. *Si confiteri vultis & non amare, incipitis dæmonibus similes esse, qui confitebantur filium Dei, & repellebantur.*

*Cons.* 2. Quidnam sit quod impediat homines

mines quò minùs se aptent ad gratiam gratum facientem obtinendam, qua nihil utilius: quia ex omni malo transfert ad omne bonum: nihil dignius: quia filios Dei efficit: & videbo ideo ad amiciam Dei non pertingere, quia in via se detineri patiuntur: agrestes, nutritione conservari vitam quietã, & commodam contenti: cives, sensualem, & opulentam: nobiles, gloriosam, & voluptuosam: Religiosi, qui non ex motivo charitatis & timoris Dei, sed suis particularibus agunt, stultorum labore affligi, donec amicitiâ Dei excludantur.

*Cons.* 3. Si error, mala consilia, concupiscentiæ me adduxerunt, reducet lex, sancta, consilia, à Deo inspirata desideria. Eluatur culpa contritione, pœna mortificatione: &, ut ait D. August Ser. 15. de verb. D. *Tolle te, tolle, inquam, te, à te, impedis te; Contemne spiritum tuum, accipe spiritum Dei.*

## MEDITATIO XXXIII.

### Feria 6. Dom. 3. Epiph.

*De præceptis Evangelij respectu proximi.*

VIdebo stellas, Lunam, non diei præesse, sed nocti: quia lumen justorum non coram Christo, sed coram hominibus fulgere debet. Petam intelligere quænam proximo debeam.

*Conſ.* 1. *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc eſt enim lex, & Prophetæ* Matt. 7, Id cum proportione ordinis intelligendum circa res licitas, debitas, ac honeſtas. Hinc omni petenti te tribue quod juſtè & honeſtè potes, vel donando, vel ſaltem præſtando: Hinc non judicandi, nec condemnandi alij: corripiendi fraterne delinquentes. Notandum tres difficulter corrigi. 1. Princeps, quia propter auctoritatem putat ſibi omnia licere, ideo ita laudatur David, quòd à Nathan ſuſceperit correptionem. 2. Doctus: quia eſt promptus ad excuſandum & defendendum errorem. 3. Homo ſpiritualis: quia putat ſe eſſe ſufficienter illuminatnm. Modus corripiendi eſt, tollere antè defectum proprium, poſtea alterius.

*Conſ.* 2. Præceptum de dilectione inimicorum, ſitum. 1. in actu interno, quo ſyncere volo ſalutem eius. 2. in actu externo, quo benefacio odientibus me. 3. in actu interno & externo orando pro ijs, de primo ait Dominus: *Diligite inimicos veſtros:* Matt. 5. de ſecundo: *Benefacite his qui oderunt vos*: Luc. 6. quia probatio dilectionis eſt exhibitio operis, quando ad ſalutem ejus eſt neceſſaria: de tertio; *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*, ut vel convertantur ad bonum, vel non profundiùs damnentur. Si quis dicat:

Ca-

Calumnia turbat sapientem, ei respondendum, sed calumnia non turbat amantem. *David, præceptum Evangelicũ (si reddidi retribuentibus mihi mala) spiritu prævidit, virtute prævenit,* inquit D. Ambros. præfatione in Ps.

*Cons.* 3. Præceptum eleemosynæ ad quatuordecim capita reductum, ad septem opera misericordiæ spiritualia, & septem corporalia. Si propter opera misericordiæ corporalia neglecta Christus D. tam severum judicium facturus est, quæ tantùm ex minimis præceptis Christi sunt: Quid erit de præceptis majoribus, quale est inimicos diligere: plus enim est inimico ignoscere, quàm eleemosynam dare.

## MEDITATIO XXXIV.

### Sabbato Dom. 3. Epiph.

### *De Architecto sapiente, & stulto.*

PRoponam ante oculos duplicem Architectum: sicut eos describit Christus D. Sapientem, & stultum. Petam isto evitato illum imitari.

*Cons.* 1. Achitectus prudens est omnis ille, qui subijcit se legi Evangelicæ: Quia prudentis est consultare circa meliora, & seligere utiliora saluti, quod non fit sine observatione legis Evangelicæ ideo comparatur Architecto propter varietatem omnium

virtutum exercendarum: Præcepta enim Christi non sunt in una sola operatione: præterea nisi ad finem educatur, ædificium non dicitur. Vt autem solidum persistat, requiritur examen in rebus agendis, ne quidpiam fiat temerè: Vera sui humilitas, in Deum resignatio: Quia *Confidentes in Domino sicut Mons Sion, non commovebuntur in æternum.* Ps. 124. Solidius igitur est ædificium spirituale, quàm materiale, quod pluviæ, venti, flumina dijciunt: illud autem nec desuper illati honores, nec Voluntatum flumina, nec spirituum malignorum venti possunt evertere, ædificium supra petram Christum Dominum. 1. Cor. 10.

*Cons.* 2. Vocari stultum, qui audit Verba Christi, & non facit ea, ut fuit Iudas, Simon Magus, & quorum non est numerus, qui etiam multa pro Christo passi ad extremum culpa sua fidem cum operibus perdiderunt. Quid enim insipientius, quàm desidem esse, ubi de animæ discrimine, de cœlestis Regni amissione, de immortalibus supplicijs sustinendis agitur? bene igitur stultis comparantur Architectis, quia amore proprio fabricæ magistro, viriorum omnium adminiculo construunt Babylonem.

*Cons.* 3. Verè beatâ animã esse, quę divinitus de pluvia cœlesti & fluminib' gratię, & vento

Spi-

Spiritùs S. repleta extra numerum eorum est, de quibus ait Apost. *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, carne consummamini*, ad Gal. 3. Rogabo Deum, ut quidquid in me est ex Babylone, funditus evertat, accinentibus Angelis: *Cecidit, cecidit Babylon.* Apoc. 18.

## MEDITATIO XXXV.

## Dominica 4. Epiph.

### *Quæ tentationes impetant incipientes servire Deo, & quidem de segnitie.*

ASpiciam fluctuantem naviculam & in ea periclitantes. Petam intelligere primam in vitæ Christi cursu procellam.

*Cons.* 1. Unum ex primis periculis navigantibus ad portum salutis æternæ per viam purgativam esse malaciam, seu segnitiem, cujus causa triplex est. 1. inscitia: quâ quis vitę spiritualis sublimitatem non agnoscens, putat se minima aut nullâ diligentiâ ejus apicem tenere posse, & ideo laborare non curat. Hanc tollam æstimatione perfectionis, & præmiorum, quæ cùm immensum in sublimitate pondus habeant, non poterunt à jacentibus & otiosis, aut sine magno labore comprehendi.

*Cons.* 2. Alteram causam segnitiei esse falsam tranquillitatem ex tentationum defectu, quâ incipiens depositio pondere pec-

catorum sibi jam, ut in portu collocato, nihil reliquum agendum esse existimat. Quam causam tollam depositâ fiduciâ, & tranquillitate, ex doctrina S. Hyeronymi ad Heliodorum: *Erras, frater, erras, si putas unquam Christianum persecutionem non pati.* Tunc maxime oppugnaris, si te oppugnari non sentias. Adversarius noster tanquam leo rugiens aliquem devorare quærens circumit, & tu pacem putas? 1. Pet. 5.

*Conf.* 3. Tertiam causam esse solere sectam quandam, vel non rectam conversionem, quâ quis v.g. seculum reliquit, non tam ut mores mutet, quàm ut alium præpostetum finem assequatur. Hæc causa emendatur conversione denuo etiam in eodem statu, quem quis arripuit, ex desiderio sanctitatis incipiendo. Et hic est ille somnus hodiernus tempestatis causa: nam, juxta Bedam, dormit Dominus, cùm negligentiùs agimus. Si, ut ait D. Cyrillus, non erat possibile perire existente cum eis omnipotente, ego Dominum in Venerabili sumendo hac malacia perire non potero fervens. Si corpus Domini fuit cervical divinitatis, juxta D. Hieron. offeram cor meum in cervical Domino.

## Meditatio XXXVI.

### Feria 2. Dominicæ 4. Epiph.

### De nimio fervore.

Vide-

Videbo alterum scopulum, fervorem nimium naufragia excitantem. Petam intelligere ejus causas, & evitare.

*Cons.* 1. Alterum periculum navigantium viam purgativam esse nimium fervorem, cujus causa triplex esse solet. 1. nascitur fervor nimius ex amore sui, quo quis præteritorum peccatorum fœditatem agnoscens, à pœnis pro illis debitis se quàm citissimè desiderat expedire. Hoc morbo laborantes meminerint, quidquid obtulerint DEO, sale condiendum esse.

*Cons.* 2. Alteram causam nimij fervoris oriri ex timore Purgatorij, pro quo longo vult per breves temporales pœnas satisfacere. Hic nôsse oportet, pœnas non immoderatâ corporis afflictione, sed prudenti sui oblatione ex gratiâ majori ex parte solvendas esse.

*Cons.* 3. Tertiam causam fervoris nimij esse fiduciam de suis viribus, & non in adjutorio Dei, quibus solis se putat perfectionis arcem obtinere posse. Hîc sciendum, non in fortitudine equi, aut tibijs viri arcem perfectionis conscendendam esse, sed timore potiùs, & amore Domini.

## MEDITATIO XXXVII.

### Feria 3. Dom. 4. Epiph.

*De memoria seculi, & antiquæ vitæ.*

Vide-

Videbo tertium scopulum navigantium per viam purgativam. Petam intelligentem memoriam seculi malam, eamque evitare.

*Cons.* 1. Quomodo memoria seculi, antiquæ libertatis, honorum, voluptatum, divitiarum, commoditatum, soleat uno agmine irruere, & quasi quòd relinquantur, sine quibus vitam impossibile est agi. Sic blanditias deseris? poteris sine his vivere? in mœrore usque ad canos longos vives?

*Cons.* 2. Quomodo his obijcienda sit: 1. brevitas vitæ, quæ Iac. 4 *Vapor est ad modicum parens.* 2. bona illa, quæ prædicantur, esse bonorum umbras. 3. præsentem tristitiã quã Deus mox secuturâ lętitiâ leniet. 4. turpe verò & horrendum facinus esset post amicitiã cum Deo initam, 2. Pet. 2. ℣. 10. à Deo recedere ob amorem temporalium. 5. flagitabo divinum auxilium, Sanctorũ intercessiones, Sacramenta frequentabo, Spirituali Patri difficultatẽ aperiam, ut hunc scopulũ evadã.

*Cons.* 3. Præsentissimum remedium esse reflexionem ad primas inspirationes, quas vocatus à DEO sensi, quibus Dominus jubebat me subire navim perfectionis, & providentiæ Domini, & ego me subducam? Renovabo prima perfectionis desideria, & (si religiosus sum) vota.

ME-

## MEDITATIO XXXVIII.

### Feria 4. Domin. 4. Epiph.

*De perseverandi desperatione.*

VIdebo quartum scopulum naufragantium in via Domini, desperationem perseverandi. Petam intelligere hoc periculum, & evitare.

*Cons.* 1. Quomodo turbet hæc tentatio maximè eos, qui necdum consueverunt, nec satis in promptu habent recurrere ad orationes, refugere ad meditationes sanctas, ut sic relevetur pondus diei, & æstus, ita D. Bernar. in Psal. *Qui habitat.*

*Cons.* 2. Quomodo juvandi sint sic periclitantes. 1. contemplatione miseriarum imperfectorum, quas evasisse lætitiam non gemitum creare deberet. 2. considerando pœnas seculi, quibus belli duces plectunt militiæ desertores: sic meritò talibus Christus faciet. 3. Videndi infelices eorum eventus, qui à perfectione vel religione discesserunt. 4. peccata in memoriã revocanda, pro quib.ª pœnitẽtia agẽda. 5. meditanda passio Christi.

*Cons.* 3. Conandum viriliter & heroicè aliquid contra tentationes, quibus victis suavissima animo pax nascetur; nam sine heroicis resolutionibus vel me non patietur perfectio, vel ego illam: Quod si tulero, victor mei perseverantiam obtinui.

## MEDITATIO XXXIX.

### Feria 5. Dom. 4. Epiph.

*De desiderio mutandi statum.*

ASpiciam quintum scopulum naufragantium, eorum, qui desiderant mutare statum: *Hi sunt (qui segregant semetipsos) animales spiritum non habentes.* Iudæ 1. Petam intelligere has syrtes, & evitare.

*Cons.* 1. Quàm magnum hoc Sathanæ dolū, quomodo prætextu majoris perfectionis, aut aliquarum commoditatum imaginariarum inquietet perfectionis amantem: Et quomodo ei occurrendum sit per Spiritum S. in Apostolo loquentem: 1. ad Cor. 7. ℣. 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: &: Locum tuum ne dimiseris.* Eccl. 10. Periculosa arboribus transplantatio. Varias artes discere, in nulla proficere est: paucissimi inveniuntur, quibus ejusmodi mutatio profuit: Sapientis est tutiora sequi.

*Cons.* 2. Cogitationem de mutando statu esse à dæmone, qui postquam à loco securiore vitæ & salutis abstraxit, tentat in manifestis peccatis, & cùm auxilijs, quæ priùs habebant, destituantur, consentiunt in ea, & pereunt. Igitur præterquam quòd magna sit nota inconstantiæ, & proprij amoris, sicut & infantiæ, debilitatis cerebri, & stoliditatis

inge-

ingenij, mutare ſtatum melioris vitæ, ſimul eſt ſignum perditionis: quid enim boni ſperem, & quid mali non timeam ab hujus cogitationis auctore ſpiritu maligno?

*Conſ.* 3. Decem fluctus quaſi decumanos, unde non cauti ad naufragium præcipitantur. 1. vitiata reſolutio prima, fundata in affectu minùs recto quærendi ſe: unde rationibus proprijs, & humanis ſe committit, aſpera cautè ſubterfugit, placentia dexterrimè ſectatur, in creaturis, bonis ſocijs, locis, officijs, genio arridentibus, per patronos adulatione procuratis acquieſcit: cùm perfectionis ſtudioſi ſit, deſerere ſe, & Deum quærere. 2. pravæ conſuetudines nondum plenæ deviæ. 3. affectus erga alios inordinatus nondū plenè ſuperatus. 4. infirmitas fidei circa promiſſa ſervientibus DEO. 5. Occupatio in rebus ſe majoribus dijudicandis 6. tardè ac tepidè in via perfectionis procedere 7. Separare ſe à melioruu conſortio. 8. Intemperanter aſpirare ad aliquid, non relinquendo ſe diſpoſitioni DEI. 9. neglectus, & odium diſciplinæ. 10. Neglectus orationis mentalis, aliorumque exercitiorum pietatis.

## MEDITATIO XL.

## Feria 6. Dom. 4. Epiph.

### *De blaſphemis cogitationibus, & ſcrupulis.*

Aſpi-

ASpiciam geminum scopulum, in quem navigia alliduntur: blasphemas cogitationes, & scrupulos. Petam intelligere modum eos rutè transeundi.

*Conf.* 1. Cogitationes blasphemas omnino non timendas, quas ego non dico, sed dæmon immittit, verùm eas detestãdas, Deusq; orandus, ut ipse eas à me abigat, ne ijs consensum præbeam; est autem consensus, actus voluntatis, quo expressè peccatum quis vult, & iniquitatem amplectitur; suggestio autem, sive sensus, est cogitatio peccati ab extrinseco immissa, velut ignis injectus, quem non facilè valemus extinguere, interdum in corpore iracundiæ motus, & inverecundos libidinis excitantem. Non pecco igitur si sentio, dum non consentio. Sed forte interpretativè consentio, quia phantasias non reijcio: verùm qui DEO placere vult, qui in vita inchoata permanere, putare deber se non dissimulâsse, sed saltem leviter restitisse.

*Conf.* 2. Scrupulos esse cogitationes quasdam levissimis rationibus, & ferè nullis nixas, quibus judicamus, peccatum aliquod sive grave, sive leve, actionibus nostris inesse: eæ autem sunt rationes leves, quas Superior, aut Pater spiritualis judicat, licet scrupuloso evidentes videantur.

*Conf.* 3. Causas scrupulorum; vel enim pro-

procedunt ex complexione, rigore immoderato, &c. & à medico curandi sunt: vel procedunt à DEO ignaviam castigante, & defectus cavendi sunt, Deiqúe visitatio patienter toleranda: vel à societate scrupulosorum, & ea deserenda est: vel aliunde, tunc adhibenda oratio, frequens Sacramentorum usus, discreta corporis castigatio, opera misericordiæ, & maximè obedientia: sicut enim certum est scrupulosum Magistro non credentem curari non posse, ita facilè curabitur obediens, quem Magister benignâ legum ac præceprorum interpretatione curabit, jubebitque in oppositum operari, non metu inferni, qui plerumque origo scrupulorum est, sed puro amore DEI.

## MEDITATIO XLI.

### Sabbato Dom. 4. Epiph.

### *B. Virgo Stella polaris.*

ASpiciam D. Virginem stellam polarem potestate plenam conterendi caput serpentis. Petam ejus ope evadere septem scopulos naufragijs infames, quos hâc septimanâ meditatus sum.

*Cons.* 1. Repetendo quónam modo segnities, nimius fervor, memoria seculi, & antiquæ vitæ: desperatio perseverandi, desiderium mutandi statum, blasphemæ cogitationes

nes & scrupuli infestent navigantes mare purgativum. Deprecabor pro me & alijs B. Virginem nomine Ecclesiæ, quæ pro filijs interpellat: nomine Prælatorum, & qui mei curam habent, quibus pericula mea aperio, qui remedia ad vincendum, arma ad pugnandum subministrant, exemplo ad victoriam movent, minis & pœnis à casibus avocant, ut nos gratiâ suâ tueri dignetur, ut vel repugnet lapsus, vel tentatio.

*Orabo 2.* Eandem per zelum Angelorum, qui ex mandato Dei nos custodiunt in omnibus vijs nostris, ut eis præcipiat nobis ut adsint, laqueos detegant, dæmones arceant.

*Orabo 3.* Eandem Divam, ut Filium suum ad dexteram Dei pro nobis pugnantem animet, &c. & deniqué ipsam Divinam Majestatem magis alliciat ad nobis opitulandum: Deum Patrem, ut fortitudinem subministret, vires adversarij ligét, impugnationem extenuet. Verbum, ut doceat intellectum, sapientiam, scientiam, consilium: Spiritum S. ut voluntatem in spem erigat, & tentationis bellum in pacem convertat.

## MEDITATIO XLII.

## Dominica 5. Epiphaniæ.

### *Inevitabilis tentationum necessitas in via illuminativa.*

Vide-

Videò divinum Patrem familias vetantem zizania superseminata evelli, quòd necesse sit scandala & tentationes esse Petam agnoscere tentationem necessitatem, & gratiam ijs resistendi.

*Cons.* 1. Quomodo nos Dæmon in suam serviturem retrahere nitatur, longè potentiùs ac diutiùs quàm Pharao exeuntem de Ægypto Israëlem: ideo intelligam tentare nihil esse aliud, quàm experimentum de aliquo capere, ut ipsi tentato, vel tentanti vel alijs innotescat quantus sit: ipsa autem tentatio est pugna, vel impugnatio quędam, quâ quis ad malum patrandum allicitur: ad quā pugnam fortes & alacres nos esse convenit, ut per fortitudinem adversarios superemus, per lætitiam laborem pugnæ sine tœdio suscipiamus, ac in eo perseveremus.

*Cons.* 2. Tentationem duas habere origines: externam Diabolum, qui nos innumeris decipiendi artibus infestare curat: Mundum, id est, mundanos homines, qui exemplis, suasionibus, minis ad malum nos provocant: turbam creaturarum, quæ suâ suavitate ac pulchritudine à DEO avocant. Dæmon *Leo est rugiens*, 1. Pet. 5. *Mundus totus in maligno positus est*: 1. Ioan. 5. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominū, & in muscipulam pedibus insipientium.* Sap 14.

Alte-

Alteram originem esse internam, quæ est caro, seu appetitus sensibilis, tum irascibilis, tum concupiscibilis, sensus item, & mali habitus. Unde patet inevitabilis tentationum necessitas.

*Cons.* 3. Remedium universale in tentationibus esse SS. Eucharistiam, juxta D. Cyp. Ser. de Nativ. Dom. *Sacramentorum communicatio, per quam Christi corporis synceritati unimur, in tantùm nos corroborat, ut de mundo, & Diabolo, & de nobismetipsis victoriâ potiamur.* Petam triticum illud de vera & una area, ut ait D. Hieron. & Vinum de torculari, quod calcavit D. IESVS, ut vescar, & bibam, & convalescã inter zizania omnium tentationum, quia *Instrumentum est Eucharistia, quo Diabolus obtritus est*, inquit S. Pet. Dam. ep. 2.

## MEDITATIO XLIII.

## Feria 2. Domin. 5. Epiph.

### *De generalibus remedijs tentationum.*

ASpiciam D. IESVM ad bella vocantem, & arma distribuentẽ. Petã gratiã iis utendi.

*Cons.* 1. Sicut Dominus terræ latrocinia pellit, deinde impietatem, & injustitias compescit; tum statu compositio contra hostes externos procedit: sic eodem ordine mihi procedendum 1. Contra concupiscentiam carnis, deinde contra concupiscentiam oculorũ, & su-

& ſuperbiam vitæ, tum adverſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.

*Conſ.* Secundò generalia tentationum remedia eſſe, contra ſingula vitia præparatum expectare: illa conſiderare, quæ ad vincendũ accendunt; præcipuũ eſt conſideratio Chriſti, ejus doctrinæ, exempli, auxilij, Deiq; præſentia, ne eum offendamus, Vigilantiâ, oratio, ſpiritûs promptitudo, fortitudo corporis, quã dat cibus fortium SS. Euchariſtia.

*Conſ.* 3. Remedia generalia ad affectum ſpectantia eſſe honeſtatis deſiderium, ſpem promiſſionis, timorem amittendæ charitatis, incurrendæ pœnæ, amorem illius, quem ſuper omnia diligimus, eâ denique arte utendo, quâ ſe Chriſtus Dn. Sathanæ oppoſuit.

## MEDITATIO XLIV.

## Feria 3. Dom. 5. Epiph.

### *De Puſillanimitate.*

VIdebo proficientes, quomodo in primũ ſcopulum impingant puſillanimitatis. Petam intelligere hunc ſcopulum.

*Conſ.* 1. Quomodo proficientes ne creſcant, & gratiæ ſibi datæ cooperentur, ſoleant à Diabolo puſillanimitate oppugnari. Eſt puſillanimitas vitioſa mentis affectio, quâ quis convenientia, ac proportionata ſibi datæ potentiæ vel virtuti recuſat attentare: ali-

quando soli imaginationi & vanæ apprehensioni innitens, interdum alicui molestiæ corporali.

*Cons.* 2. Quomodo soleat esse hæc tentatio pœna superbæ complacentiæ, ac inanis de seipso confidentiæ, juxta illud Ps. 13. &c. *Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt, ubi non erat timor.*

*Cons.* 3. Remedium hujus tentationis esse 1. superbiæ, & sui confidentiæ culpas flere, & in solo Dei auxilio confidere. Deinde animare se bonis considerationibus beneficiorum Dei, vel sibi, vel alijs collatorum. Tandem seipsum cogere, & nihil eorum, quæ suo statui conveniunt, ob timorem prætermittere: & si semel aut iterum non succedit, tertiò & alijs vicibus, dante gratiam Deo, succedet. Potens est Deus.

## MEDITATIO XLV.

## Feria 4. Dom. 5. Epiph.

### *De nimio Zelo.*

ASpiciam alterum scopulum proficientium, zelum nimium. Petam illum intelligere, & evitare.

*Cons.* 1. Multiplicem esse zelum nimium, quo alij externæ disciplinæ & cærimonijs nimium addicti omnia illis postponunt: alij corporis asperitates summi faciunt, mitio-

rémque

rémque vitam amplexos contemnunt: alij Christianam disciplinam observant omni ex parte, at amarissimis cogitationibus proximos remissos damnant: alij desiderio animarum convertendarum ardent indiscretè, non attendentes aut ad salutis propriæ periculum, aut ad incolumitatem communitatis, cui interdum sua indiscretione maxima damna inferunt, suscipiunt occupationes sine numero, quibus ita toti vacant, ut nil orationi, meditationi relinquant, quibus ait D. Bern. de consid. *Non est sapiens, qui sibi non est sapiens.*

*Conf.* 2. Quomodo in hoc zelo temperamentum hoc sit adhibendum, ut quod in eo ignorantiæ & superbiæ est, tollatur: quod cum virtute conjunctum est, retineatur.

*Conf.* 3. Cærimoniarū observatores ut eas retineāt, sed majora minoribus anteponāt, & propter talia arboris fructus vendant. Aspernatum amatores discretè, & non sine Magistri spiritualis consilio eas suscipiant, ne exhausti vitæ severitatem deserant, & imaginatione crescente dissolutè & immorigere vivant. Corporis afflictioni ita vacandum, ut vires non absumat, & internæ puritati proficiat. Bona severitas in domando corpore, sed melior humilitas. Qui alienam salutem suæ præferunt, ordinem charitatis servent,

& à seipsis conversionem incipiant. Milites fessi non vincent. Mater non comedendo non alet liberos. Pauperes & inopes non ditabunt alios.

## MEDITATIO XLVI.

## Feria 5. Dom. 5. Epiph.

### *Incuria in operando.*

VIdebo alium scopulum proficientium negligentiam. Petam eam intelligere & evitare.

*Cons.* 1. Quomodo tententur interdum proficientes negligentiâ in operando, *mu*niaque sua sive spiritualia, sive temporalia cum tristitia, & nausea obeundo. Est autem negligentia alia summa, & supina, quæ est nullam vel modicam diligentiam adhibentis, & ejus, qui supinus in lecto jacens ad res non attendit, similis: alia gravis, & culpabilis, qualis est non adhibentis sufficientem diligentiam, juxta exigentiã negotij: alia levis, & venialis. Deficit à diligentia impertinens, importunus, inordinatus, excessivus:

*Cons.* 2. Diligentiam aliam esse summam & exactissimam, quæ adhiberi potest, possibilisque, & qualem accuratissimi in suis rebus usurpare solent: alia mediocris, quę communiter adhibetur à prudentibus juxta exigentiam negotij, & circumstantias, quâ adhibitâ

si quid postea præter intentionem accidat, solet censeri invincibiliter ignoratum, & inculpabile: alia modica, & levis, obiter & superficialiter ad negotium attendens.

*Cons.* 3. Quibus argumentis me excitare debeam ad negligentiam abijciendam, & diligentiam amplectendam: videlicet excitando me consideratione, cui serviam. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.* Iere: 43. & per aliquot dies unum ex bonis operibus emendabo, v. g. meditationem, orationem, postea examen, &c. donec ordinaria diei opera juxta lumen & gratiam à DEO concessam agere didicero: ne illud audiã. Matt. 25. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.*

## MEDITATIO XLVII.

## Feria 6. Dom. 5. Epiph.

### *Adhæsio ad loca, & ministeria, & appetitus honoris.*

ASpiciam reliquos proficientium scopulos, circa quos naufragantur incauti. Petam eos agnoscere, & evitare.

*Cons.* 1. Quomodo nonnulli minimè ferant se ab eo, quod amant, instante Prælati obedientiâ, vel necessitate divelli, quem affectum solet Diabolus prætextu utilitatis majoris occulere. His 1. Sciendum est, quòd ipsorum opera Deus non egeat. Mortuus est

Petrus, mortuus Paulus, Ecclesia tamen non cecidit: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filij* Ps. 44. mortui doctores insignes, non pereunt cathedræ. 2. Qui suas commoditates in loco quærit, erubescere debet tam ignominiosum morbum.

*Cons.* 2. Quomodo appetitus honoris infestet: & bipartitus in proficientibus esse solet: alter in hominum æstimatione, qui aliquem ut studiosum, & sanctitatis amatorem, & aptum ad magna gerenda suspiciunt: Alter in dignitatum Ecclesiasticarum delatione consistit.

*Cons.* 3. Qui ad prioris generis honorem aspirant, ut opinione obtentâ apud alios ministerijs suis proficiant apud eosdem: His una cura sit, deijcere se, superbiam conculcare, & Domino perfectè servire: ipse, nobis non cogitantibus, opinionem bonam, & ædificationem aliorum, ad suum obsequium necessariam, ministrabit. Statuam non tepescere in via virtutis, neque permittere me deludi à dæmone ob defectum honoris. Qui verò ad dignitates aspirant, id planè contra exemplum Christi & Sanctorum agunt. Quòd si Deus voluerit illos ad honores & dignitates vocare, ad id nulla suâ solicitudine, sed solâ obedientiâ egent.

Me-

## MEDITATIO XLVIII.

### Sabbato Dom. 5. Epiph.

### *B. Virgo Patrona tentatorum.*

ASpiciam B. Virginem velut sidus cœleste, sub quo ipsum Iolium vertitur in triticum. Petam admitti sub ejus præsidium.

*Cons.* 1. Quàm rectè ad B. Virginē confugiant omnes animæ: quia, ut ait Chrysost. Virgo nunquam cessat à bello. hom. 9. de pœnit. Recolam bella considerata suprà.

*Cons.* 2. Si Dominus meus fuit tentatus, negari non posse tentatam quôq; ab extrinseco fuisse B. Virginem: Semper tamen illibato victricíq; pede caput serpentis cōterentem, quin etiam ad Gabrielis nuntiū turbatam, cautéq; metuentē. Ab ea præliari discā.

*Cons.* 3. Sicut bonum semen per multam pluviam convertitur in Iolium: sic Iolium multo calore in triticum docet converti Salmeron, Tom 2. tr 6 num. 4. Vndesic discuram: Vbi Solis radij fulgent, nequeunt esse tenebræ, neque frigus cum æstu, neque cum sereno pluviæ, aut cum vita mors. Sed Diva est Mater vitæ, lucis, gratiæ, serenitatis, & spirituum moderatrix: igitur sub illius sidere, & aspectu virgineo etiam inter Iolia, imò Iolium ipsum non potero non immutari in triticum, in horrea Domini colligendum. Colloquiū ut Sabbato Dom. 4. Epiph. ME-

## Meditatio XLIX.

### Dominica 6. Epiph.

*Acrimonia sinapis perfectorũ tentatio.*

Videbo in grano sinapis majore oleribus, quòd cum creverit fit arbor, figurari viros magnæ virtutis, & perfectos, non tamen sine acrimonia tentationis. Petam intelligere, & superare ejusmodi tentationes.

*Cons.* 1. Quomodo perfecti, quàm diu in militia sunt, à pugna tentationis immunes non sint: quia *Pacem cum carne habere non possumus*, ait D. Greg. in Lib. 1. Reg. & D. Aug. *Tentatione unusquisque se discit.* in Psal. 36.

*Cons.* 2. Tentari eos interdum omnibus vitiorum generibus, Deo ita permittente ad eorum meritum, & ad aliorũ exemplum. Sic Paulo datus est stimulus carnis, ne extolleretur. Magna gratia debet habere exercitium.

*Cons.* 3. Ut vincens manna absconditum accipiam, Apoc. 2. & in sudore vultûs mei, Gen. 3. vescar Pane Virgineo: generale esse remedium SS. Eucharistiæ frequentationem docet D. Cypr. in orat. Dom. non est idoneus ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: quia mens deficit, quam acceptâ Eucharistiâ non erigit, & accendit.

## MEDITATIO L.

## Feria 2. Dom. 6. Epiph.

### *De occulta superbia.*

VIdebo Dominum educentem Israëlitas è tenebris Ægypti, deducentemque per viam deserti, & adducere volentem ad terminum viæ terram promissionis, & ex ijs periclitantes. Petam intelligere scopulum superbiæ, & evitare.

*Cons.* 1. Quomodo soleant perfecti occulto spiritu superbiæ tentari, ex quo oritur curiositas, in Oratione experiendi consolationes, divinas revelationes, extases, faciendi miracula.

*Cons* 2. Quomodo his medeatur sanctum odium sui, quo quis solum divinum beneplacitum quærit, & in nullo suam consolationem requirit.

*Cons.* 3. Cùm nemo nobit magis imponat, quàm amor nostri, perpendam verba D. Augustini: *Cui bonum non est Deus, sibi ipsi vult esse bonum suum, sicut sibi est Deus* Lib. 3. de lib. arbit. c. 24. Quæ planè superbia Sathanæ, ad quam ascendunt amatores sui, odio nostris propulsanda est: & quia desideria mea innumera suspecta mihi esse debent, potiùs optabo adversa, tanquã tutiora, quàm prospera, tamersi spiritualia.

## Meditatio LI.

### Feria 3. Dominicæ 6. Epiph.

### *De temeritate judicandi, conatu supra vires, licentiâ increpandi.*

VIde tres alios scopulos, ad quos in portu naufragari consueverunt perfectionis cursum emensi. Petam intelligere hos scopulos, & evitare.

*Cons.* 1. Quomodo in perfectis oriatur subinde temeritas judicandi facta, dicta, & cogitationes aliorum, & amaritudo super ijsdem. His medetur timor castus, quo *quis* timet, ne in similia, vel deteriora incidat.

*Cons.* 2. Quomodo in ijs oriatur præterea conatus supra vires laborandi, cum anxietate immoderata imperfectiones minimas vitandi. Huic medetur prudentia, & humilitas, quâ quis novit, quòd non possit adijcere ad staturam suam cubitum unum, Matt. 6. & quòd omnis sufficientia nostra ex DEO sit. 2. Cor. 3.

*Cons.* 3. Quomodo oriatur deinde etiam licentiosa increpandi libertas, & audacia loquendi, & invehendi etiam in majores, Prælatos, Principes. Vnde manant magna scandala, & nulla emendatio, ob omissas regulas Prudentiæ Huic medetur circumspectio, & Consilium Sapientium, quod quis in increpatione

patione vitiorum sequi debet: *Amor Sanctus impatientiam non habet*, inquit D. Hieron. ad Damasum.

## MEDITATIO LII.

## Feria 4. Dom. 6. Epiph.

### *De Immisericordia.*

VIdebo non minùs periculosum scopulũ perfectorum immisericordiam. Petam eam intelligere, & evitare.

*Cons.* 1. Quomodo etiam oriatur immisericordia, qua nesciunt alienis necessitatibus condolere, & solent ob defectum admissum â proximo magnas tragœdias excitare. Hoc laborare solent, qui perpetuó sani fuerunt, & qui semper à Prælatis dilecti & magni habiti, nunquam locum infimum tenuerunt: & qui à pueritia pacatè viventes passionum effrenationem ignorárunt: qui nimis zelosi, ut S. Carpus, cui Christus apparens flagellatus ajebat: *Percute meipsum, non reum illum pœnitentem.*

*Cons.* 2. Quomodo his Deus mederi soleat ariditate cordis, ægritudinibus infamibus, & manifestis casibus eos castigando.

*Cons.* 3. A misericordia remedium peti contra ejusmodi DEO odibilem, proximo noxiam immisericordiam, exemplo D. Iesu, qui non venit animas perdere, sed salvare,

cujus acta me imitari convenit, si sum Christi spiritu repletus.

## MEDITATIO LIII.

### Feria. 5. Domin. 6. Epiph.

### *De corporis ægritudinibus, & persecutionibus*

ASpiciam adhuc duos scopulos perfectorum. Petam eos intelligere, & evadere.

*Conf.* 1. Quomodo tententur ijdem perfecti corporis ægritudinibus: Ut qui jam in arce, scilicet mente mirabilem tranquillitatem sentiunt, saltem in suburbijs ad majus meritum doloribus exerceantur. Hujus tentationis optimum remedium est molestias à Domino immissas cognoscere.

*Conf.* 2. Quomodo ijdem tententur insuper malorum persecutionibus, quarũ dæmones auctores sunr: imò & justis interdum falsâ opinione deceptis ijdem dæmones utuntur ad vexandos perfectos. Huic tentationi resistendum est armis patientiæ, & longanimitatis, & absconsione sub petra divinæ protectionis. *Colloq.* de more, ut eum cæco illuminer, qui beneficium per cæcitatem accepit, per hãc enim oculis interioribus respexit.

## MEDITATIO LIV.

### Feria 6 Dom. 6. Epiph.

### *De Desolatione.*

Aspi-

ASpiciam ultimum longéque periculosissimum scopulum desolationis. Petam agnoscere, & evitare hoc naufragiũ perfectorũ

*Consid.* 1. Postremam & gravissimam perfectorum tentationem esse internã derelictionem, quâ illis lux cœlestis & consolatio aufertur, & subtrahitur: adeò ut anima velut omni dono vacua relinquatur. Hujus tentationis remedium est clamare ad Dominum, & ejus reditum lacrymis & gemitibus postulare.

*Consid.* 2. Quomodo sic constituti se animare debeant. 1. Quòd habeant magnam securitatem æternæ beatitatis: què enim Deus ablegare possit illos, qui abnegando se ex toto unum cum DEO effecti sunt? 2. Qui ad ultimum sic perstiterint spiritum desolati, eodem momento sine ullo Purgatorio reliquo cœlos penetrant: quia in hac vita eos nemo alius, nisi se ipso Deus potuit consolari. 3. Tales in hac vita sunt formidini diabolo, summo amori Deo, quorum oratione magis Deus flectitur, quàm plurium aliorum in contrarium orantium.

*Consid.* 3. Exhortantem Dominũ ad amandum ejusmodi desolationes: Quòd propriæ voluntati ex toto ita renuntietur: Quòd Deo hac in parte ex toto obediatur; quòd qui se ipsos deserunt, solúmque Deum, & non dona Dei amant, deficientur: quòd ingens

hæc

hæc gratia Dei acquiratur votis humilium: quia *facilè Deus humilitate superari potest*, Suso de 9. rupibus. Eâ præsertim, qua humiliamur ad divinum obsequium, ad cordis munditiem, ad Christi exemplum Humilitas diffidit sibi, confidit Deo: quando igitur cor meum immoderatè jactabitur, offeram illud Domino, qui dicit: *Fili præbe mihi cor tuũ*. Pr. 23. Cor servi in manu Domini bene dirigetur.

## MEDITATIO LV.

## Sabbato Dom. 6. Epiph.

*Ope B. Virginis cœlum subimus.*

ASpiciam ad felicem portum navigationis Christianæ B. Virginem, Petam de ejus spiritu, ne à malo præoccuper.

*Cons.* 1. B. Virginem locum voluptatis Dei, in quam spiritus ille multiplex ineffabiliore modo supervénit: Pet. Dam. Serm. de annuntiat. quæ speciosior facta est, & dignior quàm totus mundus, Auct. op. imp in c. 8. Matt. à qua de deserto ascendente petam contra appetitus meos inordinatos purum amorem Dei, ne in portu faciam naufragium, ad scopulum superbiæ, temeritatis in judicando, conatûs supra vires, licentiæ increpandi, immisericordiæ, ægritudinum, persecutionum, desolationum.

*Cons.* 2. Unam originem horum naufragiorum

giorum esse inordinatum hominis appetitū; quia in nullo prævalere potest diabolus cuiquam, nisi fuerit voluntatis vitiatæ quando enim videt dæmon inclinatam malignis infusionibus suis mentem, tunc permittente justitia divina propter abusum gratiæ, & dictamina conscientiæ spreta, incipit tentator animam inordinatam & ingratam possidere.

*Cons* 3. Alteram originem horum naufragiorum esse dæmonem, cui resistere docet nos B Virgo tribus interrogationibus. S. Brigit. l. 4. c. 67. & 38. lib. 6. c. 78. & 82. 1. Num aliquid dæmon creaverit? si nihil, igitur nihil dare potest: aut si quid ei permissum, contemtibile est bonis æternis collatum. 2. Num amicitia ejus habuerit aliquando bonum finem? si nunquam, quia amicitiæ ejus omnes finiuntur in Væ, quis ejus amicus esse velit? 3. Num voluptas ejus bonum aliquando finem habuerit? si nunquam: quia in malo incipit, & ad malum tendit: quis tam insipiens, ut malum amet? His flagellis cæditur dæmon. Lib. 6. c. 17. & 51. Renovabo colloquium meditationis.

41.

## MEDITATIO LVI.

### Dominica Septuagesimæ.

*Passio D. N. est vinea meditatione excolenda.*

VIdebo totam Passionis Domini seriem, quasi vineam, in qua vitis vera Christus, idémque Paterfamilias torcular calcavit solus, & sanguine proprio velut musto replevit. Audiam eum ad collaborandum sibi omnes excitantem: *Ite, ite & vos in vineam meam.* Petam lumen & gratiam occupandi me totum in vinea SS. Passionis Christi.

*Conf.* 1. Quòd amor ex cognitione, hæc ex meditatione accurata, hæc ex bonitate rei propositæ oriatur: atqui Passio Christi est infinitus Dei erga nos amor, tantum in se bonum continens, ut à solo DEO, ejusque Filio quantum satis est agnoscatur, qui propter corpus perfectum, animámque omni sapientiâ refertam, & corpus, & animam Personæ Divinæ unitam, infinitum bonum Passionis solus comprehendit.

*Conf.* 2. Quomodo deinceps magnitudinem dolorum suorum ex cognitione effectuum peccati ortam Christus solus *quantum satis est, senserit:* quia peccatum Deo fecit injuriam infinitam: peccatum naturæ humanę intulit damna, & pœnas, quotquot sub Sole

sunt,

sunt, temporales, & æternas: peccatum Christo D. redimere nos volenti afflictiones infixit nullo intellectu humano, sed nec Angelico comprehensibiles; & hi fuerunt tres universales Christi dolores in conspectu ejus semper.

*Cons.* 3. Quomodo redundaverit in appetitu sensitivo Christi hic dolor: ut enim cognitio respondet rei, circa quam versatur, sic voluntas cognitioni, & appetitus sensitivus voluntati. Vnde patet in D. IESV appetitu sensitivo tantum fuisse dolorem, ut nisi altiore vi sustentatus, singulis momentis dolore, omni sensu majore, fuisset emortuus. Mi DEVS: mi Redemptor, quis te sic afflictum consideret, & non liquescat!

*Cons.* 4. Quomodo D. IESVS juxta magnitudinem sensûs interni etiam in externo passus sit, præsertim sæpe de passione sua loquendo, de qua supra decies quinquies collocutus est: quia *ex abundantia cordis os loquitur*, Luc. 6. Nisi hanc vineam meditatione excolo, Deóque meo compatior? vel fidem non habeo, vel amorem: non enim potest non esse dolor de tam malè tractato dilecto. Membra corporis condolent capiti afflicto: quàm metuo, quòd cum principio summè bono nullam habeam amoris unionem. O divina pietas, si cor meum cereum est, impri-

me

me in filio imaginem Patris! si est é silice, eandem insculpe, tot malleis adhibitis, quot signa sunt Passionis, quot memoriæ in templis, urbibus, campis. Si totus sum luteus, & in aquas diffluo, tu igne amoris me coërce, & solida, imagines sordidas absterge, si *Eucharistia est exemplar Passionis*, S. Gaud. Tr. in Exod. Fasciculus myrrhæ mihi sit D. IESVS Eucharisticus, juxta illud D. Hieron. in c. 20. S. Matt. *Denarius figuram Regis habet, recepisti similitudinem meam, quid quæris amplius?* D. Mechtildis damnatos ideo esse vidit, quia *nunquam dulciter unâ horâ recordati sunt mei*, id est, Domini IESV. Lib. 5. c. 11.

## MEDITATIO LVII.

## Feria 2. Domin. Septuag.

### *Eucharistia Actio deifica pari quâdam devotionis mensurâ agenda.*

ASpiciam divinum Pelicanum de corpore suo nobis epulum instruentem tanto affectu, ut post institutionem Sanctissimi, non solùm libenter moreretur, sed, si necesse fuisset, maluisset remansisse mortuus, quàm ut hoc donum ab amante anima contineret. S. Gert. l. 3. c. 18. Petam agnoscere, quid ante Communionem, quid in ea, quid denique ab ea mihi faciendum, ut dignè cõmunicẽ.

*Cons.* 1. Dominum jubere parari Pascha, ubi

ubi amphora aquæ infertur : quia ad hanc mensã accessurus exquisitâ debet esse munditie, non solùm ea, quæ de præcepto est, sed etiam, quæ de consilio; ideo enim, ut ait Orig. in c. 13. Joan. Dominus *lavat pedes, postquam mundi erant, quia gratia transcendit necessitatem, & sicut dicit Ioannes : Mundus mundificetur adhuc.* Certè B. Magdal. de Pazzis, c. 133. vitæ, licet nunquam peccatum mortale, nec grave veniale commiserit, tamen communicans timebat, ne à terra sorberetur. Igitur Domino pelvim tenenti ut meas lacrymas excipiat, ad me emundandũ, duplicem earum fontem mihi aperiri petam: amaritudinem pœnitentiæ. & concremationem charitatis. D. Gertrud. l. 3. c. 14.

*Cons.* 2. In ipsa Communione factam esse fractionem panis, & sumptionem: *Quod in cruce passus non est, in oblatione propter te patitur, & frangi sustinet, ut omnes satiet.* D. Chrys. hom. 24. in 1. ad Corin. Ex fractione infert S. Greg. Nissenus in c. 13. Eccli: *Qui hanc carnem amat, non est suæ carnis amicus* Ex sumptione autem infert idem in c. 3. Eccli: *Vt id efficiamur quod Deus est:* hoc igitur est, quòd frangi sustinet, ut omnes satiet.

*Cons.* 3. Quid ipsam Communionem sit consecutum, quod intelligam ex D. Cypr. de Cœna Dom. *Cùm saturati fuerint, vide quid agant,*

*gant, intelligè quæ loquantur, quàm sancti odoris sit, quidquid illa eructat plenitudo. Verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos illa interior syncerita ubiq; diffundit.* Certè verba, quæ sunt spiritus & vita, in lingua D. IESV uberrimè post cænam resonuerunt. Num idem experior? si non, vitio meo accidit, ut cibus optimus malis humoribus ventrem occupatum lædat.

## MEDITATIO LVIII.

## Feria 3. Dom. Septuag.

### *D. IESVS ardentissimus salutis nostræ amator.*

ASpiciam D. JESVM amore magis rubentem, quàm carbones igniti apud Isaiam. Petam eum intelligere.

*Cons.* 1. Quanta debeat esse salus nostra, quam Deus sic nobis procuravit, vi cujus tam constantis fuit voluntatis prosequendi semper, & exercendi media salutis, efficacitérque deserendi omnia ejusdem impedimenta: quã firmi propositi, decretique nulli bono licito, jucundo, honorifico, vel utili adhærere, sed illud salutis nostrę causa relinquere, nullámque molestiam, ignominiam, aut detrimentum ita perhorrere, ut ea expedientia saluti nostræ sponte non subiverit. Unde inferam intolerabile esse, cùm ille, ut nos pro nostra

ipso-

ipsorum salute doceret, non dedignatus sit tam humilia perpeti, si nos, quorum salus agitur, recusemus.

*Cons.* 2. Ut gratus sim amatori meo super omnia, statuam 1. æstimare summè summũ bonum meum, paritérque timere, ne hoc bono frustrer, & in summum malum ei oppositum incidam. Amor hic facillima reddet omnia pro salute exequenda, timor reddet cautum in agendo: periculosum enim momentum omni creaturæ, quo à creatore seipsã averti potest, seipsâ ad Deum non reditura. Surgit hic amor ex cognitione perfecta salutis: timor ex cognitione privationis ejus, seu mali oppositi. Agnitionem hanc cœlitus petam, quia naturalis valde obscura est, & ad permovendum solidè & constanter voluntatem imbecilla. 2. Amabo summè media salutis, actus humanos bonos; odióq; habebo efficaciter salutis impedimenta, omnes actus malos. 3. Nihil tam charum erit, quod nolim perdere: nihil tam adversum, quod nolim assumere salutis meæ causâ, quam nulli bono temporali præponam, illorum sortem deplorans, qui ab hoc summè bono fine deviant.

*Cons.* 3. Deviare homines ab hoc summo bono, vel quia Deum ignorant, vel quia cognitum non credunt, vel quia cogniti & credi-

diti obliviscuntur, vel quia memores illius, passione urgente eo tantisper carere non timent: quia eum recuperare se iterum posse confidunt, vel quia ex diabolica malitia osores Dei eum contemnunt, neque cum eo in æternum habitare curant, sed magis cum dæmone id eligunt. Detestabor has quinque causas, & per quinque vulnera Christi auxilia efficacia petam ad eas avertendas.

## MEDITATIO LIX.

## Feria 4 Domin. Septuag.

### *De Obedientia D. IESV.*

ASpiciam D. JESVM Patri æterno obedientem, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, Ioan. 14 Petam agnoscere Filij Dei obedientiam, & imitari.

*Cons* 1. Obedientiam esse virtutem, quæ præcepta majorum exequitur, quia præcepta sunt. Actiones Obedientiæ sunt decem. 1. Iussa majorum honesta velociter, viriliter, humiliter, constanter exequi. 2. Adversus affectus nostros, & inclinationes obtemperare. 3. Voluntatem abnegare, & hilariter jussa aggredi. 4. Iudicium nostrum cohibere, & adhibitis rationibus pro sententia Superioris nostram illi subijcere. 5. Si duriter, stulte, contumeliosè, sine gratitudine ad ardua mittamur, libenter parere. 6. Æquè bonis ac malis

malis dummodò mala non jubeant obedire. 7. Sine excusatione. 8. Indicia voluntatis exequi. 9. Indifferentem ad omnia esse, & sola volita à Superiore concupiscere. 10. Avidiùs difficilia, & vilia, quàm quæ blandiuntur, & splendent persequi. In his omnibus tota Passione admirabiliter exercitatus est Dominus JESVS.

*Cons.* 2. Verba Domini, Ioan. 14. *Iam non multa loquar vobiscum* in carne mortali: *venit enim princeps mundi hujus*, non creaturarum, sed peccatorum, & tum per se & angelos suos invisibiliter, tum visibiliter per Iudam proditorem, & milites, & ministros, armatos, *& in me non habet quidquam*: quia mors debetur peccato, quod non est in me: *sed ut cognoscat mundus*, electi in mundo, *quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*: nimirum morior amore Dei, & hominum, & quidem morte crucis. *Surgite, eamus.*

*Cons.* 3. Appetitum sensitivum Domino obijcientem: stáne verò tam simpliciter mandatum Patris implebis? atqui personæ, quibus à Patre subijcieris, erunt ingratæ, duræ, vesanæ, contumelioſæ, homicidijs plenæ, quorum corda sunt Sathanæ sedes, plena errore & malitia, & his ut obedias? Obediam, respondet D. JESVS: quia sic placet

Patri

Patri. Sed enim, ô dilecte, vide, quæ tibi sc
lestissimi Superiores tui imposituri sunt: tal
enim erunt, ad quorum apprehensionem
terram corrues, sudabis sanguinem, agoni
zabis, nec erit dolor sicut tuus; & hæc fer
ab inimicis pro inimicis? Utique feram; in
quit Dominus, atque ita feram, *ut cognosc
mundus*, &c. *Venite, & videte, quæ posuit Do
prodigia super terram.* Ps. 45.

## MEDITATIO LX.

## Feria 5. Dom. Septuag.

### *Triplex Baptismus Christi.*

AVdiam Dominum præ appetitu patiendi ingeminantem verba illa: Baptismo habeo baptizari. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Baptismum Christi à Ioanne susceptum, qui baptismi aquæ initerabilis erat indicium: quem ego suscepi: ideo adimplendis ei adnexis promissis studebo, abrenuntioni Sathanæ, mundo, carni.

*Cons.* 2. Alterum baptismum flaminis: dum exercuit actus amoris, & desiderij, quod maximum in Christo fuit passionem & mortem perferendi propter voluntatem Patris, & hanc ex unione voluntatum: quibus ego, si meam perfectè unire cupio voluntatem, nihil Deo adversum velle debeo.

*Cons.* 3. Baptismum sanguinis, non tan-

tùm

tùm profusione vitæ pro Patre, & mortis susceptione, cujus amaritudinẽ pro suis exsorbuit Christus, relictâ dulcedine illius nobis, ut nos diceremus: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* ad Philip. 1. Sed & perferendis pro nobis strenuè usque ad mortem laboribus, & genere mortis valde doloroso. Si Christus præcepta Patris æterni nec subterfugit, nec contra ea apud alios, aut apud seipsum questus est, & cùm pateretur, non comminabatur, in his mihi imitandus est, ne subterfugiã mandata ejus, neque conquerar.

## MEDITATIO LXI.

## Feria 6. Dom. Septuag.

### *Christus Dominus valedixit Matri suæ*

*D. Bonav. c. 72. med. vitæ Christi.*

VIdebo Matrem dolorum ultima basia deferentem doloris Filio. Petam agnoscere sensum hujus avulsionis, & nullius personæ affectu teneri.

*Cons.* 1. Amorem D. IESV erga suos: quia Pater eos amavit, & illi dedit; quæ enim in illis, aut ex illis, quantulâque ratio amãdi? Ejus exemplo omnes ut imagines, opera, servos, filios Dei, amabo: clausis oculis ad sua cujusque, apertis ad ea, quę in eo elucent, Dei.

*Cons.* 2. Idem suos, & quidem Matrem, etsi sanctissimam, permisit habere tristitiam,

quando remansit duodennis in templo, quando egrediens de domo, & cognatione sua dixit, Matth. 12. *Quæ est Mater mea?* Quando ejus extremæ valedixit conversationi, ut Patris volũtati magis placeret: adeóq; exemplo docuit piorum etiam amicorũ desideria frustranda, ut Deo, Dñ: nostro magis placeamus.

*Conf.* 3. Quanta mihi necessitas incumbat familiaritatem nimiam quorumcunque hominum vitandi, omnibus amicitijs renuntiandi, etsi spiritus prætendatur; qui enim spiritu incipiunt, sæpius carne consummantur: sed eorum maximè, qui amari cupiunt, familiaritatem vitare: quia apud eos amor spiritualis initio, plerumque desinit in carnalem, & ordinariè sordidatur, & inquinatur, fitque ineptus ad Dei amplexus, ac ejus obsequia, subtrahitq; se ab eo Deus non minùs, quam Sponsus elegans & mundus totus, à fœdis & lutulentis manibus, & ore Sponsæ. Dignoscetur hæc, si perpetuò nobis luceat divina lux, & veritas educens de ignorantijs & tenebris Ægypti, & adducens ad terram promissionis, ubi erunt omnes sicut Angeli Dei. Potéstne hoc lumen à nobis detineri indesinenter? in qua laterna? in corde omni custodiâ custodito, in memoria verborum D. August. Ser. 165. de temp. *O juvenes flos ætatis periculum mentis!* in cohibitione affe-

ctuum,

ctuum, quorum commotores sunt sensus externi, & interni, ut eorum prudentiam diabolicam premere & opprimere non desimamus: In appetitione unius Dei, & ambienda ejus amicitia, ut sit ipse amicus familiarissimus, qui protector fortissimus, comes jucundissimus, & omnia non tantùm amicis, sed etiam servis suis est.

## MEDITATIO LXII.

## Sabbato Dom. Septuag.

### *Septem Tortores Matris Dei.*

VIdebo Dei Matrẽ toto corpore & animo cohorrescentem inter septem tortores. Petã agnoscere illos tortores, & Divæ cõpati.

*Cons.* 1. Quomodo omnis res propendeat ad sui amorem, & si est capax formandi actũ amoris, non potest eum non elicere erga se: qui amor sui, est origo omnis alterius amoris. Amamus enim alia ex respectu, quẽ hãbent ad nos, & si quid ijs accidat sinistri, propter nos dolemus. Atqui *Caro IESV Caro est MARIAE*: D. Aug. Serm. de Assumpt. Unde si B. Virgo non plùs dilexisset Filium suum, quàm se ipsam, fuisset adducta quàm maximè ad compatiendum: Atqui dilexit eum infinities ampliùs: Hinc:

*Aspiciam* 1. Tortorem, sensum communem, propter quem etiam feræ, & apri accur-

runt ad necem suorum: Quantò magis Diva? *Matrem considerate, Matrem cogitate*, ait D. Ambr. L. 6. in Luc.

2. Tortor, sensus præsens: magis enim affectum provocant oculis commissa: sed D. Virgo patienti carni suæ non poterat non adesse.

3. Tortor, sympathia, inclinatio & indoles, in qua miraculosa naturæ vis est attractiva, quæ multò maximè invenitùr in simili sui: sed *Caro IESV Caro est MARIAE.*

4. Tortor, societas, consuetudo, amicitia, mores, virtutésque simillimæ; sed Diva Filio convixit 30. & ampliùs annis.

5. Tortor, Ratio, cujus perspicacitati respondet affectus; sed Diva *Conservabat omnia verba dilecti conferens in corde suo*: Luc. 2. intelligentiâ suâ Angelis superior.

6. Tortor: Natura. Dixit D. Chrysost. amorem Parentũ *grandem naturæ tyrannidem*: sed *caro* JESV *caro est* MARIAE, ô igitur dolorosam Matrẽ nimis! cui compatiens sexagenarius quidem Dæmoni dudum devotus contritionẽ impetravit, Lib. 6. c. 97. S. Brig.

7. Tortor: Gratia incomparabiliter superior naturâ, propter cujus gratiæ torturam ait Arnoldus Carnotensis: Serm. de B. Virg. *Vicit sexum, vicit hominem, passa est ultra humanitatem.* O Diva, non sum Filius, quia nimis

nimis remotus à patiente Filio tuo: agnosco reatum meum, detestor culpam meam, gaudeo te supplere vices meas, offero me tibi ad compatiendum. Obsecro per illos septem tortores tuos, has septem gratias. 1. Repræsentari mihi bonitatem Passionis Filij tui. 2. Dari ejus meditandi donum. 3. Vivam agnitionem. 4. Respondentem amorem. 5. Proportionatum dolorem. 6. Similem sensum internum. 7. Et externum.

## MEDITATIO LXIII.

## Dominica Sexagesimæ,

### *De missione D. IESV.*

ASpiciam Dn. JESVM, legatum DEI, quem DEVS legavit ad homines docendos, Deóque per vivam Fidem reconciliandos. Petam ei ex toto obsequi.

*Cons.* 1. Quòd tota vita Christi fuerit Apostolatus, seu missio, sed difficilis ac laboriosa, utpote ad homines malos & contumaces: Cujus fructus non tam ipse ante mortē sensit, quàm cum lacrymis semina misit. Messem autem Discipuli ejus collegerunt, & adhuc colligunt, quos ipse de corpore suo & sanguine pascere non cessat.

*Cons.* 2. Quis non occurrat tanto Legato, qui venit, ut ignorantes doceat, ægris medeatur, mortuos excitet: *Veni*, inquit, Ioan.

Io. *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*

Veni D. IESV, ut vitam habeam, & abundantiùs habeam, imò & abundantissimè habeam; quæ nulla morte exhauriri possit, eadem leni semper fluat agmine; sit vivacissima, sit tacitè labens, ut aquæ Siloë in silentio fluentes: Ut flamma sursum semper tendens, non strepens, nec fumans, ut ignis cœlestis, ipsíque cœli semper se moventes sine strepitu. Ut à vinculis peccatorum redimas vinctos; vitam æternam det mortalibus, filios hominum Filios Dei faciat, ac hæredes suos autem cohæredes: Abscondat vitam nostram cum Deo immortali, ad quem mors non habet accessum: Ignem concupiscentiarum extinguat, ignem amoris sui ut oleum accendat. Ut quasi cum lacte omnem Patris ac Matris ingenuitatem, veritatem, & similitudinem sugam, dum eum in SS. Eucharistia sub accidentibus, velut Reliquiari inclusum, suscipio: Cujus una in parte inter spinas & vites insculptum: *DEVS verus*: in altera: *Consecratione*: qui à D. Gertr. nominatus, *Vapor amoris*. L. 3. c. 10.

## Meditatio LXIV.

### Feria 2. Dominicæ Sexages.

### *De duobus comitibus D. IESV, dolore, & amore.*

Au-

AVdiam Amorem Musicæ magistrum, cantantem; & sicut amori profano semper adjunctus est dolor, sic Dominum videbo stipatum gaudio, & dolore. Petam comitatui ejus jungi.

*Cons.* 1. Quod Passio Christi ut malum naturale, pœna legalis debita peccatis nostris, sit lugubris: quia omnia continens ab omnibus fuit derelictus. Innocentia rea: Gloria infamis: DEVS debitor: Dominus servituti subjectus: Solamen universi usque ad mortem contristatum: Impassibilis supra vires passus, & præ cruciatibus emortuus. Lætitiâ cordis spoliavit se, lumine honoris, salute corporis, decôre aspectûs, thesauro vitæ, qui erat vita, pulchritudo, salus, gloria, & omne gaudium; quæ exinanitio gignit necessariò dolorem majorem Angelis pacis amarè flentibus. Adeò fuit Passio Christi repleta malis, quorũ non est numerus: Malis, nõ peccatis: sed pro quibus ut satisfaceret, mala illa suscepit, peccata autẽ non satisfaciũt, sed aggravant. Cõpatior Dñ. tot pœnis immerso.

*Cons.* 2. Quòd Passio Christi considerata ut Evangelium, seu bonum nuntium, ut liberatio generis humani, ut destructio operum diaboli, peccati, mortis, inferni, ut acquisitio veniæ, gratiæ, gloriæ; quia exmerito Christi omnes electi scripti sunt in Libro vi-

tæ: Tale necessariò gignit gaudium, ut ipse Dominus vicinior morti, tantorum bonorum matri, lætus, more Cygni, hymnum dixerit. *Et Hymno dicto exierunt*, Marc. 14.

*Cons.* 3. Quomodo Passio Dominica me impellat ad sui lætam imitationem: Per ipsam enim DEVS iratus ad mitiora super nos movetur consilia pacis: hæc est compendiosior ad æternam beatitatem via: Hæc ad supremum totius perfectionis fastigium certa semita: Hæc ad Deum contemplandum ductrix, ex cujus contemplatione debere nos Deo omnia, & adhuc plura cognoscimus.

## MEDITATIO LXV.

## Feria 3. Dom. Sexages.

### *De Contentione.*

ASpiciam & audiam de majoratu contendentes, & à Domino reprehensos, Petam agnoscere, & evitare vitium contentionis.

*Cons.* 1. Contentio est concertatio, seu pugna verborum cum desiderio vincendi, sive simulato, sive vero. Hæc facillimè incurritur, & inter discipulos orta est: quia Domino ex hominibus migraturo oportebat aliquem vicem ejus gerere, & aliorum principē fieri.

*Cons.* 2. Quomodo eos pius Magister non initæ contentionis arguat, sed formam humilitatis, quam sequantur, describat: *Vos autem*

*tem non sic, &c.* Exemplóque doceat ad summam virtutem non potentiâ, sed humilitate ascendi: ita & Apost. ait: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.* 1. ad Corinth. 11.

*Cons.* 3. Non contendendum verbis: Quia ad nihil prodest, nisi ad subversionem audientium: Tollit charitatem: Turbat eutrapeliam, & contendere dedecet virum virtuti deditum: Et quia origo illius est carnalitas: *Cùm autem Zelus & contentio sint inter vos, nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* 1. Cor. 3. Itaque videndum nobis est, non quid carnales Discipuli gesserint, sed quid Christus jusserit, quídve fecerit, de quo Matth. 12. *Non contendet, neque clamabit.* Cavebo ne à mensa recedendo colloquijs noxijs Christo agoniam procurem.

## MEDITATIO LXVI.

## Feria 4. Dom. Sexages.

*Væ, à quo exit cum donis suis IESVS.*

ASpiciam præcedentem Dominum, torrentem non voluptatis, sed doloris transeuntem, nec rediturum in Urbem, unde abiverat, nisi vinctum. Petam agnoscere, quàm ei malum sit, à quo exit Christus.

*Cons.* 1. Infelicissimum Iudæis egressum prædictum Matt. 23. *Ecce relinquetur vobis*

*domus vestra*, Templum & Urbs *deserta*, quia revelatur ira DEI, judicium æternum de cœlo, super omnem impietatem hominum illorum, qui veritatem Dei, in injustitia detinent. Inspirationes cœlestes velut captivas intra se supprimunt, nec agnoscere volunt. Hinc illa minæ: *Ego vado, & quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moriemini* Joan. 8.

*Conf.* 2. Felicissimum nobis Domini egressum, & quidem cum Discipulis transtorrentem Cedron, seu Cedrorum, id est, obscuritatum: Est enim is torrens inter Hierusalem, & Montem Oliveti: Quas enim Christus non pertransivit obscuritates noctis, tormentorum, mortis, & mentium obtenebratarum! quia nullum est cor tam cæcum, nulla æras tam varia, nec status, aut conditio, quam non pertranseat inspirationibus suis, & visitet Spiritus Domini. Joseph parvulus jam habet somnia, Samuel duodennis visiones, sexennis Tolentinas secreta Dei videt, omni horâ vocantur operarij, nulli Deus deest, nisi nos desimus Deo. Quia verò inspirationes divinæ sunt operativæ: Nam Deus, & natura nihil agunt frustra; ideo talpis negati oculi, quia terram incolunt, lucis non indigæ: Aquilis visus est acutus, quòd prædis vivant: Sic quam gratiæ cooperari, ne cum Domino [illegible] & lætitia, securitas & fortitudo,

pul-

pax & solennitas, deliciæ & gloria, pulchritudo, sanitas & abundantia exeant. Thren. 1.

*Cons.* 3. Verba D. Ambr. Lib. 3. Epist. 25. *Ideo Christus exivit de civitate, ut vos exeuntes de hoc mundo supra mundum sitis*: Ibat enim à mortalibus ad immortales. Duo sunt, quæ nos supra mundum erigunt: Contemptus mundi, & amor Dei: utrumque rogabo à Domino. 1. Per amaritudinem, quam de torrente hujus seculi hausit, ut & mihi seculum amarescat. 2. Per amorem, quo eam amaritudinem hausit, ut obtineam amorem Dei, quo habito, gratiæ Dei nunquam deero, dicente S. Mechtilde: Lib. 1. c. 5. *Qui amorem Dei in socio accipit, quidquid agit, Deo gratissimè erit.*

## Meditatio LXVII.

## Feria 5. Dom. Sexages.

### *De Scandalo Apostolorum.*

Aspiciam sibi præsidentes instar aviculæ implumis è nido in sublimè deferri, & in præcipitia immania provolvi. Petam agnoscere propriæ confidentiæ fragilitatem.

*Cons.* 1. Verba Domini: *Tunc dixit illis Jesus: Omnes* (Iudâ excepto, qui non erat ibi, nec passus est scandalum, sed fecit) *vos*, qui me tueri, aut sequi, vel saltem non fugere deberetis, *scandalum patiemini in me*, propter eam quæ in me videbitis, *in ista nocte* tenebrarũ,

nocte cęcitatis: Ego enim res accōmodo temporibus, nocte istâ, qnâ me vobis totum donavi. O ingrati! vere nox nō mea, sed vestra, quâ cōmunione sacrâ firmiores esse deberetis

*Conf.* 2. Quòd scandalum patientur in Christo, ita expetente Diabolo, qui sine licentia nihil potest: id autem Patre cælesti justè, & sanctè permittente; Scriptum est enim: *Percutiam Pastorem*, seu: *Percute*, ut habet Zach. 13. Quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur: *Et dispergentur oves gregis*, ut major appareat vis reparantis, quàm præservantis.

*Conf.* 3. Causam scandali non esse Christum: quia, ad quod quis tenetur ex conscientia, dum id facit, non est causa, si alius inde scandalizetur. Sed ego mandatum habeo à Patre, ut animam meā ponam pro multis, ideo nec vincula mea erunt causa scandali vestri: Quia vos liberi, me auctore, abibitis: Neque impotentia mea, quia eam in Malchi sanatione ostendam vigere. Restat igitur ut causa scandali vestri præsidentia vestra sit. Cohorrescam ad pericula, in quibus propter tentationes versamur singuli, cùm nec ipsi, pro quibus Christus oravit, Apostoli fuerint á lapsu incolumes, quorum fides etsi non defecerit, omnes tamen scandalizati sunt, culpâ propriæ præsumptionis,

ME-

## MEDITATIO LXVIII.

### Feria 6. Dom. Sexages.

### *De Scandalo Petri.*

ASpiciam animosissimum Petrum ter Domino contradicentem immaturo fervore. Petam exemplo Principis Apostolorum mihi non fidere.

*Cons.* 1. Dominum Petro contradicenti ter lapsum prædicentem. Ait illi JESVS: *Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte* (non mediâ, sed sub Gallicinio auroræ) *prius quàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* S. Petrus amplius loquebatur. Hic etiam Petrus nescit, quid dicat, præire vult, & sequi non potest, qui postea timore mortis Vitam ter negavit, & animam suam mactavit. Orige: hic. Petam ex duobus, quæ video in Petro, unum auferri: Præsumptionem: alterum addi, amorem: Cujus actus imperans sit sine mensura: Imperatus, quantùm vult Deus, & non ampliùs: ut medicus non potest excedere in desiderio sanitatis, sed in medicina.

*Cons.* 2. Indicia tacitæ præsumptionis omnium periculosissimæ, (quia ab ea initium sumpsit omnis perditio, Tob. 4.) esse: 1. Non recurrere ad Deum in rebus saltem difficilioribus. 2. Non Deum, sed propriam gloriam in rebus, quas quis facit, quærere. 3. Expo-

nere

nere se peccandi periculis. 4. In rebus sinistre cadentibus animo dejici, & contristari. 5. In actionibus nullo virtutis actu uti, unde facillimus est lapsus.

*Conf.* 3. Verba Domini: Ioan. 17. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo*: D. Chrysost. interpretatur: *in auxilio tuo*, quod semper implorabo: quia stante diffidentiâ sui, repugnat lapsus, ut docet Arias noster, Trac. de hac virtute.

## MEDITATIO LXIX.

### Sabbato Dom. Sexages.

*Septem gladij ignei Matris DEI.*

VIdebo SS. Matris Dei cor sicut scutum septem gladijs fulmineis circum quaque penetratum. Petam assequi ejus dolores eíque compati.

Aspiciam gladium 1 Offensam DEI: sicut enim in D. Virginis corde non erat major amor amore divino, sic in ejusdem corde non fuit major dolor, quàm ex offensione divina: ego autem causa fui dolorum Filij, ergo & causa dolorum Matris.

2. Gladius, Passio Personæ Dei, non in Divinitate, sed in humanitate, quæ respectu Divinitatis fuit sicut pes respectu capitis: sicut igitur sentit caput, dum percutitur pes, non quòd dolor sit in capite, sed in pede, sic

pes-

persona divina patiebatur in natura humana

3. Gladius. Passio Filij, cujus illa fuit Mater miraculosa: quia mansit Virgo: Mater sola, quia sine Patre; Mater solius, quia Unigeniti sibi simillimi, sui amantissimi,

4. Gladius. Passio Sponsi, qui fuit Pater gratiæ, & filiorum Dei: sicut autem post amorem sui maximus est amor prolis, ita maximus est Sponsi, qui causa est prolis.

5. Gladius. Passio JESV Patris, cujus B. Virgo fuit Filia præcipua, in qua quò major erat erga Patrem amor, eò majori excedebatur dolore.

6. Gladius. Acerbitas Passionis Christi cognita Matri ejus, quæ scivit habitus charitatis maximos in Filio nec unquam otiosos, intellectum acutissimum, quem sequitur voluntas, & appetitus; scivit causas Passionis, complexionem tenerrimam, iram dæmonũ.

7. Gladius. Passio hominum propter peccata: vidit enim Mater Dei damna generis humani, & satis intellexit, quàm paucis profutura sit tanta Passio. O quanti fuerint dolores Virginis videntis tot perire, & tam multis sanguinem Christi fore inefficacem! Petam dolorem de peccatis, zelum animarum, & efficacia ad eas juvandas auxilia, & desideria, quod faciam eo affectu, quasi totus mundus per me restituendus esset Deo.

## Meditatio LXX.

### Dominica Quinquagesimæ.

*Suadetur Passionis accuratior meditatio.*

VIdebo Dominum præcedentem suos, quasi caput, unum moriturum pro omnibus, Discipulis stupentibus, & sequendo timentibus. Petam accuratiùs meditari. Passionem Domini.

*Cons.* 1. Quomodo Passionem suam Dominus in septem partes distinxerit: *Consummabuntur*, inquit, *omnia, quæ scripta sunt de Filio hominis.* Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18.

1. *Tradetur enim.* Luc. 18. nimirum à Iuda proditore.

2. *Principibus Sacerdotum, & Scribis.* Matth. 20. *& Senioribus*, Marc. 10. Iudæis.

3. *Et tradent eum Gentibus.* Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18. Pilato, & ministris Romanorum.

4 *Ad illudendum.* Matth. 20. *& illudent ei.* Marc. 10. *& conspuendum.* Luc. 18.

5. *Et flagellandum.* Matth. 20. *& flagellabunt eum.* Marc. 10. Luc. 18.

6. *Et postquam flagellaverint, condemnabunt eum morte.* Marc. 10. Luc. 18.

7. *Et tradent eum crucifigendum* Matt. 20. *& occident.* Luc. 18. *& interficient eum.* Marc. 10.

*Cons.* 2. Causam tam distinctæ memoriæ esse

esse amorẽ suum infinitum, qui est ipsiusmet Passio, propter cujus septenam divisionem denuo sequentes ei septimanas consecrabo.

*Cons* 3. Quomodo adhuc hodie in SS. Eucharistia Passionis suæ memoriam peragat, ut ait D. Valerianus: *Discite ergo ex hoc Deum diligere, qui se quotidie cœlesti imperio Sanguinis sui essusione commendat.* Alloquar me, an credam, quòd illic sit D. Deus, Deo, per Deum oblatus, gustu infinito, infinitâ reverentiâ, infinitæ satisfactionis, & gloriæ? An non sim ego, qui eum ore & pectore absumo? an non in me consumatur oblatio, qua non est possibilis major? ubi ergo reverentia, laus, gratiarum actio?

## MEDITATIO LXXI.

## Feria 2. Dom. Quinquages.

### *Christus denuo patitur.*

VIdebo Christi D. vultum à duabus spinis per laicos, & nodosioribus fustibus â Clero, immaniter usque ad pupillarum læsionem vulneratum: quia, quantùm in ijs est, regnantis in cœlo intuitum non verentur dehonestare: ita vidit D. Gertr. l. 4. c. 15. Cùm gratiùs sit in majori afflictione auxiliũ, & nunquam major cordi Christi sit afflictio, quàm horum dierum abusus, petam modũ impediendi afflictiones Christi.

Cons

*Conſ.* 1. Mala primi generis, quibus modò Dominus affligitur, eſſe corda humana magis nunc implicata terrenis, carnalibus, perverſæque voluntatis delectationibus. Contra quæ offeram Deo Patri exercitium SS. cordis Chriſti, quod nunqnã in terris pro ſalute noſtra in amore, deſiderio, actione, laude fuit laſſatum, pro emundatione lapſuum cordis, & præſervatione dicendo unum *Pater noſter*, &c. vel: *Laudate Dominum omnes gentes.* Ita ſuaſit Dominus S. Gertrud. l. 4 c. 15.

*Conſ.* 2. Mala ſecundi generis, quibus modò replentur omnia, eſſe linguæ, & oris, verborum inutilium & nocivorum, ebrietatis, & gulæ. Offeram Patri omne exercitium Innocentiſſimi oris Chriſti, cum temperantia, & abſtinentia tam ciborum, quàm verborũ, in prædicatione & oratione continua, quibus pro ſalute noſtra inſudavit; in emendationẽ lapſuũ oris, & linguæ, dicendo ut ſuprà.

*Conſ.* 3. Mala tertij generis offendentium Deum motibus omnium membrorum contra legem Dei & ſalutem propriam, & aliorum. Offeram Deo Patri omne exercitium SS. Corporis Chriſti, cum omnibus motibus ſingulorum membrorum, totáque ſerie perfectiſſimæ converſationis, cum omni amaritudine innocentiſsimæ Paſſionis & mortis, quam ſubivit propter nos, in emendationem

omni-

omnium illorum lapsuum, & præservationē. Offeram præterea à manè usque ad meridiē omnia Sacrificia, quibus Deus laudatur, & quæ Deo debentur, & omnes actus Christi, quos pro nobis subivit ab initio suæ subjectionis usque in finem. A meridie usque ad vesperum, imò usque ad manè, pro tota nocte, quæ sub potestatibus est tenebrarū, Passionem Christi, ea spe, quòd sicut per Christū Majestatem Dei laudant Angeli, &c. sic ego per eundem reddam Deum nobis propitiū.

## MEDITATIO LXXII.

## Feria 3. Dom. Quinquag.

### *Christus denuo crucifigitur.*

ASpiciam D. JESVM recenter crucifixum. Petam pleniorem hujus malitiæ cognitionem, & detestationem.

*Cons.* 1. Inopinatum novæ crucifixionis Domini spectaculum patratum ab ijs, *quorū Deus venter est.* Phil. 3. Sicut enim Aaronica sacrificia, & victimæ toties offerri debebant, quoties peccabant Iudæi: sic Christus D toties deberet mori, quoties contra Deum peccatur, nisi tanti valoris esset mors Christi, quæ se ad omnia omnino peccata extenderet interea tamen, qui in peccata relabitur, Christum denuo crucifigit: quia quantum est in se, novo peccato novam dat causam crucis,

& mor-

& mortis Christi: facit enim rursum id, propter quod Christus crucifixus est: & sicut nullo non momento delinquimus, sic Domino nostro toto corpore passio renovatur, quilicet sit impassibilis, læditur tamen eo planè modo, quo in contempta imagine sua lædi solet honor Principis, & læsio spiritualis dicitur à Domino B. Brigittæ, L.1.c.20. *Tabescere me fecit zelus* tuus, Domine, si diligo te: David enim tabescebat, quia diligebat, ut ait D. Aug. hîc, Ps. 118.

*Conf.* 2. In particulari spiritualem Christi crucifixionem. 1. Vincula injiciunt, qui errore vel contemptu adducti servire ei vanum putant. Ita ibid l.1,c. 30. apud S. Brig.

2. Iudicant Dominum, quibus charitas, vita, & Passio Christi gravis est, l. 1. c. 57.

3. Condemnant, qui eum è cordis animæque templo ejiciunt, ibid.

4. Collum conculcant, qui nec gratias agunt pro Passione, nec eam cogitant, ibid.

5. Faciem cædunt, & conspuunt per impatientiam, qui unum verbum ferre non possunt. L. 1, c. 30.

6. Oculos velant, & illacrymare cogunt, quibus terra præ cœlo placet, ibid.

8. Aures afficiunt, qui blasphemant, quòd homo creatus sit ad mortem, non ad vitam. L. 1. c. 58.

8. Odo-

8. Odoratum fœdè divexant, qui non curant quidquam Christum, quibus falsa loqui videtur. l. 1. c. 57.

9. Gustum affligunt, & quasi aceto potant, qui spiritum diaboli sequuntur. l. 1. c. 32.

10. Linguam amaram reddunt, qui imputant illi, quòd mali sint. l. 1. c. 30.

11. Flagellant, quando omnibus sensibus, totóque corpore abutuntur dediti luxui, propter quem traduntur dæmoni, ut nec metu gehennæ moveantur. l. 1. c. 32. & 52.

12. Crucem imponunt, qui præmium volunt sine labore: virtutem flectunt in vitium. l. 1. c. 37.

13. Denudant, qui verbis fatentur, actis negant, & in terrena recidunt. ibid.

14. Extendunt in cruce, qui nec peccatum, nec pœnas tam graves putant, neque timent, eò quòd sint redempti.

15. Latus & cor transverberant, qui ad finem vitæ peccare volunt, & tunc pœnitere. ibid.

*Oonf.* 3. Quomodo hos omnes Christus D. ita revocare nitatur, L. 1. c. 58. *Si possibile esset, libenter pro unoquoque homine talem pœnam exciperem, qualem semel in cruce pro omnibus recepi, ad hoc ut ad promissam hæreditatem redirent.* Eliciam affectus solitos, & virtutes prædictis vitijs oppositas.

ME-

## MEDITATIO LXXIII.

### Feria 4. Dom. Quinquag.

*Quæ oportuit Christum pati, nè pati detrectemus.*

AVdiam prophetias de Passione Domini, ipsumque Dominum dicentem: *Oportet impleri in me quod scriptum est: Et cum iniquis reputatus est.* Petam agnoscere, & imitari Passionem Christi.

*Cons.* 1. Sicut dies & nox, serenum & nubilum à Domino sunt, sic ab eodem esse, quando nobis nihil deest; ideo ipse Luc. 22. dixit eis: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil.* D. Chrysost. ait: Volebat, recognoscerent totum divinitus emanasse: sic è contrario ibidem dixit eis: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium:* quorum verborum sensus est, instare maximam persecutionem, ut humano judicio opus videatur etiam tunica vendita gladium emere, nedum parare pecuniam in sacculo, & cibum in pera. Similis dicendi est modus Ierem. 9.

*Cons.* 2. Causam tantæ præparationis esse ipsum Dominum ad prælia juxta prophetias descendentem: debuit enim Messias innocens

cens reijci, Ps. 24. ℣. 19. à discipulo tradi, Ps. 40. ℣. 10. & Ps. 108. ℣. 8. vendi triginta argenteis, Zach. 11. ℣. 12. ut latro capi, Thr. 4. ℣. 20. conspui, colaphizari, Isai. 50. ℣. 6. gentilibus tradi, Ps. 2. ℣. 1. mirè vexari, multáque pati, Ps 21. qui Psalmus, quia de Christo erat totus, initium ejus incepit ipse cruci affixus, Matth. 27. *Deus meus, Deus meus*, &c. inter latrones reputari, & iterum mira pati, Isai. 53. per totum, ejus vestes sorte dividi, Ps. 21. ℣. 19. sitire, Ps. 68. ℣. 22. mori, Ierem. 11. Daniel. 9. Isa. 53. ℣. 10. Ps. 40. ℣. 10. Num. 21. ℣. 9. sicut ipse Christus explicat, Ioan. 3. ℣. 24. Denique lancea transfigi, Zach. 12. ℣. 10.

*Cons.* 3. Hinc sequi: Si Dominus ad bellum it, ut servus non eat? si Dux, ut non sequatur subditus? quomodo autèm vendenda tunica, & emendus gladius, docet D. Ambr. in c. 22. Luc. *Est gladius Passionis, ut exuas corpus, & ematur tibi sacra corona Martyrij* Offeram me sponsam custodibns, id est, occasionibus patiendi, ut pallium auferant, imò & corpus.

## MEDITATIO LXXIV.

### Feria. 5. Domin. Quinquag.

*Spes Resurrectionis minuit sensum Passionis.*

Vi-

Videdo Dominum personam Ducis præclarè agentem, qui ut acre bellum proposuit, sic exemplo suo, & mirabili solatio suos erigit. Petam nosse solatium, & alacriùs Domino militare.

*Cons.* 1. Verba plena solatij duplicis: *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Duobus verbis illos recreat, dum se resurrecturum, & in Galilæa manifestandum affirmat: læta pronuntiat, ne desperent: quasi diceret: Præcedam vos in patriam vestram, eò vos recipite, ibi redibo Pater ad filios, Magister ad discipulos, Pontifex ad Sacerdotes, Rex ad vicarios, Dux ad milites, Pastor ad oves, Caput ad membra, Victor ad obtenturos victoriam.

*Cons.* 2. Quomodo idem solatium aliàs sub baptismo explicuerit: quia, ut advertit D. Chrysost. qui baptizatur, ex aqua multa cum facilitate ascendit, ab aquarum natura non impeditus: sic & ille cùm in mortem descendisset, multa cum facilitate ascendit.

*Cons.* 3. Si non esset de fide, sed tantùm lumine naturæ sciretur, esse alteram vitam, beatam, & immortalem, ad tam felix nuntium libenter vendèrem tunicam, & emerem gladium propter spem boni futuri, & ut tutiora consequerer. Quòd si tot eunt per Oceanos amore auri, & tam pauci redeunt:

egóne spei divinæ infallibili nixus, propter beatam resurrectionem, exemplo Christi quæcunque mala ventura non perpetiar? Petam afflictiones malum necessarium alacriter superare.

## MEDITATIO LXXV.

## Feria 6. Dom. Quinquag.

*Initia sint sine defectu ferventia.*

VIdebo Dominum propiorem pugnæ efficaci animosiorem, transeundo prædium, villam, hortum, ipsum denique montem Oliveti superando. Petam lumen ad agnoscenda Domini mei ferventia initia, & gratiam ab ijsdem incipiendi.

*Cons.* 1. Quomodo omnes quatuor Evangelistæ ingressum Domini ad locum certaminis describant: Mar: 14. est: *Et veniunt in prædium.* Matt 26. *In villam, quæ dicitur Gethsemani,* vallem olei, vel torcular olei, vel pecuaria butyri, ut ajunt interpretes. Joan. 18. *Vbi erat hortus, in quem introivit ipse, & Discipuli ejus.* D. Chrysost. ait properâsse ad locum proditori cognitum, ut auferret insidiantibus laborem, & Discipulis ostenderet, se sponte ad mortem venire.

*Cons.* 2. Causam hujus fervoris: Quia nisi ferveant initia, malè incipiunt, & in pejus degenerant: Qualem enim quis viam lutu-

lentam vel floridam iniverit, per talem decurret. Si pestis in semine sit, perversum erit germen. Testa figuli male initio cocta, fundamentum in arena, infans deformiter tortus, affecta erunt omnia. Parvus initio error in magnum excrescit eundo, qualis fons, tales fluvij. Quomodo perfectionem se consecuturum speret, qui ab ea non incepit? Reflectam me ad hortum, in quo fuit Adam, & hunc, in quem introivit JESVS, & quæram, cur ex simili loco tam dissimilis exitus? Adæ infamis, Christi victoriosus? solvet mihi dubium D. Bern. loquens de Adæ lapsu: Ser. de S. And. *Non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem.* Petam fervorem, sine quo non habeo fortitudinem.

*Cons.* 3. Duo media ad fervorem auctore Christo dari: Alterum, bona consuetudo in omnibus ferventer operandi: alterum frequentatio SS. Luc. 22. *ibat* Dominus *secundùm consuetudinem in montem olivarum.* Matt. 26. est: *Oliveti*, id est, vallis pinguium; quia spirituali pastus cibo conscendere debet montẽ virtutũ, quibus ungatur & reficiatur.

## MEDITATIO LXXVI.

### Sabbato Dom. Quinquag.

*Septem dolores B. Virginis.*

VIdebo B. Virginem luctu plenam, septem dolo-

doloribus lugubrè vestitis circumseptam. Petam eos agnoscere, eique compati.

Aspiciam 1. dolorem nondum è corde Virginis deletum, in prima Christi ab Herode persecutione ortum.

2. Dolor: De quo ipsa dixit S. Brigittæ, Lib. 6. c. 56. 57. 58. in cogitatione fuit D. Virginis dicentis: Quoties aspiciebam Filium meum, quoties involvebam pannis, quoties videbam ejus manus, & pedes, toties animus meus quasi novo dolore est absorptus: quia cogitabam, quomodo figeretur cruci.

3. Dolor, qui fuit, inquit D. in auditu meo: Nam quoties audivi opprobria, & mendacia & insidias filio meo positas, animus meus motus est ad dolorem, ita ut virtute Dei cohiberi debuerim, ne motum transirem honesti, & ne impatientia, vel levitas notaretur.

4. Dolor fuit in visu, inquit, meo: nam quando vidi Filium meum flagellari & ligari, & in ligno suspendi, dolore quasi exanimis reassumpto deinde spiritu steti dolens, & patiens, ut nec inimici mei aliud in me reperirent.

5. Dolor, in tactu, inquit, meo: Ego enim cum alijs deposui Filium meum de cruce, & involvi, & imposui in tumulum, ubi sic augebatur dolor meus, ut vix manus meæ, & pedes mei habuerint robur ad sustinendum.

O quàm libenter tum fuissem sepulta cum Filio meo!

6. Dolor desiderij. Patiebar, inquit, ex vehementi desiderio perveniendi ad Filium meum, postquàm ipse ascendit ad cœlum. Quia longa mora, quā habui in mundo post ascensum ejus, dolorē meum augmentabat.

7. Dolor compassionis dilectorum DEI. Patiebar, inquit, dolorem ex tribulatione Apostolorum, & amicorum Dei, quorum dolor erat dolor meus, timens semper, ne succumberent, & dolens, quòd verba Filij mei ubique haberent contrarietatem.

## MEDITATIO LXXVII.

## Dominica 1. Quadrag.

### *Tria mala mundi triplici modo superãda*

VIdebo Dominum anno ætatis suæ 31. à 7. Ianuarij post baptismum usque ad 18. Febr. jejunantem, & tentatum in eo deserto, ubi inciderat in latrones ille. Luc 10. Petam lumen pugnandi cum hoste, & vincendi.

*Cons.* 1. Primam hostilitatem esse delectationem, quæ sub falsa ratione boni objicitur sensibus, & appetitui. Sic dæmon hodie Christo objecit panes, quem Dominus continuò rejecit unico, *Non in solo pane &c*, Quod remedium contra delectationem ipse fusius explicat D. Gertru. l. 4. c. 17. *Cùm quis impu-*

*gnatur*

*gnatur aliquâ delectatione, quanto magis sequitur impetum delectationis, tantò inordinatior efficitur ad resistendum, quia intrat in tentationẽ.*

*Cons.* 2. Alterum hostem esse consensum, à quo vincitur, qui delectationi locum dat. Christus hinc se faciliùs liberavit, dum audiret: *Mitte te deorsum*: Quò generosiùs primæ tentationi se opposuit iterando: *Non tentabis Dominum, &c.* Quæ resistentia à jejunante facta: quia jejunium addit vires resistendi. Ceciderunt pastos impasti, ait Tertull. de Israëlitis cædentibus Philistæos 1. Reg. 14. quod D. Ambr. Serm. 25. non tam virtute militum, quàm abstinentiâ ait factum: & Ecclesia miram jejunij vim in orationibus suis proponit, dum ait: Quòd jejunando ab epulis contra spirituales nequitias pugnaturi, ab omnibus adversitatibus, per promptiora continentiæ auxilia muniamur in corpore, impetremus abstinentiam à vitijs, & delictis, à passionum tyrannide liberemur, à pravis cogitationibus mundemur, purificemur, & sanctificemur in mente: donemur virtute, cœlestibus instruamur disciplinis, placeamus DEO, ejus desiderio accendamur, gratiâ Dei & devotionis satiemur, cunctis efficiamur hostibus fortiores, subsidia præsentia & futura, indulgentiæ, salutísque æternæ remedia, ac beatæ perennitatis effectum obtineamus.

*Conf.* 3. Tertiam hostilitatem Concupiscentiam, quasi mundi diluvium, quam utiq; Christo excitaret dæmon, *ostendit ei omnia regna mundi*, sed audijt: *Vade Sathana D Deum adorabis, & illi soli servies.* Est concupiscentiæ affectus ad ea, quæ non habentur. Superatur renuntiatione amoris omnium, & hic habetur cognitione, quòd nihil sit amore dignum, præter Deum: Quia nihil meretur nomen boni, nisi Deus: quæ cognitio meditatione acquiritur; unde apud D. Gertr. l. 4. c. 56. orantibus Dæmones cum mundi rebus se insinuantes, audiendo: *Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsimus*, confusi dæmones omnes, ut canes rabidi aquâ calidâ perfusi velociùs aufugerunt: *Et quoties ex corde id dicitur, propter amorem IESV, virtus Diaboli fugatur.* Petam miles à Duce JESV *stipendium vitæ*: ita SS. Eucharistiam nominat D. Paschasius de Ven. c. 8. Orabo. ut Veniam culpæ. 2. Pœnæ. 3. Præservationem à lapsu. Ut *recedamus ab hac mensa facti diabolo terribiles*, ita D. Chrysost. Hom. 61.

## MEDITATIO. LXXVIII.

### Feria 2. Domin. Quadrag.

### *Collaborandum D. IESV, ne iterum 7. tedia passionis ferat.*

ASpiciam D. magnitudine doloris impulsum

sum cum tribus charioribus Discipulis ad orationis auxilia se recipientem. Petam a gnoscere tædij novas causas, & adlaborare ne nauseam Deo præbeam.

*Cons.* 1. Dominum initia passioni suæ dantem, à duabus rebus horrendis. A privatione voluntaria omnis sensibilis lætitiæ, quam aliàs habuerat, nunc autem ei omnem aditum intercludit. Deinde ab assumptione voluntaria affectuum contrariorum, dando licentiam appetitui producendi, ad majorem amaritudinem passionis, *Timorem* de imminente morte, qui timor, quà tremorem, & stuporem causat, dicitur *Pavor*: quà angustiam internam producit, appellatur *Agonia*, & *Tædium*, quod est nausea rerum omnium, quæ sunt in mundo: & *Tristitiam*, quæ est affectio interna de malo præsenti, qui omnes affectus Christum circumdederunt, & obsederunt usque ad mortem, sive durando usq; ad mortem, sive tam intensi, ut vi suâ Christo mortem inferre potuerint, nisi se majoribus servâsset malis.

*Cons.* 2. Verba Domini: Matt. 26. *Sustinete hîc, & vigilate mecum*: quasi diceret, subdit Origenes: Cæteros ut infirmiores sedere jussi: vos firmiores volo collaborare mecum in vigilijs, & orationibus. Sunt autem novi tædij causæ, ut ipse ait S. Brigittæ. Libro

l. c. 30. 1. Flagellant me per impatientiam. Quia unum verbum pro me ferre nullus potest, qui pro eis tuli verbera. 2. Coronant me spinâ superbiæ suæ: Quia altiores me esse volunt, qui fui sub pedibus Iudæ, & potestate tenebrarum. 3. Calcant me quasi in doloso, quando hominem præponunt Deo, & Iustitiam meã pro nihilo habent, & in arbitrio suo constituunt tempus, & modũ misericordiæ meæ, L. 4. c. 99. 4. Affigunt me ligno voluntate peccandi, quâ absolutâ me felle potant amarissimo. 5. Pungunt manus meas, & pedes ferro indurationis: quia gloriantur in peccatis, & indurant se, ne timeant me. 6. Percutiunt me quasi in dentes, quando auditis præceptis meis, & passione peccant, & sperant cœlum, dicentes: Si nos æternùm perdere voluisset Deus, & punire, non creâsset, nec redemisset nos tam amarè. 7. Tollunt me è medio, quando doctrina mea illis est mendacium, & mors mea fatuitas: quam utiliter sustinui, si adhuc ex charitate libenter pro homine morerer, si esset possibile. Proponam hæc impedire in me, & in alijs.

## MEDITATIO LXXIX.

### Feria 3. Dominicæ 2. Quadrag.

*Septem internæ contristationes Christi.*

AVdiam Dominum ingeminantem illud

Psal.

Ps. 114. *Circumdederunt me dolores mortis, &c.* Petram Domino compati.

*Conf.* 1. Ex revelatione B. Baptistæ Veranæ: Chron. S. Franc. tom. 2. l. 7. c. 14. Dolorem. 1. Christi, & tristitiam ex animabus damnatorũ, quantus esse potest ex disjunctione membrorum toties facta, quoties peccatum mortale commiserunt. Tantus dolor, quantus erga eas amor, & quantò anima corpore pretiosior, cujus utilitatem, & animæ nobilitatem solus DEVS novit: ideo solus Deus scit, quomodo, & quantum doluerit, quòd *nunquam* futurum esset, ut capiti suo reunirentur.

2. Dolor mentalis cordis Christi, pro omnibus Electis, per peccatum mortale separandis. Differt hic dolor à præcedente, sicut manus abscissa nõ sentitur à lupo devorata, sentitur autẽ si nõ sit abscissa: sic dolor Christi major erat circa Electos, quàm reprobos.

3. Dolor Christi pro B. Virgine ob dolores, quos passa est, ideo elevata supra omnes creaturas: Quia supra omnes passa, & nisi Martyrium meum debuisset esse sine ulla consolatione, voluisse illius Pœnas meas esse.

4. Dolor pro Magdalena, quæ post Matrem meam maximè doluit, & dum Discipuli ad retia redirent, ipsa relictis Angelis Matrem meam, & me vel vivum, vel mortuum

habere voluit: ideo feci eam Apostolam Apostolorum, & dedi ei ut 33. annis ignota mundo sentire ultimos effectus amoris, qui in hac mortali vita sentiri possunt.

5. Dolor pro charis Discipulis, non frater fratrem, non Magister discipulum, non Pater filium tantùm dolore potest. Illa corporalis avulsio ab ipsis erat mihi altera mors: Verba ultima mea sine fletu à considerante nequeunt legi: videbam hunc debere amore mei crucifigi, alterum decollari, alium excoriari, & ego causâ omnium.

6. Dolor mentalis ob Iudam ingratum, qui acceperat condonationem omnium peccatorum, operationem miraculorum, Apostolatum, dispensationem rerum mearum, singularem ostensionē amoris mei, ad cujus pedes in lotione pedum illacrymatus sum, inclinato capite, & cooperto capillis meis: quòd advertit Ioannes (postquam ei passionem meam revelavi: non autem Magdalenæ, quód ista impediviſſet: Ille autem agnito fructu ejus non impedivit) proprer quod brachio utroque concidit super collum meū magis mortuus, quàm vivus, ex stupore eorum, quæ feci Iudæ, sicut Pater filio morienti ultimum affectum.

7. Dolor ob ingratitudinem populi Iudaiq̄ nō jam propter beneficia vetera, sed quód

me

me Barabbæ postposuerit: hic mihi videbatur cor scindi: nescit, nisi qui probat, quid sit recipere mala ab eo, cui benefecerit. O quàm durum est, ut innocens à toto populo audiat, Moriatur: & dignus mille mortibus voce populi totius gratiam recipiat!

## MEDITATIO LXXX.

## Feria 4. Dom. 1. Quadrag.

### *Septem pavores Christi.*

ASpiciam Dominum angustijs undique coarctatum, lemuribus undiq; circumvolitantibus, & contra Dominum se animantibus. Petam Domino compati agnitis pavoris causis.

*Cons.* 1. Quomodo fugiant omnia naturaliter non existere, quæ causa fuit pavoris Domini, crescebátque, quò magis agnoscebat summam peccatorum indignitatem, qui summè amabat honorem Patris, & Majestatem. Accessit septena pavoris causa, orta 1. ex agnitione, ut ipse Dominus conqueritur S. Brigit. l. 1. c. 41. quòd Clerus potestate abutatur, essétque abusurus.

2. De laicis, quòd non servent fidem, nec servaturi.

3. A Iudęis, quòd nõ credant, nec credituri.

4. A Paganis, quòd colant creaturas, DEI obliti.

5. Ab amicis, fururis in medio malorum, quorum os & opera lancinabunt mali.

6. Ab eo, quòd Christus habendus pro inhoneſto, quia ſuaderet honeſtatem. l. 1. c. 46.

7. Quòd habendus pro viliſsimo: nihil enim homines tam modicum habent, quod non diligant præter Deũ. de omnibus dolent, præter quã de Deo, Quid vilius cane? & ſunt, qui potius me abjurarent, quã cane carerent. Impediam hos dolores Chriſti in me, & alijs.

## MEDITATIO LXXXI.

## Feria 5. Dom. 1. Quadrag.

### *Septena mœſtitia Chriſti.*

ASpiciam Dominum nos è tenebris inferni per doloroſam Paſſionem ad diem lucis perpetuæ pariturum, ideóque graviùs angi propter imminentem Paſſionem. Petam agnoſcere mœſtitiam Chriſti ſeptenam, eique compati.

*Conſ.* 1. Cauſam mœroris Chriſti è D. Chryſoſt. ne phantaſma putaretur: ex Origene: ut veram carnẽ habere comprobaretur. ex Theophil. quia naturaliter inviti tendimus ad mortem. ex D. Brigitt. l. 1. c. 39. Domino revelante, quòd ſicut in omnibus membris peccavit homo, ſic in omnibus paſſurus erat Chriſt', cujus Paſſionis ſeptẽ puncta recenſet.

1. Caro mea preſſa quaſi in torcular, crines extenſi, nervi diſtincti.

2. Iun-

2. Iuncturæ extractæ de compagibus.
3. Ossa laniata.
4. Manus & pedes ferro confixi.
5. Mens turbata.
6. Cor novo dolore affectum, qui eò de venis perforatis processit.
7. Intestina ad dorsum contracta, & sicut sanguis infirmi in omnibus venis siccatur, & consumitur, sic ex dolore naturali mortis, sanguis meus consumebatur.

An non igitur merito cœperit tędere, contristari, pavere, & mœstus esse, habitis ante oculos quatuor septenarijs dolorum, hactenus ad meditandum propositorum? Quisquis ad victoriam sui hostis interni ingreditur, sic luctetur oportet.

## MEDITATIO LXXXII.

## Feria 6. Dom. 1. Quadrag.

### *Septem avulsiones Christi.*

VIdebo quomodo Dominus progressus pusillum Matth. 26. nolebat longè fieri ab illis, ut viderent orantem & afflictum, & discerent humilia de se sapere, & orare solicitè; quem progressum Lucas vocat avulsionem, quia æquè ab ijs discedebat, ob amorem, & mœrorem tanquam via avulsus; natura enim solatium quærebat ex societate charissimorum Discipulorum, sed ratio exigebat,

bat, ut orationi se daret. Petam agnoscen septem dolorosas Christi avulsiones, & gratiam ei me conformandi.

1. Avulsæ sunt à Christo omnes creaturæ: nam fuit ab omnibus derelictus.

2. Apostoli à Christo avulsi; qui omnes relicto eo fugerunt.

2. Avulsus à Christo Petrus: qui eum planè negavit.

4. Avulsa Virgo B. ante Passionem Filio suo valedicens, ut refert D. Bonavent. cap. 72. Vitæ Christi.

5. Avulsi sūt Angeli, quos majori numero, quā 12. legiones habere potuit, sed deservit.

6. Avulsus ipse Deus Pater, à quo se clamat derelictum.

7. Corpus Christi ab anima ejus in morte avulsum est. *Certè*, inquit D. Bernar. serm. 43. in Cant. *videntes angustias Domini levius vestras portabitis*. Videntes eum timentem, Cornelius habet *gementem*, Albertus M. legit *rugientem* præ derelictione.

## Meditatio LXXXIII.

### Sabbato Dom. 1. Quadrag.

### *Septem Lanceæ B. Virginis.*

Videbo B. Virginem tam acri dolore septeno transverberatam, ut lanceis confixa videri posset. Petam agnoscere hos dolores, & que compati.

Cons-

*Cons.* Quomodo B. Virgo se appellet mulierem habentem cor affixum quinque lanceis, quas dum enarrat, duas alias addit, apud D. Brigit. l. 1. c. 17.

Lancea 1. quòd Filius suus sit habitus proditor, mendax, insidiator, fatuus. l. 4. c. 30.

2. Lancea: quòd ad columnã (ubi se personaliter vestibus exuit, l. 1. c. 10.) manus applicuerit, quas inimici sine misericordia ligaverunt, & crudeliter totum flagellârunt.

3. Lancea: Spinea corona, quę non fuit ut tenue sertum rotunda, l. 4. c. 70. sed ad instar pilei totum caput ambientis, & ferientis.

4. Lancea: Vox lamentabilis in cruce, anxia dolore maximo, alta, & flebilis, labijs pallidis, & linguâ sanguinolentâ.

5. Lancea: de quot venis sanguis ejus pretiosus exivit, quasi tot lanceis cor meum perforatum est. l. 7. c. 15.

6. Lancea: Tremor membrorum ejus, & capitis ad dorsum modicâ elevatione sui inclinatum, & digitorum, brachiorumque, quę erant quodammodo contracta, & extensa.

7. Lancea: Vultus lugubris, venter dorso inhærens consumpto humore, quasi non haberet viscera, corpus pallidum, & languidum, ex fluxu & egressione sanguinis: color mortis in partibus, quæ præ sanguine videri poterant: maxillæ submersæ (l. 4. c. 70.)

denti-

dentibus inhærentes, costæ verò attenuatæ quæ dinumerari poterant: attenuatæ quoq; nares, quę sicut reliqua omnia rigescebant.

## Meditatio LXXXIV.

### Dominica 2. Quadragesimæ,

*Deus addens solatia, addit dolorem.*

Aspiciam Dominum in Thabor transfiguratum, in horto exinanitum. Petam cooperari gratiæ per Patientiam.

*Cons.* 1. Quomodo Apostoli tres gloriosum viderint Dominum transfiguratum. Angelorum desiderių, in quo Beatorum omnis est felicitas reposita; cujus momentaneo aspectu cadunt in faciem suam discipuli, patiuntur deliquium, & Petrus alias capax Dei abit in extasim, nec scit, quid loquatur. Quidquid sub Sole est, evanuit, *neminémque viderunt, nisi solum Iesum*, qui solus corda omnium rapere debet.

*Cons.* 1. Quomodo hi discipuli, quia gloriosa Domini viderant, debuerint & tristia videre, eáque viderint, dum intuerentur amicitiam prodi, lætitiam tristari, libertatem vinciri, claritatem obtenebrari, majestatem despici, integritatem calumnijs proscindi, innocentiam condemnari, Iustitiam plecti, transfiguratum exinaniri, vitam deficere, & occidi. O qualis excessus decadis oppositorum,

rum, juxta se magis illucescentis! nimirum ut querelarum semen suffocetur, debent honorati laboriosiores esse non honoratis. Disquiram ex me, num pro appetitu honorum labores quæram.

*Cons.* 3. Quem diem ego in terris me habiturum sperem, si lethali tædio laborat Aurora. Certè si Discipuli, quia gloriosa Domini viderant, videre debuerunt & tristia: & ego gloriosa video, dum communico, dicente S. Ignatio Mart. ep. ad Ephes. *Festinate frequenter accedere ad Eucharistiam, & gloriam DEI*: vel negare debeo me discipulum Domini, vel fruendo gloria DEI, oportet me pœnas ejus contemplari, & experiri. O Pulchetrime, cur te non amo? O afflictissime, cur tecum non patior? cur propter bonitatem tuam nō aufero malitiam meam? cur ex reverentia Passionis tuæ non flecto rigidum cor meum? O beate JESV, cur te non lætifico? ò afflictissime JESV, cur meliorem sortem quæro? *Solus testis est Majestatæ, qui socius probatur doloris.* Aug. serm. 120. de Temp.

## MEDITATIO LXXXV.

## Feria 2. Dom. 2. Quadragesi.

### *Christus Dominus Exemplum Orationis.*

ASpiciam Dominum orantem ad Deum, genibus flexis, prostratum super terram in

in faciem suam, iterumque, & omniũ longissimè tertiò orantem vocaliter, Petam agnoscere artificiũ orandi Deum.

*Cons.* 1. Quomodo Dominus, cùm processisset paululum, positis genibus procidit, ut bibentes è fonte aquas genua flectunt, sic dũ petuntur gratiæ è cœlo id agendum positis genibus: ergóne Deus genua flectat, & non ego? Misericordia se inclinet, & non se inclinet miseria? flectat Charitas, & non flectat iniquitas? flectat Medicus, & non flectat infirmus? genua ponat Innocentia, & non se inclinet malitia? flectat Dominus, & servus non? flectat Deus, & non flectat homo? flectat Iudex, & non flectat reus? hujus rei gratiâ cũ S. Paulo ad Ephes. 3. flecto genua mea. Utinam cum D. Bartholomæo per diem centies, Apollonio Abbate ducenties, M. Antonio tota subinde die, noctéque, cum Iacobo Alphei usque ad obductionem callorum.

*Cons.* 2. Procidit super terram ille, cui flectitur omne genu cœlestium, 24. Seniorum, terrestrium, trium Regum, Cornelij, Archisynagogi, Hæmorrhoissæ, Petri, &c. & inferorum, Dæmonum, juxta illud: *Inimici ejus terram lingent.* Ps. 71. Obstupescit hîc D. Hieron. exclamando: *Sanctus Sanctorum procidens adorat.* Procidit super terram, quando de cœlo venit incarnandus: procidit in terrã

virgi-

virgineam, quando est natus: procidit in terram maledictam, ut eam contactu suo benediceret. Erat terram relaturus in cœlum, igitur complecti debuit. Habuerat inimicitias cum terra, pacem facturus dat ei osculum. Pater communis Matri communi terræ per mortem uniendus, eidémque datuus sanguinem, corpus, animam, & divinitatem suam, omnia simul in terram procidendo misit. Procidit in faciem suam, videns quò caderet, nō sicut illi, qui ceciderunt retrorsū.

*Cons.* 3. *Orans & dicens,* Marcus ait: *Orabat & dixit,* Christus vocalis orator maximus toto corpore initio dicendi perhorrescens. Quinque causæ sunt orandi vocaliter. 1. Ad excitandum devotionis affectū. 2. Ad supplendum, quando non succedit mentalis oratio. 3. Pro majori collectione, & attentione. 4. Ad honorandum Deum ex toto. 5. Propter redundantiam affectûs interni, quem cohibere non possumus. Si Christus, qui tantùm ab externis objectis tentari potuit, terrente eum Dæmone, aut aliquid suadente, nihilominus in agonia factus orat prolixiùs: ego qui à perturbationibus meis tot clades accepi, ignaviæque meæ acceptas referre debeo, non orem? O Agonizans JESV, averte à me damnatam orationis intermissionem.

ME-

## MEDITATIO LXXXVI.

### Feria 3. Dom. 2. Quadrag.

*Resignanda voluntas nostra in voluntatem DEI.*

ASpiciam voluntatem Christi absorptã à voluntate DEI, sicut Stellæ absorbentur à Sole. Petam discere modum resignandi voluntatem meam, in voluntatem Dei.

*Cons.* 1. Orantem Dominum: *Si vis potes*: fieri enim potest, quod ille voluerit, ait D. Aug. ergo non ex impossibilitate, sed ex voluntate supposito decreto non erat possibile. Orabat tamen sinens naturam agere humanas partes suas, sicut egisset, si neque cum Divinitate conjuncta fuisset, nec de divino decreto quidquam scivisset. Itáque geminũ hic velle ostendit, alterum carnis, passionem recusantis, alterum divinum, eam volentis, ut ait D. Athan. per infirmitatem petit ne fiat; per fortitudinem, ut fiat: ex hominis persona renuit, ex Dei Filij potestate confirmat. Docet humanæ voluntati præponi voluntatem Dei. Semper habendus præ oculis horrendus ille carnis & spiritûs conflictus, orantis, & agonizantis, sanguinemque fundentis Christi, & tam profundâ sui resignatione se vincentis, ut nulla unquam creatura, si omnium resignatio in unum conflaretur, inquit Suso in 9. rup.

Ite-

*Iterum 2. abijt, & oravit eundem sermonem dicens.* Relinquere se, certissimum est contra lapsus præsidium: Quia quisque tentatur à concupiscentia sua, ergo qui nihil concupiscit, gratis tentatur, ut si quis impedientem vestem abijciat, non poterit ab illa in cursu impediri. Qui patitur id, quod non potest evadere, neque ei se subtrahere, DEO est tam gratum, ait Dominus D. Gertr. l. 3. c. 70. ut humanitus nequeat discerni, quid sit gratius, sponte vel necessitate pati: est enim hoc sanctificatum verbo Christi, in extrema necessitate constituti, orantisque: *Pater, si fieri potest,* &c. In renuntiatione sui denique latet ars sanctitatis, intra unum Ave Maria consequendæ: Quia sceleratissimus quisque agonizans v. g. acceptis Sacramentis in voluntatem Dei ex toto se resignans, atque ita moriens, est innocens, & sanctus. Ita Venerab. Blosius in suo monili: & ratio est: Quia divina voluntas est forma, & regula sanctitatis: si igitur nostræ voluntati uniatur, continuò ei dabit sanctitatem. O resignatio sui aurium Dei laus, amœnitas oculorum, honor humanitatis, delectatio divinitatis, exclamat, D. Gertr. l. 3. c. 64.

3. *Relictis illis iterum abijt: & oravit:* apparuit autem illi Angelus de cœlo (humana specie, aliqui putant fuisse Michaëlem) confortans

fortans eum Luc. 22. simili oratione: Domine, tu potes contra mortem, & infernum genus humanum liberare. Decretum Dei est immutabile: Medium est dolorosum: pretium est sanguinis: finis est glorioſus: fructus omnium jucundissimus: hæc est voluntas DEI bona, quia præcepti: bene placens, quia consilij: perfecta, quia à Deo inspirata. *Propositosibi* tum à Patre, tum ab Angelo, *gaudio*, si crucem subivisset, fore ut thronum obtineret divinitatis, confusione contemptâ, Hebr. 12. D. JESVS ad crucem se resolvit: *Non mea*, inquit, *sed tua voluntas, Pater, fiat.* Huic voci salutem meam debeo, quam nisi Christus meus addidisset, de salute mea, imò totiùs mundi fuisset conclamatum.

## MEDITATIO LXXXVII.

### Feria 4. Dom. 2. Quadrag.

*Vehemens affectus liquefactionis, quòd Christus D. Calicem pro me biberit.*

VIdebo Dominum JESVM recipientem calicem amarum de manu Angeli, & bibentem. Petam esse gratus pro ineffabili ejus erga me dilectione.

*Cons.* 1. Quomodo *factus in agonia* (angore, angustia, anxietate animi) *prolixiùs orabat, & factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*: Crassiores guttæ

veri

veri sanguinis, vel aquæ mixtæ sanguine. S. Irenæus ait fuisse globos sanguinis. L. 3. c. 32.

*Conf.* 2. Edoctus, quòd Dominus orando pro translatione à se calicis cũ resignatione, doduerit nos postulandi modum in malis nostris, maximè pœnalibus: Sed & caput quòd utatur medicinis adversis, sanumque affligatur pro ægro corpore; Princeps, & Sacerdos pro populo in se usurpet remedium: pastor ovibus suo incommodo, & dolore medeatur: Imò illis de de suo corpore pastum, de sanguine potum conficiat: *Quid retribuam Domino, &c. Calicem salutaris accipiam*, &c. Psal. 115. Et gratias agam 1. DEO Patri, quòd amore impulsus erga me Filium pro me dederit. 2. Gratias agam Filio, qui dilexit me amore *æterno*, ante mundi constitutionem: *Gratuito*, quia sine commodo suo per Passionem beneficia contulit: *singulari*, quia ita dilexit, acsi socium non haberet: *recto*, qui ad sanctitatem duceret: *vehementi*, quo tanta tulit pro me in rebus, Discipulis, Matre, sensibus, corpore, animo, omnibusque potentijs, patiendo cum tanta humilitate, obedientia, silentio, mansuetudine, charitate, omníque virtute: *perseveranti*, quia semper amat. O si redamare te possem, sicut oportet! 3. Gratias Spiritui Sancto: quia cor Patris & Filij ad meam redemptionem commovit, Chri-

sti

sti adventum ptænuntiavit, me ad Fidem erexit, à malo retraxit, ad amorem Salvatoris inflammavit, ad mihi renuntiandum, in prosperis & adversis, corpore, & anima, vitâ & morte, tempore, & æternitate exemplo Filij Dei me permovit.

## MEDITATIO LXXXVIII.

## Feria 5. Dom. 2. Quadrag.

*Ille diligit proximum, qui se negligit.*

ASpiciam Dominum ter interrupto cum Patre colloquio ter ad suos visitandos & animandos abiisse. Petam cognitionem veræ in proximum dilectionis.

*Cons.* 1. Quomodo *venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dixit: Sic.* itáne ubi promissa? *non potuistis una horâ vigilare mecum*, non solùm vigilante, sed etiam orante, sudante, & cum morte pugnante? Vos, qui me dormiente pugnare debebatis, ne vigilare quidem momento potuistis? Et Petro inquit: *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare mecum* corpore & mente, quomodo ergo mortem spernes? *Vigilate & orate, ut non intretis in* me negandi *tentationem. Spiritus quidem promptus est* ad confitendum, *caro infirma* ad tolerandum: quia nondum virtute induti ex alto. In tentationem intrat, qui orare negligit.

*Cons.* 2.

*Conſ.* 2. Quomodo peractâ oratione ſecundâ redierit, imò & tertiâ, rediens invenerit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant, quid reſponderent ei. Gravati oculi non tam corporum, quàm animorum vicinâ negatione: Vel gravati ſomno: Quia erat multa nox: Vel gravati humore præ triſtitia: Solet enim mœror animi ſicut lacrimas exprimere, ita vapores in cerebro excitare, unde naſcitur ſõnus; videmusque infantes poſtquã fleverunt, altè dormire, & viros, cùm in luctu ſunt, opprimi ſomno.

*Conſ.* 3. Quomodo Chriſtus ſui negligens ipſos inviſat; ſic auri faber præclarum opus in fornace liquans colloquium animi reſcindit: Mater ægrotum filium ſurgens â menſa viſitat, jamq; excitat, jam dormire ſinit, ne moleſta ſit: Sic avis metuens pullis nidum circumvolat, & dux in acerrima obſidione vigil ad portas ſe ſiſtit: Et Chriſto minor eſt vitæ impetrandæ, quàm ſuorum commodis procurandis cura, dum ſui oblitus in tanto rerum cardine cum Patre interrumpit colloquium. Diſcam ſuſpectam eſſe charitatẽ Dei, quę caret metu, curâ, & ſolicitudine proximi ſui.

## MEDITATIO LXXXIX.

### Feria 6. Dom. 2. Quadrag.

*Omnis patiens lætus.*

ASpiciam Christum ex tristi lætum (quia usque ad mortem suam in voluntatem Patris se resignavit) lætum & hilarem morti obviantem. Petam agnoscere lætitiam patientium conformiter voluntati Dei.

*Cons.* 1. Verba Domini Matt. 26 *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormitejam, & requiescite*, sive id dicat ironicè, sive ut metum demat, sive ut oportere se pati, nec indigere eorum auxilio ostendat; *Sufficit*; quod dixit requiescens prius aliquantulum, statimque addit: *Venit hora: Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum*. Matth. 26. Marc. 14. flagitiosorum, & gentium. *Surgite, eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet*. Matt. 26. *Qui me tradet, prope est*. Matth. 14. Ultro pergamus ad mortem; non inveniant nos timentes, sed gaudium, & confidentiam videant; Voluntas robustior est, cùm appetitus consensit. Imaginationem præcipuam pavoris causam vincat promptitudo animi generosa.

*Cons.* 2. Quomodo resignatio Christi patientiam ejus lætificaverit: Quia istiusmodi homines resignati, nulla in re animi afflictionem sentiunt: nam animi dolorem vel afflictionem dicimus, cùm voluntas hominis deliberata ratione vellet afflictione carere, atqui homines mortificati operationi divinæ ut suæ acquiescunt. Itaque qui in adversis vo-

voluntate propriâ extinctâ divinam amplectitur, quibuscunque in casibus animo non affligetur: quia invito Deo nihil nec fieri, nec durare vel ad momentum potest.

*Cons.* 3. Causam mearum in adversis tristitiarum satis nunc videri: Si enim patiens essem, & voluntariè patiens, non tristarer: Quia omnis patiens lætus est: Quia, ut ait Nazianz. in poëma: de virtute: *Patientia molestiarum est decoctio.*

## MEDITATIO XC.

## Sabbato Dom. 2. Quadragesimæ.

*Septem anxietates perpetuæ B. Virginis.*

ASpiciam Divam perpetuò mœrentem, lætitiâ tamen quadâm propter conformitatem cum Deo mixtam, & quia videbat eum, qui nunquam peccavit ex tanta charitate pati. Petam agnoscere vim illarum anxietatum.

*Cons.* 1. Quomodo affligebatur B. Virgo timore Domini, disponendo se ad fugiendū quidquid DEO minùs placeret: licet enim omni vigilantia cogitationes ad Dei honorem ordinaret, timebat, tamen ne defectū committeret. Quid mihi agendum peccatori, non tot gratijs prævento?

2. Anxietas, quia scivit Christum passurum: unde crescebat in Matre dolor, sicut

crescente rosâ acutior crescit spina, aut sicut mulier perpetuum sentit dolorem, qui tamen non est nisi in partu, aut sicut vires animæ plus sentiunt viribus corporis.

3. Anxietas: quia ut agnus matrem, & e contrario mater agnum, sic ipsa ovis agnum suum ubique sequebatur.

4. Quia immundis manibus raptabatur.

5. Crevit doloris vis, quando vidit maxillas Christi ex magnis alapis rubicundas, & pallescentes, ingemuit adhæc dolore gravissimo.

6. Quia tam immaniter percussus, ut innocentissima caro & cutis tota esset intolerabiliter lacerata.

7. Quia quantum sanguinis per totum corpus ex flagellatione Filij defluxit, tantum lacrymarum, hoc est, innumerabilium de virgineis oculis decurrebat.

## MEDITATIO XCI.

## Dominica 3. Quadrag.

*Causa lapsûs Judæ eadem, quæ Saulis.*

VIdebo Judam sub nomine illius hominis, cujus noviſſima fiunt pejora prioribus, quasi Furiam infernalem inter faces, & gladios, & fustes præcedentem. Petam agnoscere caulam tanti mali, eámque evitare, ne sim de Judæ posteris.

*Consi-*

*Conſ.* 1. Quæ cauſa eſt, quòd affecti oculi ad ſolem ſereniorem magis cæcutiant, & qui tinnitum aurium patiuntur concentu ſuaviore lædantur. Ea eſt cauſa lapsûs Iudæ, qui vitio proprio odium pro dilectione retulit: Ipſe enim impatiens doctrinæ Chriſti, virtutum, & diſciplinæ, ſanctitatisque ejus, non potuit ferre diſputantem de rerum humanarum, pecuniæque contemptu, de exercenda liberalitate, de frequentando DEO Euchariſtico, fonte omnis ſanctitatis, quem non credidit, expers piæ affectionis, nimiumque ſenſu proprio abundans, igitur primò offenſus ſanctimoniâ doctrinæ, mox odio habuit auctorem, quod autem quis odit, pro vili habet, hinc illud: *Quid vultis mihi dare?* ex adverſo quod quis amat, charũ habet, ſicut ipſe aurum: hinc illa cupiditas, malorumq; radix *avaritia*, Matt. 26. *furta*. Ioann. 12. *Murmur*. Marc. 14. *Hypocriſis*. Ioan. 13. *Arrogantia* Ibidem, quòd permiſerit ſibi pedes lavari ac Chriſto is, cujus cor diabolus habuerat. *Hæreſis*. Ioan. 6. *Sunt quidam ex vobis qui non credunt*: & tandem *deſperatio*, ideo vocatur, *filius perditionis*. En ſeptem ſpiritus, qui Iudam fecerunt nequiorem. Vnde diabolus, id eſt, calumniator, & Sathan, id eſt, adverſarius dicitur: Quia malitia Diabolo, qui ſimile ſui amat, temporiſque adeſt, aditũ

patefecit. Et duo quidem erant diaboli opera in Iuda. 1. Vendere Iesum. Luc. 22. 2. Tradere, Ioan. 13. Reliqua erant ex Iudæ malitia de malo thesauro prolata: Vnde toties in eum intravit dæmon, quoties novum peccatum fecit,

*Conf.* 2. Septem remedia quibus Iudam Christus revocare conatus. 1. conciliandi modus est humilitas, ut David fecit Sauli, & Christus se abjecit ad pedes Judæ. 2. Est donis placare, ut Iacob Labanum, & Christus dedit Iuda seipsum in mensa. 3. Ostendere se scire omnia, quæ quis molitur, & Christus id fecit Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. quibus verbis contristati singuli plus credebant, quàm propriæ conscientiæ. 4. Ostendere se scire in specie omnia de adversarij dolis: & Christus hoc facit Matt. 26. *Qui intingit mecum*, &c. 5. Minis, quod Christus fecit ibid. 6. Uti alloquio, acrimoniâ & pietate mixto; & hoc fecit Christus in horto vocans amicũ, de nomine: non nominamus, quæ odio habemus: osculum cum inclinatione corporis sui admittendo, L. 4. rev. S. Brig c. 99. 7. Modus, prodigium faciendo, & Christus prostravit verbo omnes, ut Iudam erigeret: deinde auriculam Malchi sanavit.

*Conf.* 3. Quomodo Iudas in osculo Christi radijs ex eo micantibus Deum agnoverit,

ut ait D. Chryſoſt. ideoque deſperaverit: Patientiam enim Domini ferre non potuit, qui majeſtatem prodidit, ait D. Ambr. D. Leo ſer. 16. de Paſſ. Dom. itaque abijt, pecuniā refudit, laqueo ſe ſuſpendit: *Tibi ô Iuda, tua pœna commiſſa eſt. Non poterat Iudas pejore manu perire.* Diſquiram, quem ſenſum ego habeam de doctrina Chriſti, conſilijs, & inſpirationibus: & audiam D. Ang. ſer. 1. de temp. *Mutet vitam qui vult accipere vitam: nam ſi non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam.* Spiritui Domini, me totum tradam gubernandū: quia ideo Iudas perijt, quòd *ſe totum ſpiritui utendum non præbuerit*, inquit D Naziā. orat. 7.

## MEDITATIO XCII.

## Feria 2. Dom. 3. Quadrag.

### *Triplex reflexio circa Iudam.*

VIdebo Judam ea agentem, quæ in horto de ipſo ſcripta ſunt, & acta. Petam tria: bene uti ſcientia, non nutare in Dei ſervitio, ferre amicorum perſecutiones.

*Conſ.* 1 *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Ieſus convenerat illuc* Ioan. 18. Quomodo Iudas ſcientiā inſtrumento pacis in mortem utitur? ſciebat, & abutebatur. O repugnet ſcientia, quæ prodendo Chriſto ſervitura eſt! mecum ſit ignorantia mea, ſi aliquando ſcientiā etiam ſacrā

abusurus sum : Hæc est origo omnis mali Scientia sine virtute Diaboli suasu est: ita Damian. Ep. 105. in illud. *Eritis sicut dij scientes. Qui vitiorum omnium catervas moliebatur inducere, cupiditatem scientiæ quasi ducem exercitûs posuit, sicque postea infelici mundo cunctas iniquitatum turmas invexit.* Iulianus quò doctior, eò pejor. Verè talibus dicitur: *Vos nescitis quidquam: Nihil noverant, qui Iesum ignorabant.* ait Origenes in c. 11. Ioan. *Amate scientiam, sed anteponite Charitatem,* addit D. Augustin. Serm. 13. de Verb. Dom.

*Cons.* 2. *Et qui vocabatur Iudas unus de duodecim* (numero, non merito) *antecedebat eos* (ministros, cohortem, turbam multam cum laternis, facibus, armis, fustibus, gladijs) *& approprinquavit Iesu, ut oscularetur eum.* Immane facinus, ex Apostolo factum proditorem. Data semel sceleri licentia, quò non impellit? mutatæ menti tale factum congruit! corruptio optimi pessima.

*Cons.* 3. Osculum Iudæ, & responsum Christi, Matth. 26. Marc. 14. *Iesus autem dixit illi: Amice ad quid venisti?* ut illi: Amice, quomodo huc intrâsti? *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* hæc fuere ultima quinque Christi verba ad Iudam. Triplex est mortificatio, 1. Spontanea. 2. Ab inimicis. 3. Omnium gravissima ab amicis pati dolos: hæc ciet do-

lorem

lorem usque ad canitiem, & immaturam inducit senectam, juxta illud: Ps. 60. *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* D. Paschasius in illud: *Transeat à me calix iste*, ait Christum rogâsse, *ne per manus Iudæorum fiat.*

## MEDITATIO XCIII.

## Feria 3. Dom. 3. Quadrag.

### *Qui reduci à DEO nolunt, permittuntur voluntati suæ.*

ASpiciam Christum inter medias mortes quoad se imperterritum, respectu tamen turbæ commotum pietate, nitendo eos reducere, sed dum conatum elidunt, permittit eos voluntati suæ. Petam agnoscere & semper sequi Dominum corripientem.

*Cons.* 1. Quòd non possit bene esse illi, qui à bono se elongat: qui enim à veritate abit, quantumcunque levi motu deijcitur: debilitat culpa vires animi, & corporis: cœptum peccatum magnâ contentione impij prosequuntur: mala autẽ consuetudo penè incurabilis. A Christo abijsse, & perijsse nec uno passu distant. Christus solus in via est, quæ latronem non habet. O sequar te semper, quoquò eas, quoquò ducaris.

*Cons.* 3. Quomodo ad reducendum satellites illos 1. terrore sternat dicendo: *Ego sum*: quod *ut dixit eis, abierunt retrorsum, & cecid-*

*ecciderunt in terram.* Ioan. 18. Initium enim Spiritûs Domini est timor. 2. Tam suaviter eos de tribus reprehendit. 1. quòd injuriosè *Tanquam ad latronem* (cujus officium nocere, & latitare) *exüstis cum gladijs, & fustibus comprehendere me.* Stultum ita quærere ultro se tradentem. 2. Quòd ingrati: *Quotidiè apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Non ausi erant in templo tenere propter turbam, ideo Dominus, ut capi posset, foras exivit. 3. Quòd cæci ad duplex miraculum non agnoscant suam ipsorũ impotentiã.

*Conf.* 3. Videns Dominus se canere surdis, absolutè dicit, *Si ergo me quæritis, &c.* Si ita percussi non doluistis, me quidem comprehendite. Pharmaca maximè salubria, nisi prosint, plerumque maximè nocent. Noluerunt sempiternum diem in membris humanis occultatum sequi, traditi sunt potestati tenebrarum ignorantiæ, & Diabolorum, ait S. Cyrillus. Examinabo me, an sic quæram Christum, ut si inveniam inter paupertatem, fatigationes, jejunia, pœnitentias, spinas, clavos, crucem, mortes, quasi durus hic esset sermo, abeam retrorsum, & cadam in terram, quia vix quæritur JESVS propter JESVM,

## MEDITATIO XCIV.

### Feria 4. Domin. 3. Quadrag.

*Quantum differat hora mortis nostræ, ab hora mortis Christi.*

VIdebo Dominum mortis domitorem, & me mortis mancipium. Petam agnoscere harum differentiam horarum, & particeps fieri horæ Christi.

*Cons.* 1. Tripliciter nos morti subjectos: 1. Quoad scientiam: *Nescitis diem, neque horam,* &: *Quâ horâ non putatis Filius hominis veniet.* 2. Quoad potentiam: quia mors nobis est inevitabilis: *Statutum est omnibus semel mori.* ad Heb. 9. &: *Quis est homo, qui vivit, & non videbit mortem?* Ps. 87. 3. Quoad appetitum naturalem, quem nunquam adducere possimus, ut mors ei placeat: imò non est possibile, ut ei non displiceat: quia qui in hoc tabernaculo sumus, ingemiscimus gravati, 2. Cor. 5. eò quòd non cupimus expoliari, sed supervestiri: &: *Alius cinget te, & ducet, quò tu non vis.* Ioan. 21. Itaque hora mortis non est nostra, sed nos sumus ipsius.

*Cons.* 2. Mortem Christi prorsus contraria habere omnia morti nostræ, cui dominatus est ex toto. 1. Quia habuit ejus scientiam a Ioã. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora ejus* 2. Quia habuit ejus voluntatem, liberè enim, Isai. 53.

oblatus est, quia ipse volnit. 3. Quia habuit potentiam in illam: si enim voluisset, plus quàm 12. legionibus Angelorum eam rejecisset, neque ipsa unquam Christum vinculis, flagris, spinis, clavis, cruce, lancea invasisset. Resignabo horam mortis meæ in potentiam, scientiam, & voluntatem Dei.

*Cons.* 3. Quantus fuerit in D. IESV appetitus patiendi pro nobis: quidquid enim totæ tenebrarum potestas contra eum machinata est, totum simul sumptũ horam tantùm vocat: quomodo ergo passio mea mihi quædã æternitas apparet, & chaos impermeabile?

## MEDITATIO XCV.

## Feria. 5. Domin. 3. Quadrag.

### *Christus vetans se defendi, Magister Patientiæ.*

ASpiciam Dominum Patientiæ Magistrũ: cùm enim vincere patientiâ inauditum, tam novæ artis magistro & exemplo fuit opus Deo. Petam agnoscere modum gerendi me in adversis.

*Cons.* 1. Christum D. refutantem Petrizelum non secundùm scientiam: quia temerarium: periculo enim exposuit & se, & Christum, quamvis hæc Petrus non consideraverit, affectu abductus, itaque sequentibus cum rationibus reijcit.

1. Consilia mala non sunt acceptanda, quale fuit Petri ab injusto: quia non licet privatâ auctoritate contra ministros Iustitiæ agere damnosuo: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Concludã ego hinc, nolle me unquam gladio ferire legem, ut contra eam agam, vel contra Superiores.

2. Ab impossibili: ubi enim non est spes salutis, non est facienda defensio: hic spes nulla est, quia voluntas Dei obsistit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Ioan. 18. Hæc sola verba deberent mihi esse mater omnis Patientiæ. Méne ut Deus Pater meliùs habeat, quàm Filium suum? filia medici infirma, quòd ignara quæ sibi profutura essent, nihil á Patre petit, ne in Patrem peccet: qui si venam aperiat, multumque sanguinis emittat, illa vultu ad Patrem flexo submissè dicit: Multùm me Pater amat, cujus tota sum. Sic oculi mei semper ad Dominum, etiam dum calicem amarum porrigit: quia amoris est.

3. Ab impertinenti: An putas, quia non possum rogare Patrem meum, &c. *Superfluè erat, ut, qui nolebat præsidio Angelicarum virtutum juvari, vellet se unius discipuli oppositione defendi,* ait D. Leo ser. 6. de Pass. D. Egóne qui majora propter Deum reliqui, mundum totum, ut minora non deseram?

4. A præ-

4. A præjudicio prophetiæ: *Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet, fieri?* Matth. 26. talia oportet evenire. Quòd scripturis debeo, solvam, præsertim Passioni Dominicæ, ut SS. ejus affectibus implear, ei subijciar: Calicem à Patre præparatum accipiam: nam & hoc modo implebuntur Scripturæ, si etiam minora propter Deum feram, si in omoibus justificationibus exercear, dicendo ad omnem inspirationem Dei: *Quia sic oportet fieri.* Ideo *Patientia Domini in Malcho vulnerata est*, ait Tertull. de Pat.

## MEDITATIO XCVI.

## Feria 6. Dom. 3. Quadrag.

### *De Fuga Discipulorum, fuga adolescentis, captivatione Christi.*

ASpiciam D. IESVM ab omnibus derelictum, manus in vincula porrigentem. Petam declinare fugam Discipulorum, amare fugam adolescentis, & vincula Christi.

*Cons.* 1. Quomodo tunc relicto eo omnes fugerunt, non quando manus injectæ in JESVM, sed quando tantùm dixerat: *Hæc est hora nostra.* Proh! ad quàm pudendam fugã timor impulit Apostolos! itáne Dominus, Pater, Magister, & Dux meus, omnéque bonum meum derelinquitur? fugiunt infelices arma inimicorum, sed non effugiunt stimulum,

lum, & conscientiæ remorsum: & quidem, fugit Thomas, fugiunt filij Zebedæi, sed & ille *Discipulus, quem diligebat Iesus*, fugit: imò & Petrus. Quantùm interest inter florem, & fructum, inter verba, & rem! nemo vincula, quę sunt prodromus mortis, admittit nisi spe vitæ melioris: majori gratiâ hic opus est, & prolixiori oratione. O quoties ego fugi à Christo, à propositis meis!

*Cons.* 2. Fugam adolescentis, qui non potest esse Ioannes: quia si relicto Christo *omnes fugerunt*, igitur & Ioannes. Fuerit adolescens ille aliquis horti custos, de quo Marc. 14. ad indicandam trepidationem circa Christum ab omnibus derelictum juxta Prophetas, ipsiusque Domini prophetiam. Hic apparet, quomodo egissent cum Apostolis, si eos cepissent. Prudens fuit adolescentis illius fuga: quia oportet relictâ sindone, id est, amore rerum, honorum, delectationum, & sui ipsius, profugere. Qui sic relictâ sindone fugit, hunc tegit Christus, *qui abjicit opera tenebrarum, induitur armis lucis*, inquit Nazian. contra Arianos.

*Cons.* 3. *Cohors autem, & Tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum, & tenentes Iesum duxerunt & adduxerunt Annam primùm, &c.* Mos erat Iudęis, quem morte dignum judicaverant, vinciri;

ciri: itaque Christum comprehenderunt: sed ab eo longiùs recesserunt: ligaverunt à quo potius solvi debuerant. O quales manus fuerunt illorum facinorosorũ, quas injecerunt in eum: & quid tum actum fuit cum IESV illâ viâ! Sed verbum DEI non est alligatum, neque manus ejus abbreviata. Da Domine odisse fugam Discipulorum, amare fugam adolescentis, amare vincula tua, vincula salutis, legem, consilia; qui sic vinctus est Domino, adducetur ad Hierusalem cœlestem.

## MEDITATIO XCVII.

## Sabbato Dom. 3. Quadrag.

### *Septem Christi vincula, septem alterationes Matris DEI.*

COntemplabor Divam novis doloribus circumcinctam, & ut piscem natantem in mari tribulationum. Petam eas intelligere, ipsíque compati.

Vinculum Christi 1. In utero 9. mensibus captivari.

2. Pannis & fascijs stringi..
3. Manibus impiorum colligari.
4. Manibus Iudicum constringi.
5. Ad flagella.
6. Ad clavos.
7. Sindone involvi.

Cùm quoties quis peccat, toties liget Christum,

stum, & teneat, rogabo Matrem dolorosam, ut me cohibeat, ne tam odibili vinculo unquam ligem Christum. Eheu! spiritus oris nostri Christus D. capt⁹ est in peccatis nostris! en fructus nostrarum dissolutionum, & effectus abusuum libertatis. Dirumpamus nunc; si libet, Dei legem, demus licentiam sensibus, vivamus juxta carnis appetitus: Ego interea, inquit Christus, catenis vinciar. Superbite vos famulitio, & honoribus: Ego derelinquar ab omnibus, & omni contumeliâ replebor. Impendite ipsas noctes in delicijs: Ego tristitiâ, tædio, pavore, & mœrore ad mortẽ usque infestabor, & tandem nervis, & spinis, clavis & cruce enecabor. O IESV mi! qui te sic afflictum videt, neque vinculis tuis commovetur, satis ostendit, se complicem delicti. Vincula, & viæ tuæ *duræ sunt timori, leves amori*, Aug. l. de nat. & grat. c. 7.

## MEDITATIO XCVIII.

## Dominica 4. Quadragesimæ,

### *Errores Magistratûs Ecclesiastici circa Christum.*

VIdebo supremum 72. virorum concilium contra Christum præside Lucifero, qui tantis suspicionibus anxius primò usque ad tentandi erupit audaciam, deinde ad tempus secedens, fortior tandem hâc hora suâ pleno

ago

agmine prorupit, ingens in IESV pertimescens cœlestis molitionis arcanum, ut ait D. Hilar. in c. 4. Matt. Petam illos errores agnoscere, & detestari eorum causas.

*Cons.* 1. Qui à tot millibus hominum ad regnum quærebatur, nunc à Principibus Religionis quæritur ad mortẽ turpissimã erroneè: quia priùs decreverunt Christum morti tradere, antequàm esset mortis reus. Matt. 26 ordine præpostero. 1. velle occidere. 2 Quærere causã occisionis: hinc etiam præpostere interrogant Christum 1. de discipulis. 2. De doctrina, cùm hæc sit Mater, illi filij.

*Cons.* 2. Alteram causam fuisse mores perversos Pharisæorum, & Scribarum, qui circa res ad salutem scitu necessarias hallucinabantur, rati licitum odium inimici, vindictã homicidiumque internum, & similia: Vndequia à Christo arguebantur, eum aversati licitè putabant odio habendum, adeóque dato mali principio etiam interimendum. Non potest stare cõmunitas, ubi morũ diversitas.

*Cons.* 3. Causam fuisse, quòd Principes si. Si complures, atque inter eos Caiphas fuerint Hæretici, sive de secta Saducæorum, ut colligitur ex Act. Apost. c. 5 ℣. 17. & c. 23. & notavit August, contra Faust. l. 19. c. 28. Negabant autem Saducæi alterã vitam, animæ immortalitatem, Angelos, & Providentiam divi-

divinam, quos Christus Matt. 22. refutavit, idcirco majori odio eum aversabantur, & ea contra Christum machinati sunt, quæ libro Sapientiæ c. 2. patheticè describuntur, maximè à versu 12. & 18. *Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: Excæcavit enim illos malitia eorum quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem.*

*Cons.* 4. Causam fuisse ex secunda, & tertia ortam, amorem fortunarum, & rerum hujus vitæ *Quid facimus*, inquiunt Ioan. 11. *Quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Difficultatem resolvit Caiphas, *Vos*, inquit, *nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Cum plausu acceptum est consilium: sequitur enim: Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Agnosco in quæ absurda provolvantur, qui non rationem sed effectum, non conscientiam sed passiones sequuntur: Et adhuc dubitem affectus meos DEO subjicere? Ad majus lumen vires que acquirendas ita faciendi, accedam ad SS. Eucharistiam, de qua ait D. Aug. *Christiani comedendo crucifixum illuminantur.* Ps. 33. & si inordinatus amor dixerit pro se illud

illud Caiphæ *expedit*, dicam contra illũ aliud *expedit* Christi Matt. 5. *Expedit, tibi ut unum membrorum tuorum pereat, quam totum corpus mittatur in gehennam.*

## MEDITATIO XCIX.

## Feria 2. Dom. 4. Quadrag.

### *Septem concilia contra Christum habita.*

ASpiciam duo concilia circa Christum D. impiorum in terris, & in cælis Dei. Petam utrumque agnoscere.

*Cons* 1. Media quibus usi sunt ad nocendum Christo, fuisse consultationes, quas septem vicibus habuerunt. 1. Matt. 12. *Concilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum*, quod Sabbatis curaret, livore permoti: Non enim culpa fuit vel hominem manum extendere, vel Christum sanare. 2. Matt. 21. Quod e templo ejiceret, post dilemma ijs propositum de Ioannis baptismo unde esset, & parabolam de vinea, rursum Pharisæi quærebant modum, quo possent eũ tenere. 3. Matt. 22. *Concilium inierunt ut caperent eum in sermone multis modis.* 4. Ioan. 11. in Concilio apud Caipham proximè memorato. 5. Matt. 26. Apud eundem, ubi Iudas intervenit acceptissimus, dum ait: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* 6. Matt. 14. Apud Annam & Caipham ve-

speri

speri capto jam IESV. 7. Apud eosdem mane, Marc. 15. Vnde D. JESVS traditus est gentibus ad mortem.

*Cons.* 2. Admirabile Dei consilium utentis tam scelerato malorum concilio, & efficientis, ut mors morte vinceretur, & diabolo caput quassaretur, inventori, & primo homicidæ. Quid enim magis mirabile, quã quòd contrarium privativum agat, ut tenebræ sint causa lucis, cæcitas visûs, mors vitæ, quemadmodum hoc Concilio secutum est. Hoc artificium solius DEI est crucifixi: Cruce, instrumento mortis, patibulo reorum, nido ignominiæ, arcâ maledictionis aditum fieri ad honorem, exaltationem, vitam gratiæ, & gloriæ. O igitur bona crux.

## MEDITATIO C.

## Feria 3. Dom. 4. Quadrag.

### *Oblivio judicij extremi dedit audaciam Pontificibus sic judicandi.*

ASpiciam totius Magistratûs Hebræi consessum, & in medio D. JESVM vinctum. Petã agnoscere processum judicij iniquissimi.

*Cons.* 1. Interrogationem judicis, quâ Christum volebat arguere ut seditiosum, & novarum rerum factorem, cui Christus respondit se palàm locutum mundo. Sed cur jam non loquitur? Discam, audire Dominũ, quando

quando ipse vult. Interea *unus assistens* minister *dedit alapam Jesu dicens: Sic respondes Pontifici?* Videlicet malorum imitatio prona mortalium ingenio pejora semper excogitat: sed Christus dilemmate utitur pleno mansuetudine, veritate, & justitia: Quia tunc silentium rumpendum est, quando ei conjuncta est læsio proximi.

*Cons.* 2. Quomodo misit eum Annas ad Caipham Pontificem, vel denuo ligatum, vel sicut venit, ligatum: Suspicabatur enim Caipham, cùm esset astutior, excogitare aliquid contra Christum posse. Hîc *Mentita est iniquitas sibi*, tot falsorum testium evocatione, quos Christus silentio refutat. Maxima Jesu laus, sic omnia feciisse, ut nullam veræ reprehensionis similitudinem in eo invenerint multi mali, & astuti.

*Cons.* 3. Exurgens autem summus Sacerdos in medium Marc. 14. furore superatus, sibique responderi volens: *Adjuro*, inquit, *te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius DEI benedicti.* Fuit hoc vaferrimi Caiphæ bicornutum dilemma: quid enim taceret Christus? ergo superbus Numinis contemptor, extremis dignus cruciatibus. Negaret Filium DEI se esse? ergo sua confessione, alias magnificè hoc prædicans, mendacij & quidem atrocissimi esset reus, Fatere-

tur

tur ultro? ergo usurpatæ divinitatis convinceretur, de scelere omnium supremo. Quarta evadendi via nulla esse videbatur. Sed Christus, qui gloriam DEI omnibus prætulit, eique reliqua omnia impendi debere docuit, se quis esset, confessus est: *Tu*, inquit, *dixisti*. Matt. 26. *Ego sum: & videbitis Filium hominis sedentem, &c.* Marc. 14. Sed cur audito: *Ego sum*, non abeunt in terram? quia satellites & rudem plebem miraculo, doctos propheta admonere voluit, & quidem judicij venturi, cujus memoria medicina omni morbo est.

Hic videbo omnium gravissimum errorē, quòd Pontifices responsum Christi non ulteriùs examinaverint, nec probationem ejus audiverint, quæ futura fuisset longè clarissima. *Qui omnes* (Marc. 14.) *condemnaverunt eum esse reum mortis*. O execrabilis præcipitatio! O errorem affectatum: quia non veritatem, sed necem Christi quærebant: non ratio, sed intemperans affectus gubernabat, qui ipsis memoriam iudicij DEI excussit. Hic currus est ad infernum devehens, cujus quatuor rotæ l. 4. S Brigit c. 17. exclusa: 1. *Reverentia, & Timor DEI*. 2. *Finis hominis, & judicium*. 3. *Spes longa vitæ*. 4. *Voluntas peccandi usque ad finem*. Hi nulla admonitione surgere possunt, & ruunt æternùm. Resolvam me ad hæc evi-

evitanda, & futuri judicij memoriam tenendam, sive præsim, sive subsim.

## MEDITATIO CI.

## Feria 4. Dom. 4. Quadrag.

### *Octo horrore plena in Christum patrata in Domo Caiphæ.*

ASpiciam funestam illam noctem, & potestates tenebrarum nocti illi præsidentes, & audiam, quonam modo agant cum DEO meo. Petam agnoscere, & exemplum patientiæ Christi imitari.

*Cons.* 1. Verba Evangelistæ Matt. 26. *Tunc exspuerunt in faciem ejus*, de qua Ps 84 *Ostende nobis Domine faciem tuam, & salvi erimus:* Marc. 14. *Et cœperunt quidam conspuere eum.* Spuere in faciem ignominiosissimũ fuit, ideo tales septem diebus rubore suffundebantur. Num. 12. Spuit in faciem Christi, qui gratiæ ejus præsentiam respuit, ait D. August. Lib. de qq. Evang.

2. *Et velaverunt eum.* Luc. 22. ut liberiùs insanirent, velârunt illos omnia videntes oculos Eccles. 25. Velat oculos, qui gratiam cognitionis â se abscondit, ait Glossa.

3. *Et colaphis eum ceciderunt.* Matt. 26. apertis manibus, quæ res viris est omniũ ignominiosissima. Colaphis Christũ cædunt, qui honores suos præferunt, ait Aug.

4. Et

4. *Et percutiebant faciem ejus* Luc. 22. Pugnis, & clausis manibus: id agunt, qui vitâ Christo contrariâ eum blasphemant.

5. *Et viri, qui tenebant Iesum, illudebant ei cadentes, alij autem palmas in faciem ejus dederunt* Matt. 26. Ex Græco: alij crepidis & calceis in faciem ejus dederunt: quia vox græca, ex qua hic textus translatus est, pro variatione accentûs, *virgam*, & *crepidam*, significat. Quis dubitet faciem Christi intumuisse, & lividam factam?

6. Et interrogabant eũ dicentes: *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit?* Matth. 26. Convitiosè eum prophetam inanem explodunt, & hoc in contumeliam.

7. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Luc. 22. Hæc horrore plena sunt, si reo fierent: atqui fiunt innocenti, & quidem ab ijs, quos tanto beneficio affecit, & fiunt Deo.

8. Et sequitur: *Vt factus est dies.* Luc. 22. Unde infert Aug. Intelligitur, inquit, passus Dominus usque manè in domo Principis Sacerdotum. Vide solicitos in malo, totâ nocte vigilaverunt, ut facerent homicidium: hac nocte vellebant pilos genarũ, & barbæ, juxta Septuaginta. Quod potest afflictissimus, poterit æquè, & multò minùs afflictus alter: sed magis afflict⁹ nemo fuit Christo. O Deus, qui Unigeniti tui patientiâ antiqui hostis

contrivisti superbiam: da nobis, quæsumus, quæ idem piè pro nobis pertulit, digne recolere, sicque exemplo ejus nobis adversanti æquanimiter tolerare. Per eundē Dominū, &c.

## MEDITATIO CII.

### Feria 5. Dominicæ 4. Quadrag.

### *Lapsus Petri docet non labi, vel lapsum resurgere.*

ASpiciam Petrum à lapsu amaris lacrymis madidum, aulâ exeuntē foras, obviumq; D. Virgini, & gemitibus inenarrabilibus casum suum deplorantem. Petam intelligere negationis causas, ut alieno malo sapiam.

*Cons.* 1. Quomodo non sint stabiles, qui serviunt DEO, & in Angelis reperiatur pravitas: quanto magis qui habitant domos luteas. Heu quàm instabilia sunt humana omnia! quod hodie jam stare immobiliter videbatur, cras ejus iterum jacienda sunt fundamenta: quod hodie itineris in via Dei confectum videbatur, cras etiam num inchoandum est: quàm misera est hominum conditio, quibus ipsa lux est occasio tenebrarū, via erroris, vita mortis, salus perditionis, & quàm nihil apud nos ruinæ periculo vacat! Extra Ecclesiam ruinæ, in Ecclesia ruinæ, in ipsa Religione domo Christi ruina, in ipsa morte cum Christo ruina. Cecidit columna

cœli

cœli ad vocem ancillę: & quis in medijs tentationibus positus non timeat?

*Conf.* 2. Causas lapsûs Petri fuisse octo. 1. Ignorantia sui: propterea negabat, quia intus esse nolebat; nolebat nosse se, præfidebátque præmonitus de imbecillitate à Domino. D. Drogo. de Pass Dom.

2. Oblivio DEI: quia postquam *conversus Dominus respexit Petrum*, tunc primò *recordatus est Petrus verbi Domini.*

3. Tepor, sequendo à longè. Quisquis à longè sequitur, tepet: Quia ab igne abest, qui Deus est: hinc luctæ: Quia dæmon petulantiùs infirmiora vasa pertentat, sicut non Adam, sed Evam coluber aggressus est. D. Paulin. Epist 4.

4 Timor sine ratione, & pavor ad verbum Ancillæ, cùm genus mulierum potiùs misericors sit, quàm sævum.

5. Remansisse in atrio inter occursantes turbas, in varia distractas. *Nemo diu tutus est periculo proximus.* D. Cypr L. 1. Ep. 11.

6. Fuisse mores imitatum turbæ Nihil periculosius Philosophiæ Christianæ, quàm turba ignara, & contemptrix, cui insertus vel non it, quò virtus vocat, vel eundo contra plurimos obteritur.

7. Fuisse otiosum. Discipulus sedebat, dũ Magister staret, & quidem sedebat non fessus sequendo, sed fugiendo.

8. Cepisse consilium ab exitu & fine, & eo deliberâsse de cõfitendo Deo: cùm eventu rerum non sit consilij nostri, sed alienæ pot statis. Detestabor has 8. origines tanti casû

*Conf.* 3. Tres causas, propter quas Pet lapsus describitur. 1. coercendos spiritu præsidentes. 2. Ad suggerendam lapsis spe indulgentiæ. 3. Ad imitandum amaritud nis exemplum. Petrum una noctis hora a fletum monet, nos omnis. *Audeo dicere su perbis, esse utile cadere in aliquod apertum, ma nifestumq; peccatum, unde sibi displiceat, qui sa sibi placendo ceciderunt: Salubriùs enim Petru sibi displicuit, quãdo flevit, qui sibi placuit, quan do præsumpsit.* D. Aug. Lib. 14. de Civ. D. c. 13.

## MEDITATIO CIII.

## Feria 6. Dom. 4. Quadrag.

### *Declinanda concilia malignantium.*

ASpiciam novum Concilium coactum Iu dæorum adversus Dominum. Petam semper evitare similes conventus.

*Conf.* 1. Verba D. Lucæ c. 22. *Et ut factu est dies, convenerunt Seniores plebis, & Principe Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum i concilium suum dicentes: Si tu es Christus, di nobis.* Fuit hîc dilemma, ut, si assereret se Chri stum esse, confidentiùs tanquam pertinacem accularent coram Pilato; si verò negaret,

con

convinceretur se ipsum condemnásse, ut qui sibi ipsi esset contrarius. Non dant quietem Christo: quia ad gallicinium auroræ vexatum, mox iterum manè sistunt vexandum.

*Cons.* 2. Responsum Christi *Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem interrogavero* (ex Scripturis vobis ostendero, me esse illum olim à DEO promissum Patribus, atque hactenus expetitum à Iudæis Christum) *non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Vtrumque Christus loquitur experientiâ: primum, *Non credetis mihi:* quia dixerant eum blasphemare, & quòd de seipso testimonium perhiberet: secundum, *Non respondebitis mihi:* quia non responderunt, quod sentiebant de baptismate Ioannis, & de loco Ps. 109. *Dixit Dominus*, &c. & sæpe aliàs convicti non cessárunt eum persequi; quia tamen venit testimonium perhibere veritati, & ne eam videretur mortis metu reticere, quia dixit, *neque dimittetis*; confitetur se esse Christum, ijsque horrorem incutit his verbis: *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? quæ ait: Vos dicitis, quia ego sum: at illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium, ipsi enim audivimus de ore ejus?* Agnoscam quantum malum sit vel semel à via aberravisse, dataq; sceleri licentiâ quò non abeatur.

## MEDITATIO CIV.

### Sabbato Dom. 4. Quadrag.

*Septem Spasmi B. V. ex septem commutationibus Christi.*

ASpiciam D. Virginem vehementiùs alteratam, ex profundiore commutationi septem Christi consideratione, quas revelavit S. Brigit. l. 4. c. 119. & in extravaganti c. 82. Petam eas intelligere, ipsíque compati.

1. Commutatio fuit, quòd pro potentia, cùm esset potens, ut ignis consumens, factus sit vermis.

2. Pro sapientia, quæ erat ut mare inexhaustum, reputatus est insipientissimus.

3. Pro fortitudine, quæ fuit ut mons immobilis, factus est quasi puer fasciolis ligatus.

4. Pro virtute, quæ fuit ut herba apiaria, factus est quasi nudus, & ligatus.

5. Pro pulchritudine, quæ fuit Sole fulgidior, factus est deformis, & quasi leprosus.

6. Pro justitia, quæ ipsas justitias judicabit, reputatus est mendax.

7. Pro Pietate ineffabili, impiè habitus & mactatus est.

Conferam meas commutationes cum his; an non magis doleam de mea æstimatione pietatis, &c. quàm Christi ablata: sic discurram per reliquas.

## MEDITATIO CV.

### Dominica Passionis.

*Accusatio Christi, & defensio.*

ASpiciam D. JESVM coram Præside accusatum. Petam agnoscere causas accusationis & defensionis Christi innocentis.

*Cons.* 1. Quomodo accusaverint Christum summi Sacerdotes in multis: non dubium, quin in unum collegerint, quidquid querelarum invenire potuerant: itaque rogati, quid vellent, ita inceperunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, violatæ legis sacræ, & profanæ reum: est enim perturbator religionis; quia *hunc invenimus subvertentem gentem nostram*, qui commovit populum docens per universam Iudæam, incipiens à Galilæa, qui nec Sabbata, nec observationes, nec traditiones ullas servat, sed explodit, & calumniatur omnes, audetq; blasphemus dicere, quòd remittat peccata: Filium DEI se denique facit; homo Nazaræus, unde propheta non surgit, Filius Mariæ, faber, rudis, devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum, & magus, qui in Principe Dæmoniorum signa facit, quem fratres ejus dixerunt in furorem versum, teneréque aliquando voluerunt. Adhæc *invenimus* eum *prohibentem tributa dare*

*Cæsari, & dicentem, se Christum Regem esse,* quem fæx populi copiosa sequitur, adeóque propter perturbationem Reipublicæ & Religionis mori debet.

*Conf.* 2. Quomodo innocentiam Domini tueatur omnis sexus, ætas, & status, ipsáque Domini verba, & acta: è senibus Simeon, & Anna Prophetissa, atque Elisabeth, ejusque filius Ioannes, ille cujus testimonium negare non fuerunt ausi Iudæi, ex Scripturis prudentiores Dominum agnoverunt, è Pharisæis Nicodemus, è nobilibus Ioseph ab Arimathia, è gentilibus multi, ex infantibus parvuli Christo acclamantes, ex infirmis sanati, ex mortuis suscitati, ex dæmoniacis liberati, ex dæmonibus integræ legiones, ex aëre & cœlis stella, columba, vox ternis vicibus revelata, sensibiliter hunc DEI Filium dilectum pronuntians: ex Angelis Gabriel, ex Prophetis omnes omnino, ipsi denique falsi testes adversarij ejus, & hostes, ipséque adeò Iudas proditor innocentē confitetur. Agnoverunt Christum Messiam alij ex verbis ejus, alij ex operibus ejus. Ad extremum ipse quærens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Si reprehendi non potuit, manifestum est, quòd propter veritatem eum odio habuerint, propter invidiam eum Pilato tradiderint, ipséque toties examinandum innocentē pronuntiaturus

rus sit, Ut tantæ innocentiæ fiam particeps, ad mensam Domini adibo, quę juxta D. Bern. de Cœna Dom. *In magnis peccatis impedit consensum, & in minimis sensum minuit.* Rogabo à rubicundo propter accusationes, candido propter innocentiam, ut me à rubore reatûs absolvat, innocentiæ candore ornet.

## MEDITATIO CVI.

## Feria 2. Dom. Passionis.

### *Secretum Pilati colloquium, & primum examen Christi, quis sit? & quid fecerit?*

ASpiciam felicem, sua si bona nôsset, Pilatum, quòd nactus sit, à quo disceret beatus esse: sed infelicem, totique mundo injurium, quòd Regem veritatis loquentem de regno veritatis, vel non audiverit, vel plura non interrogaverit. Petam agnoscere innocentiam Christi, & imitari.

*Cons.* 1. Quomodo Pilatus introiens in Prætorium vocaverit IESVM, *& dixit ei: Tu es Rex Iudæorum?* quia magna de eo habebatur opinio, volebat omnia exquisitè rimari, amoto strepitu Iudæorum. *Respondit IESVS:* Ioan. 18. *A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* est dilemma: Si ex te loqueris, pande signa rebellionis: si ab alijs percepisti, inquisitionem fac ordinariam. *Respondit Pilatus:* A me hoc non dixi, à Iudæis audivi; si

te Regem negas, *quid feciſti*, ut tradereris Judæis? *Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo*, non ait, non eſt in hoc mundo, ſed, non eſt de hoc mundo: quia regnũ Chriſti eſt collectio fidelium, quæ eſt in hoc mundo, non regnum temporale, ſed ſpirituale: non terrenum, ſed cœleſte: quia habet originem à me, qui de cœlo deſcendi, ut hanc congregationem per doctrinã & fidem mihi uniam. Ne zeles, vel ſuſpiceris quidquam de regno meo: *ſi ex mundo eſſet, miniſtri mei utique decertarent pro me, &c. Dicit ei Pilatus: Ergo Rex es tu? dicit illi Ieſus: Tu dicis:* Confirmat Pilati ſententiam, & ut Ioan. habet 18 *Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia Rex ſum ego.* Tu carnalis carnaliter dicis: particula hæc *quia* Hebraicè eſt *certè* Rex ſum ego: *ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* ait Pilatus: *Quid eſt veritas? & cùm hoc dixiſſet, iterũ exivit*, &c. Non audivit reſponſum: fortè quia non curabat de quæſtione ſpeculativa, & exinde primum dat innocentiæ teſtimonium Chriſto: *Ego*, (inquit,) *nullam invenio in eo cauſam.*

*Conſ.* 2. Chriſtum ad illa verba: *Quid feciſti* potuiſſe reſpondere: Omnia, & nihil; bene omnia, malè nihil. Diſquiram, quis ego ſim, an unus de regno Chriſti, & quid dignũ

regno

regno Dei fecerim, imò quid non indignũ?

*Cons.* 3. Quomodo invalescebant dicentes: Commovit populum docens, Luc. 23. Hinc Pilatus occasione acceptâ Christum mittit ad Herodem, declinans invidiam. Comitabor Dominum raptatum ad examen alterum politici Magistratûs, qui si bonus est, non condemnabit Veritatem.

## MEDITATIO CVII.

## Feria 3. Dom. Passionis.

### *Silentium perfectionis signum.*

ASpiciam Dominum, qui fugerat honores, bene præparatum ad ferendum contemptum, & ignominias, è silentio suo exortas. Petam nôsse, quomodo in silentio sita sit omnis perfectio.

*Cons.* 1. Quomodo Herodes *viso Iesu gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, &c. & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri*, ideóque *interrogabat eum multis sermonibus*: gaudere se, quòd è Galilæa regione sua eluxerit mundo talis, tantusque vir, cujus fama & doctrina desiderium sui fecerint, ejusque videndi prodigia: displicere sibi casum infelicem, in quo eum videret, velle se opem ferre; & fortè interrogaverit: illéne sit, ad quem venerant Magi ab Oriente, &c. Certè D. Chrysost. ait; *Volebat*

*eum liberare, si se excusando responderet.* Iesus autem illi nihil respondebat. Non respondit curioso, vitioso, adultero, homicidæ, malúitque mori Christus quàm silentium violare. Addit D. Chrysost. *Audiant, qui sine discrimine simpliciter cum omnibus colloquuntur.*

*Cons.* 2. Quanta hîc Christo exorta sit confusio: *Stabant* enim *Principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum; sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum, & facti sunt amici,* &c. fortè inimici fuerant, quia Pilatus quondam Galilæos occidi jussit, Luc. 13. nunc autem amici, quòd alter alteri jus judicij cesserit.

*Cons.* 3. Silentium esse perfectionis initiũ, medium, & finem: quia est omnium virtutum Mater: *Qui non offendit in verbo, perfectus est vir*: Iac. 3. est omnium virtutum nutrix: *Quisquis linguam domuerit, is sapientiæ arcem, & principatum tenet*, ait Nazianz. est omnium virtutũ custos: *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Et ratio est, si anima non abit à se per sensus exspatiando, intus manet, séque velut in speculo contemplatur, noscit, reformat, & ornat. Si minus ex arte, tacet propter decorum personæ, ut plausum ferat: egône non taceam, ut laudem referam æternam?

## MEDITATIO CVIII.

### Feria 4. Dom. Passionis.

### *Reliqua examina apud Pilatum.*

ASpiciam Dominum coram Magistratu Politico jam tertiò examinari, & semper innocentem pronuntiari. Petam magis intelligere processum cum Domino meo innocentissimo, & malitiam Judæorum.

*Cons.* 1. Quomodo *Pilatus convocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, & ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusâstis, sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam:* quasi dicat: propter disgustum, quem fortè vobis dedit, vel aliquem excessum commissum, aut imprudentiam, aliquâ pœnâ levi eum corripiam, & dimittã. En jã tertió Christus innocens pronuntiatur.

*Cons.* 2. Quartum modum à Pilato tentatum, quo Christum liberaret, dum acriùs accusaretur, Marc. 15. offerendo se ad dimittendum illis unum ex vinctis: Fuit hoc dilemma Pilati: Si Christus non est reus, dimittetur; si reus est, non erit reus tam graviter, quin ei favorem facturi sint vitæ, præ-

sertim

sertim si conferatur Barabbæ seditioso, & homicidæ: ait igitur: *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Principes autem persuaserunt plebi, ut peterent* dimitti *Barabbam*, seditiosum quidem in civitate, sed Christum in tota Iudæa: illum homicidam, sed hunc blasphemum: ille quidem occidit hominem: sed iste templum Dei vult destruere: illum fore pro beneficio vitæ gratum, sed Christum innocentiæ suæ adscripturum, nec destiturum à cœptis: denique Pilatum posse dolo uti, & malum in Iudæos flectere apud Cæsarem.

*Cons.* 3. Quintum modum à Pilato tentatum, quo Christum liberaret, intercedente uxore, Matth. 27. *Nihil tibi, & justo illi: multa enim hodie per visum passa sum propter illum.* Non videtur à malo id, sed bono genio factum: malus enim potiùs cor Iudæorum, immediatas mortis Christi causas, flexisset. Interea populus: *Tolle hunc*, inquit, *& dimitte nobis Barabbam.* Luc. 23. Hæc postpositio fuit ingens Passionis Christi augmentum: quia cor generosum non tam sentit doloré, quàm honorem. En IESVM *despectum & novissimum virorum.* Isa. 53.

*Cons.* 4. Sextum modum à Pilato tentatum, quo Christum liberaret, dum ait: *Quid igitur faciam de Iesu?* ponit rem in illorum pote-

potestate, ut clementiæ ipsorum totum attribuatur. Ita obsequio illos captans ac mitigans, inquit D. Chrysost: at illi dicunt omnes, & magis clamant: *Crucifigatur.* Verè dixit D. Ambr. *Qui odit innocentiam, scelus diligit.* Reflectam me quomodo in postpositionibus me habeam, an unquam tanta mihi contigerit, quanta D. Iesu publicè postpositoBarabbæ? quid ergo cõqueror, & cõcido?

## MEDITATIO CIX.

### Feria. 5. Domin. Passionis

### *Crudeles duodecim contumeliæ in Christum, in domo Pilati.*

POnam ob oculos sequentes 12. contumelias in Christum patratas, & præsertim pectus DEO plenum sulcari flagris. Petam agnoscere Domini patientiam, & imitari.

1. Contumelia fuit denudatio, Matt. 27. *Congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum:* licet enim non haberet nisi tantùm similitudinem carnis peccati, de ea tamen sic oritur pudor, ut de veritate, quia in vituperio hominum non differunt esse & apparere.

2. Flagellatio: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit* Ioan. 19. Honestatis auctorem non mortuum, sed vivum ad columnam facie versâ cædi sine lege jubet, &

ego

ego nondum erubesco inimicam animæ sensualitatem? Nondum pudet me corporis esse mancipium? major dolor mitigat minorem, ut ignis magnus absumit parvulum: quid autem dolorosius flagellatione Christi?

3. Coronatio: *Et milites plectentes coronã de spinis imposuerunt capiti ejus:* Ioan. 19. Lignum pro auro, spinas pro gemmis, quòdà seculo nulla refert historia, ut notat D. Hieron. Quomodo Verbum cecidit inter spinas, & nondum compungitur superbia mea? S. Agapitus Mart. annorum 15. adolescens ferreâ & candente corona caput cinctus exclamavit: *Parum est in terra caput aduri coronandum in cælo.* Theophylactus ait; Coropa est arcta via.

4. Chlamys: *Induerunt eum Chlamydem coccineam, veste purpureâ circumdederunt eum.* Matt. 27. Marc. 15. Purpura passionem & Regnum significat, ait Glossa. En Dominum non clarum imperio, sed plenum opprobrio. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in gloriam Dei, ait D. Bern. L. 2. ad Eugen. Pap.

5. Arundo. Matth. 27. *Et arundinem in dextram ejus.*

6. Genuflexio ludibunda: *Et genu flexo ante eum illudebant ei.* ibidem.

7. Salutatio: *Et veniebant ad eum, & dicebant ei: Ave Rex Iudæorum.* Joan. 19.

8. Ado-

8. Adoratio: *Et ponentes genua adorabant eum.* Marc. 14.

9. Conſpuitur: *Et exſpuentes in eum* Matt. 27. *Et conſpuebant eum.* Marc. 15. Iam ſecundò conſpuitur, quaſi qui ſe falsè Deum dixiſſet.

10. Colaphizatio: *Et dabant ei alapas.* Joan. 19. jam tertiò alapis cæditur.

11. Percutitur arundine: *Acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Matt. 27. Marc. 15. Caput Chriſti percutiunt arundine, qui errorem ſuum ex ſcriptura confirmare nituntur. Quantò Dominus erat potentior, tantò maluit eſſe patientior. *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.* Tertul. L. 1. de Pat. c. 3.

12. Oſtenditur omni populo: *Ecce homo:* Ecce ignotus Deus: refrigeſcat invidia, cùm ferveat ignominia: ipſi autem magis clamabant: *Crucifige, crucifige eum.* Indignatus ad hæc Pilatus: *Accipite,* inquit, *eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam:* urgent ipſi. *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori: Quia Filium Dei ſe fecit.* Hic Pilatus magis timuit, novum ſecretò examẽ inſtituit, exindéq; quærebat dimittere Ieſum, jam ſeptimâ, & octavâ vice. Ad hæc ultimũ arietem movent in Pilatum Iudæi, & quem flectere non poterant objectione blaſphemiæ, flectunt objectione ambitionis: *Si hunc dimittis,*

*mittis, &c.* qui clamor vim fecit Pilato, ut ſedens pro tribunali nonâ vice fruſtra innocentem liberare vellet. Itaque *videns Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus,* ipſis acclamantibus: *Sanguis ejus ſuper nos. Manus lavit, ſed cor ſuum lavare non potuit.* D. Amb. Ser. 11. in Pſ. 118.

## MEDITATIO CX.

## Feria 6. Dom. Paſſionis.

*Cauſæ Deicidij ex parte Pilati duodecim.*

ASpiciam omnium, quod ſub ſole fieri poteſt, iniquiſſimorum judicium iniquiſſimum, quaſi verò Filius Dei eſſet deterior latrone, & adeò nequam, ut neque propietate, neque profeſti prærogativa deberet liberari, inquit D. Chryſoſt. Petam agnoſcere tanti ſceleris cauſas.

*Conſ.* 1. Propoſitum dilemma Pilato totâ æternitate inſolubile: Si enim falſum crimen objectum fuit, cur Chriſtum non abſolvit? ſi verum: cur novies innocentem pronuntians damnavit? ſi voluit ſatisfacere populo, cur non potiùs conſcientiæ? ſi timuit perdere amicitiam Cæſaris, cur non potiùs timuit incurrere in offenſam DEI, agendo contra conſcientiam ſuam?

*Conſ.* 2. Cauſas tam ſceleratæ voluntatis.

Si

Si verum illud est. D. Ambr. L. 1. Offic. c. 39. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo*, in promptu causæ sunt duodecim.

1. Interrogâsse, & in dubium vocâsse, quæ Christi sunt.

2. Declinâsse invidiam judicij, non resistendo initijs.

3. Timuisse.

4. Arbitrio plebis causam reliquisse.

5. Contulisse tenebras luci.

6. Voluisse emendare innocentiam.

7. Voluisse emere gratiam, & voluntatem populi, sicut antè amicitiam Herodis.

8. Egisse contra conscientiam.

9. Flagelâsse tam crudeliter innocentem.

10. Laborâsse ignavia imprudenti, & accidiæ malo.

11. Affectâsse ignorantiam.

12. Prætulisse commodum propriũ malo ipsius Dei. Detestabor has causas necis Christi.

*Cons.* 3. Quomodo maluissent amici Christi in Passione ejus mori, & potiùs inferni tormenta pati, quàm ut Christus sic moreretur. Revel. S Brigit. l. 1. 11. & lib. 6. c. 11. Animæ Sanctorum in Limbo maluissent pati infernum, quàm ut Dominus eorum tanta pateretur. Quare si concilio divino interfuissem, coactus fuissem renuntiare omni vitæ meæ potiùs, quàm ut Dominus meus sic

emori

emori juberetur. Quid enim? túne ut moriris, ô JESV mi, ut ego vivam? avertat me Deus ab hoc consensu: non est amor proprius tam cæcus, quin rei indignitatem videat: quia licet vitæ suæ sit quisque amantissimus, & saluti propriæ omnia postponat, naturæ instinctu: tamen optare mortem Dei, ut ego viva m, tam hoc est insolens, ut vel ideo morte æternam mererer: nisi igitur impius esse volo, mortem tuam desiderare non possum, Deus meus. Quòd si charitas tua transcendit omne desiderium meum, saltem mea adæquet exemplum tuum, ut amore amoris tui moriar, sicut tu amore mei es mortuus.

## MEDITATIO CXI.

## Sabbato Dom. Passionis.

**B.** *Virgo amarum mare septemgeminis dolorum ostijs influentibus tumidum, & tempestuosum.*

AVdiam D. Susonem pluribus explicantem dolores B. Matris. Quando, inquit, luna est plena, tunc maximæ plerumq; tempestates exurgunt in mari: pendente in cruce Domino, & dicente: *Consummatum est*, fuerunt omnia impleta, adeóque maximæ dolorum tempestates sunt ortæ in Maria: tunc enim & mensurâ dolorum Christi, & mensurâ compassionis *Mariæ* fuit adimple-

ta,

ra. Petam agnoscere immensam vim dolorũ B. Virginis, ipsíque compati.

1. Septenarius dolorum septem generalium B. Virginis. In Circumcisione. Fuga in Ægyptum, ubi exilium quasi octenne. Triduanæ lacrymæ. Bajulatio crucis, sub cujus pondere fatiscebat. Crucifixio pro inimicis. Depositio, cui aderat Iosephus & Nicodemus, viri nobiles. Sepultura.

2. Septenarius dolorum generalium: septena paupertas Christi. Fuit pauper re, nihil proprij habens, & extremæ tantùm indigentiæ, neque semper succurrens. Pauper familiaritate, amicis, consanguineis. Pauper potentiâ, subjectus elementis, hominibus pessimis, dæmonibus. Pauper sapientiâ mundi, creditus simplex, ignorans, insipiens. Pauper famâ sanctitatis, & innocentiæ, habitus peccator, seductor, blasphemus. Pauper dominio, & imperio, subjectus, solvit vectigal, judicibus ad mortem subest. Pauper vivus, & mortuus, in alieno sepulchro conditus. Hæc ex B. Angela.

3. Septenarius dolorum generalium, septem effusiones sanguinis Christi. In Circumcisione. In horto. In flagellatione. In coronatione. In vestium depositione. In crucifixione. In lateris apertione.

4. Septenarius dolorum generalium. Ex

natura

natura Christi, quæ quò nobilior, & vilioti morte damnata, eò doloroſior. Ex forma Chriſti: quia formoſior magis deformatus eſt deformior. Ex ſapientia, quò quis ſapientior habitus pro inſipientiori, eò vilior. Ex gratia miraculorum, quæ magis ſpreta reddunt contemptibiliorem. Ex fama: famoſior magis ſpretus, magis eſt infamis. Ex gloria: major gloria magis contempta probroſior. Ex dereliction: quia ab omnibus derelictus, qui omnium curam gerit.

5. Septenarius dolorum generalium. Quia paſſus eſt à populo DEI. A profitentibus perfectionem. Ab intelligentibus. Ex conſpiratione. Ex acceleratione ſolicita mortis Chriſti. Ab ingratis. A familiaribus.

6. Septenarius dolorum generalium. A loco: In Ieruſalem. A ſitu, in Calvaria. A feſto, in Paſchate. Ab hora, in meridie. A modo, ut ab omnibus videri queat. A cauſa, quòd Filium Dei ſe fecerit. A finali morte, quàm prædixit, ipſi autem executi ſunt.

7. Septenarius dolorum generalium. Ex horto apud Annam. Caipham. Pilatum. Herodem. Pilatum Locum ſententiæ. Locum mortis: Quibus B. Virgo potioribus interfuit. De reliquis audiverit à Ioanne, vel Petro lamentabiliter ſuam negationem deplorante.

MI-

## MEDITATIO CXII.

## Dominica Palmarum.

### *Decem notabilia, quæ in eductione Christi contigerunt*

VIdebo Dominum in exitu ad Calvarium verosimiliter sic vexatum, ut sufficeret ad occidendum quemlibet. Petam agnoscere, quæ Christus tunc passus sit, & fructum ex singulis capere.

*Aspiciam* 1. Quomodo Christus exutus vestibus alienis, non sine corporis nova exulceratione, indutus sit veste propriâ, ut ab omnibus in via meliùs agnosceretur. *Non potest qui pati timet, ejus esse, qui passus est.* Tertul. in c. 22. Matth.

*Aspiciam* 2. Quomodo corona non sit adempta, sicuti chlamys, ut notat Cyprianus, & verisimile est altiùs impressā fuisse. S. Bern. serm. 43. in Cant. *Pro certo videntes angustias Domini leviùs vestras portabitis.*

*Aspic.* 3. Quomodo ipse sibi crucem bajulaverit: Hanc enim ferre militibus non libuit, Iudæis autem maledictio fuit, Deut. 21. Sicut ergo furibus fumis, sic Christo crux imposita. Origenes ait, quòd primò prope locum, ubi erat suspendendus, crucem Simoni imposuerint. Beatus, qui facultatibus omnibus, copijsque suis Christum emit, ac pro omni-

omnibus opibus crucem habet, eamque sublimiter gestat. D. Nazianz.

*Aspic.* 4. Quomodo extra civitatem ductus ad locum infamem, & fœtidum: Erat enim hoc sacrificium alterius generis, quàm Hierosolymis offerri solita. Martyribus non deest dolor, sed pro Christo contemnitur. Petrus Blesi. in Iob.

*Aspic.* 5. Quomodo hæc Passio contigerit Christo tempore Paschatis, confluente orbe toto, & spectante. 8. Cypr. de Mart. Contẽnenda tibi mors est, ubi Christi⁹ occisus est.

*Aspic.* 6. Quòd cum latronibus & inter eos eductus sit. Theophyl. hic ait: Curabat Diabolus de Christo malam haberi opinionem. Tollat quisque onus suum, & fortiores partes onerum alienorum, ut aut nihil portet Dominus, aut leviùs portet.

*Aspic.* 7. Quomodo se vetet doleri, & fleri, quasi solum peccatum flendum. *Ideo omnia mala pati voluit, ut consolaretur patientes.* Aug. in Psalm. 101.

*Aspic.* 8. Quomodo *dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.* Marc. 15. Quòd nollet solatia, & Matt. 27. *Dederunt ei vinum bibere eum felle mixtum, & cùm gustâsset noluit bibere.* Deprecabatur poculum nos instruens, in pericula non insiliendum esse, sed adventantia fortiter esse suscipienda, S. Cæs. Dial.

3. Dixit

3. Dixit S. Gertrudi Dominus, se ideo non bibisse, ne citiùs moreretur: adeo pati voluit!

*Aspic.* 9. Quomodo vultum Veronicæ impressum reliquerit, faciem non gloriæ, sed doloris, quã imitemur, ut postea gloriemur.

*Aspic.* 10. Quomodo vestibus more reorum crucifigendorũ spoliatus: de qua ignominia ipse Psalm. 43. conqueritur D. Ambro interprete *Tota die confusio mea contra me est: Quæ autem confusio, nisi crux, quòd nudus pependit in ea* Cùm ideo se exinanierit, ut induere nos se ipso: Adaptabo me, ut Christo induar in SS. Eucharistia. *Hæc est Dei ad nos exinanitio, ut admittamur ad capiendum eum*, inquit Dionys. Alexan. Epist ad Paul. Samosat.

## MEDITATIO CXIII.

## Feria 2. Dominicæ Palmar.

### *Septem prima notabilia in Crucifixione Christi.*

ASpiciam Dominum meum horam inter meridianam, inspectantibus cœlo & terrâ in crucem actum. Petam agnoscere extremos Christi dolores, & fructũ ex ijs colligere.

*Cons.* 1. Cùm sine veste crucifigerentur rei, quomodo Dominus meus sponte (ut ait D. Athan. de cruce) exuerit vestimenta sua, & sive humi, sive sublimis cruci fuerit affixus, in cœlum suspiciens ac Deo gratias a-

gens, super lignum extensus. Fuit hæc quarta vestium Christi spoliatio in pœnam, quo ego toties gratiæ vestem exuerim.

*Cons.* 2. Quomodo ligatus pedes & manus, non funibus, sed clavis tribus vel quatuor affixus sit, juxta Psal. 1 *Foderunt manus meas, & pedes meos*, &: *Nisi videro in manibus fixuram clavorum*, &c. Ioan. 20. Nulli clavi neque vincula ulla Samsonem hunc tenuissent, nisi adfuissent vincula amoris.

3. Quomodo facie versus ad occidentem tanquam minùs dignus, qui urbem contueretur, pependerit, ut notat Cassiod. juxta illud Ierem. 18. *Dorsum, & non faciem ostendite eis in die perditionis eorum.*

4. Quomodo retenta spinea corona in capite, quòd mens fuerit illudere Domino propter affectatum regnum, eundem affixerit: quia collum & caput spinis grave non habuit reclinatorium, nisi humeros distentos & è juncturis emotos: brachia ad stipitis foramina attracta, pedesque deorsum tracti non habuerint aliud sustentaculum, nisi clavos.

5. Ad majorem ignominiam, Ioann. 19. *Crucifixerunt cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris, medium autem Iesum: & impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.*

6. Additur titulus à quatuor Evangelistis quæ

quem Ioannes perfectè ponit, cap. 19. *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucè: erat autem scriptum:* JESVS NAZARENVS REX JVDAEORVM: *& erat scriptum hebraicè, græcè, & latinè.* Locus tituli fuit summitas crucis, ne prætereuntes commiseratione moverentur, & ut Pilatus justus agnosceretur; sed melius, ut innotesceret nationibus, quia à ligno regnavit Deus, debuisset que addi causa crucifixionis Christi ex parte inimicorum hominum, Ignoratio, & odium: ex parte Christi, amor ineffabilis: ex parte nostra, salus nostra.

7 *Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus*, &c, Joan. 19. videntur fuisse tres partes, tunica, pallium, & intexta linea, quam ei B. Virgo fecit, & Romæ asservatur. O Dei contra callidum Dæmonem prudentia, erga peccatores misericordia, contra peccatum justitia! Voluisset D Iesus sæpius, plura, diutiusque ad finem etiam mundi in cruce pati, id enim Deo debebatur infinitæ majestatis, id postulabat læsa divina justitia, id amor Christi tum in Patrem, tum in nos requirebat: sed Deus non voluit, nec opus fuit; sufficit voluisse. Sat erat tribus horis in cruce pependisse; extendit se vis sacrificij crucis ad secula tum præterita tum futura, O IESV pro me sic passe, quàm potenter

morem meum provocas; ad quantam fiduci me roboras! *Colloquium* pro affectu: optabo Dominum æterno mei sacrificio satiare.

## MEDITATIO CXIV.

## Feria 3. Dom. Palmarum.

### *Notabilia 21. circa crucifixum jam Christum.*

CONstituam me in Calvario, ubi Christus est crucifixus à cæcitate, ut loquitur D. August. Hom. 8 de S. Steph. in persona Christi: *Cæcitas me crucifigebat.* Petam fructũ elicere ex notabilibus, quæ tunc ibi contigerunt.

*Cons.* 1. Septem prodigia Domino in cruce pendente facta. 1. Tenebras super universam terram. 2. Eclipsim, signum è cœlo petitum à Iudæis: Phlegon ait etiam stellas visas. 3. Velum templi scissum. 4. Terræ motus, quo teste eodem 12. civitates periẽre in Asia. 5. Petræ scissæ. 6. Monumenta aperta. 7. Multa corpora Sanctorũ, qui dormierant, resurgentia. Egóne solus marmore durior ero, & ad hæc prodigia immotus persistam?

*Cons.* 2. Septem blasphemias contra Christum crucifixum, ejusque potentiam, dignitatem regiam, fiduciam in Deum, veracitatem, humilitatem, bonitatem, divinitatem. 1. Verba Christi in malum sensum torquent. Matt. 24. *Eliam vocat iste.* 2. *Prætereunt blasphe-*

*blaſphemabant moventes capita ſua: Vah! quæ deſtruis &c. Salva temetipſum, ſi Filius Dei es, deſcende, deſcende de cruce.* 3. *Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, ſalvum te fac.* Luc. 23. 4 *Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum Principes, cum eis dicentes: Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.* 5. *Similiter & Principes Sacerdotum, illudentes cum Scribis, & Senioribus: Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult, eum: dixit enim, quia Filius Dei ſum.* 6. *Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei, & improperabant ei,* Hieron. & Theoph dicunt utrumque a principio convitiatum. 7. Latro improperans. Irriſio, & contemptus ultimus impietatis terminus: quia *impius cùm in profundum venerit, contemnet,* & quis auctor horum? Reſpondet Aug. l. 14. de Civ. Dei c. 28. *Amor ſui uſque ad contemptum Dei.* Reformabo linguam quinque modis. 1. Argumenta odij adducere contra defectus linguæ. 2. Conſcientiam frequenter examinare circa eos defectus. 3. Propoſitum renovare. 4. Radices inquirere. 5. Examine particulari uti.

*Conſ.* 3. Septem in morte Chriſti turbationes. 1. Deitas (*alioquin impaſſibilis*) *tunc quaſi compatiens videbatur:* patiebatur anima im-

mortalis de corpore solvenda: patiebatur Filius ipse in omni parte sensitiva, & rationali. 2. Angeli videbantur turbari, cùm viderent Dominum in cruce sic pati, uti amicus dolore solet de malo amici. 3. Turbantur omnia elementa. 4. Turbati sunt & Pagani, quasi punicturis, licet nescierint, unde essent. 5 Turbati sunt etiam Spiritus immundi. 6. Turbatæ sunt animæ Patrum, maluissentque pœnas inferni pati, quàm talem pœnam videre in Domino suo. 7. Patiebatur & Virgo cruci assistens sic, ut nullus satis possit considerare. S. Brig. l. 6. c. 11. Egóne solus sine sensu hæc accipiam? & amorem proprium auctorem Deicidij sic abire permittam, neque in crucem agam? *Mihi cunctis rebus emendum est Deus, & crux*, inquit D. Greg. Naz. orat. 3.

## Meditatio CXV.

## Feria 4. Domin. Palmarum.

### *De primis quatuor verbis Domini in Cruce.*

ASpiciam Dominum virum dolorum in cruce prope urbem, mundi caput festo maximo, in quo neminem fuisse verisimile est, qui non interesset, & in Dominum nullum non contumeliæ genus excitaret, ut ait D. Isid. latronibus nil tale facientes. Petam ex singulis Domini verbis in cruce prolatis fructum capere.

*Cons.*

*Conſ.* 1. PATER. Scivit opus hic eſſe benignitate Patris, non rigore judicis: quaſi diceret: Ego Filius parco illis, tu quoq; ignoſce mei causâ, Pater. Et nequiens excuſare ſcelus, ignorantiam adfert: quia *ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, 1. ad Cor. 2. & exauditus eſt. 1, ne Deicidæ continuò pœnam darent, ſed ad 40. annos differretur. 2. Exauditus eſt quoad culpæ remiſſionem: ſecutæ ſunt enim memorabiles ſeptem converſiones: Latronis, Centurionis, eorum, qui cum eo erant, *omnis turba, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur*, Luc. 23. Beda ait fuiſſe Iudæos tacitè compunctos; Ioſephi ab Arimathia, antè occulti, nunc audentis; Nicodemi, qui aliàs nocte veniebat, illorum denique trium, & poſtea quinque millium in Pentecoſte; item Areopagitæ. In hoc verbo fuit perfecta proprij commodi, & honoris, & exiſtimationis abnegatio: quia non ſuæ voluntati, ſed bono noſtro ſervivit, ob peccata contra Deum facta dolens, & Deum placans juxta illud ad Rom. 15. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit.*

*Conſ.* 2, Latroni zelanti dictum: AMEN DICO TIBI, HODIE MECVM ERIS IN PARADISO *Credamus Deum vel ſolâ virtute Patientiæ, qui dñs ab homine crucis nec i traditur,*

*sit quoque homini gloriam pollicetur*, inquit, Aug ser. 120. de Temp. Fuit hîc perfecta propriæ potestatis abnegatio, qui unum latronem assumpsit, alterum reliquit, prout Patri placere videbat.

*Cons.* 3. verbum. *Stabat autem juxta crucem Iesu Mater ejus. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ* MVLIER, ECCE FILIVS TVVS (ô qualis commutatio! ex Matre Dei fit mulier, ex Discipulo fit Filius Dei) *deinde dicit Discipulo*: ECCE MATER TVA, *omnis verè Christianus Filius est Mariæ*, ait Origenes hom: 2 in Ioan. Addit hic Ambros. *Christus Matrem dedit, crucem sibi servavit.* Fuit hîc Christi perfecta sensualis amoris abnegatio, & in spiritualem conversio non plùs amando Matrem suam, quàm Pater voluerit, quando eam posthabuit cruci.

*Cons.* 4. Post silentium horarum quasi trium (ô quid tunc mente voluerit Deus meus!) ne putaretur jam mortuus, *circa horam nonam clamavit Iesus voce magnâ dicens*, linguâ Syriacâ tunc usitatâ Psalmi 21. initium: ELOI, ELOI, &c, & probabile quòd totum submissè oraverit reliquum. Non fuit autem sic derelictus, quasi soluta esset unio hypostatica, aut quasi perdidisset amicitiam DEI: sed quòd ab imminente morte Pater

Filium

Filium non liberaret, nec mitigaret extremos morientis dolores, triſtitias, & agoniam, ab horto hucuſque continuatam cum ſubtractione ſolatij, & quòd Divinitas permiſerit humanitatem pati, quæ derelictio propriè fuit ſolius Chriſti ſpecialis, & unici Filij Dei, qui tacuit dolores omnes reliquos, hanc unicam derelictionem piè queſtus eſt, & meditandam ejus cauſam propoſuit: VT QVID, ſeu, *quare* DERELIQVISTI ME? ad hoc *quare* ſolus ille reſpondebit, qui peccati malitiam, Dei juſtitiam, & nimiam Charitatem comprehenderit. Maluit Filius Dei à Patre deſeri, quàm ut nos derelinqueret. Magnus eſt amor hominis relinquentis Parentes ſuos, at quòd Filius DEI relinquat propter nos Patrem ſuum, quis hoc explicet? Fuit hic Chriſti perfecta ſpiritualis ſolatij abnegatio, & in deſolatione quantumvis graviſſima, conſtans Dei adhæſio. Quantumcunque igitur Deus me *offendit*, *Pater eſt*, inquit D. Ambr. in Pſalm. 39.

## MEDITATIO CXVI.

## Feria 5. Dom. Palmar.

### *De reliquis Chriſti verbis in cruce.*

ASpiciam D. Jeſum in cruce toto meridie pendentem, juxta illud D. Auguſt. Hom. 8. de S. Steph. de Chriſto loquentis: *Caro*

*pendebat, sed Deus intus latebat:* audiamque reliqua verba proferentem? Ex ijs utilem doctrinam elicere petam.

*Cons.* Verbum 5. *Postea sciens Dominus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit:* SITIO. *Vas ergo erat positum aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus,* Joan. 19 sive ut citius moreretur, quia hyssopus lethalis est, ait Theophylact. sive ut cruciatus protraheretur: acetum enim sistit sanguinem. Sitiebat verè Dominus, non ideo tamen silentium rupit, sed ut constaret eum implêsse omnes Scripturas. Verùm cur isti sitim labiorum contactu solùm irritant? cur non admotis brevibus scalis, quibus titulo figendo usi fuerant, poculum offerunt? O quantæ fuerint sordes in illa spongia, inter carnificum ferialia instrumenta projecta! quis illam non horreat? Adde quòd appositi fuerint hyssopum, plantam austeri succi: adeóque undique in delicias pugnatur ad victoriam sui, docetque Dominus & in minimis patientiam. Fuit hic Christi perfecta sui in defectu corporalium necessitatum abnegatio.

*Cons.* Verbum 6. *Cùm ergo accepisset Jesus acetum dixit:* CONSUMMATUM EST. Joan. 19. Duo erant commissa Christo a Patre: pati & docere; illud Joan. 17. perfecerat: *Opus consum-*

*consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam: manifestavi nomen tuum hominibus* de illo jam loquitur: *Consummatum est.* Finitus est cursus vitæ meæ, ac dolorosæ Passionis. Quidquid voluerat Pater, quidquid erat in me virium, quidquid ad summam perfectionem hominum pertinebat, consummatum est: hujus verbi effectum impedit, qui non facit similiter. Fuit hîc Christi perfecta ad omnia resignatio: quæcunque ei Pater commiserat, explendo usque ad finem perfectum omnia.

*Cons.* 7. Verbum Christi, in hac vita mortali ultimum: *Iesus autem iterum clamans voce magnâ*, Matth. 27. *emissâ voce magnâ* Marc. 15. PATER, IN MANVS TVAS COMMENDO (Græcè tradam) SPIRITVM MEVM: *& hæc dicens inclinato capite tradidit spiritum*, Joan. 19. *emisit spiritum* Matt. 27. *expiravit*, Marc. 15. Luc. 23. Hæc fuit Christi cum clamore morientis oratio ultima, quâ vitã perdere maluit, quàm patientiam. Inclinato capite clamans tradidit spiritum. *Quis ita dormit, quãdo voluerit? quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? quis ita, cùm voluerit, obïit, quomodo ille, cùm voluit, obiit? quanta speranda, vel timenda est potestas judicantis, si apparuit tanta morientis?* hæc D. Aug. Tr. 119. in Joan. Clamat igitur, ut innotescat, quòd fuerit plùs quàm homo:

quia moriebatur, non ut homo, lentè deficiendo, quod movit Centurionem, ut Filium Dei confiteretur: atque ad indicandum his clamoribus obedientiam suam, desiderium salutis hominum, amorem suum erga Deum, & promptitudinem, quâ vitam dabat: ideo ait Tertul. contra gentes, *Spiritum cum verbo dimisit, prævento carnificis officio.* S. Athan addit. *In eo spiritu omnes homines apud Patrem deponit, commendat per ipsum, & cum ipso.* Fuit hîc Christi perfecta Corporis, Animæ, omniumque rerum temporalium & spiritualium, quæ Deus non sunt, resignatio. O quàm bonum, esse in manu Dei! Nihil unquam melius mei est, quàm dum totum Dei est. Extincto calore naturali, dicitur corpus mortuum: extincto amore proprio, verè mortui sumus. Extinguitur amor proprius imitatione septem resignationum Christi duplici meditatione propositarum. Egóne ut aliquid ei negem? qui pro me dedit omnia cum vita etiam in SS. Eucharistia, quam D. Paschas. de Pass. Dom. vocat *Natalem Calicis*, D. Cypr *Mortificationis exemplũ* de Passi D.

## MEDITATIO CXVII.

### Feria 6. Dom. Palmar. seu Parasceve.

*Omnis passio mea, collata Passioni Christi, nihil est.*

Vi-

Videbo è lacero Chriſti corpore plura bona manantia, quàm ex igne flammæ, è floribus odores, ex Sole radij: quia *tam copioſo munere ipſa redëptio agitur, ut homo Deum valere videatur*, ait Euſeb. hom. 6. Petam fieri particeps fructûs Paſſionis Chriſti.

*Conſ.* 1. D. Jeſu caput coronatum ſpinis, arundine percuſſum, ludibrio habitum: faciem conſputam, alapis tumefactam, & lividam: oculos toties illacrymantes, velatos, ſanguinantes, everſos, & emortuos: aures tot opprobrijs affectas, tot blaſphemijs obruſas: odoratum tam fædè vexatum: guſtum fame & ſiti afflictum, felle, aceto, & myrrhâ potatum: linguam vera ſemper loquentem, inter opprobria tacentem, pro blaſphemis Crucifixoribus cum lacrymis & clamore valido orantem: collum conculcatum: humeros ſub pondere crucis fatiſcentes: manus in cruce extenſas, & pedes ab itineribus feſſos tam crudeliter tranſfixos: totum corpus tam ſacrilegis manibus tam malè tractatum, ſudore ſanguineo madidum, flagris dilaceratum, cum cruce ſæpius lapſum, toties indutum & exutum, in cruce per modum flocci laceri diſtractum, & extenſum, frigori, ventis, cuivis ſexui expoſitum, & denique cum lacrymis & clamore valido emortuum: latus, & cor immani lanceâ tranſverberatum, unde exivit

ſan-

sanguis, & aqua: sic denique rebus omnibus spoliatum, ut à morte volucribus & bestijs ad devorandum fuerit derelictus, nisi quidã pietatis intuitu cum sepulchro alieno condidissent. Si te Iesu, pro me sic afflicte, siccis oculis aspicio, næ cor meum durius est cruce, & clavis tuis. O parce abusibus membrorum corporis mei.

*Cons* 2. Omnes difficultates, quæ mihi evenire possunt, quas donec passus fuero tantùm, quantũ Christus, & adhuc amplius, an dici possim aliquid passus? cùm si ego Deus essem Dei, amplius pro me pati non posset, quàm passus sit Filius Dei pro filio Diaboli. Quòd si dolores omnium Martyrum, collati doloribus Christi, nihil sunt, quid erit hoc, quod ego patiar? imò nec, sicut oportet, patior. En Dominus meus *Quantum laboravit sustinens* [Bern. ser. 12. in Cant. *Colloquium* ad immitabilem Charitatem Dei: quia pro inimicis mortui: Nos enim pro Deo inimico animam ponere nunquã possimus: quia nisi nos amet Deus, nemo hoc faciet. O si fieri posset, ut sine tua injuria tuo cum auxilio inimicum te habere possem, mi Deus, ut pro te inimico moriens numerer omnes, saltem ex hoc capite, explerem Charitatis. Sed tu jubes, inimica mihi ut amem; volo, Domine: da quod jubes, ut hanc crucẽ semper ba-

julem,

jùlem, in pedibus humilitatẽ, & Obedientiã, in capite sapientiam, in corde charitatem, in dextra justitiam, in sinistra fortitudinem.

## MEDITATIO CXVIII.

### Sabbato Sancto.

*Septem Abyssi B. Virginis dolorum, ex moriente, & mortuo Filio.*

VIdebo Ministram Sacerdotis Magni dimidia parte animi superstitem: quia alteram sacrificatam in igne flammeo, qui de latere Domini exire visus à B. Mechtilde. Petam sentire affectus Matris dolorosæ.

*Cons.* 1. Abyssum dolorum ex moriente Domino. Doloris gladius, qui Christo in cruce mortem attulit, Matris animam in ejus mœrore transfixit, ait D. Paulin. Epist. ad Aug.

2. Abyssus. Ex vicinitate. Gravius pungit, quod est vicinius cordi. Nunquam Deicidiũ vidit ullus, nunquam Filium miseriorem, nunquam tristiorem Matrem, præsentem. nec succurrere valentem. Vulnera Filij morientis erant vulnera Matris dolentis.

3. Ex mutuo aspectu. Natabant Christi oculi in sanguine, & lacrymis, expresso deinde cruore Matrẽ aspiciens, tantùm indoluit, ut omnis dolor vulnerum ejus visus sit quasi sopiri. Lib. 1. Rev. S. Brigit. c. 27 & 25.

4. Abyssus. Ex pugna cum dolore. Chri-

stus

flus tormentis,& sanguine, hæc doloribus & voluntate sacrificabat Deo, ait D. Ambr. de Instit. Virginib. c. 7.

5 Abyssus. Ex lancea, Lib. 4. cap. 79. S. Brig. & Lib. 7. c. 15. Irridentibus, inquit ipsa, me alijs, unus accurrens cum furia maxima infixit lanceam in ejus latere dextro tam vehementer,& validè, ut quasi alteram partem corporis transiverit, quâ extractâ abundanter de vulnere cum impetu exibat quasi quidam fluvius sanguinis brumei coloris, ut ex hoc intelligeretur cor transfixum, quæ punctura cor meum sic penetravit, ut mirum fuerit, quòd non crepuerit.

6. Abyssus. Ex depositione de cruce: Quia Filium suum quasi leprosum contractum & rigidum, nivisque instar frigentem, sicut stetit in cruce, sic in sinu reposuit, claudens ejus os, oculos, atque deosculans: Erat enim sicut vermis mortuus in hyeme, in quem transeuntes exspuunt, eumque conculcant. Discam amare Deum mortuum.

7. Ex Sepultura: positus enim erat Dominus in linteo mundo, plenè extersus, involutus in sindone munda, unctus antè aromatibus, atque in sepulchrum illatus. Angeli autem quasi atomi Solis adfuerant O qualem, inquit Diva, Lib. 1. c. 36. l. 2. c. 22. l. 7. c. 10. S. Brig. tristitiam tum temporis habui!

O quàm

O quàm libenter posita fuissem viva cum Filio meo in Sepulchrum! Vere quasi duo corda in uno Sepulchro fuissent: Vbi enim Thesaurus, ibi & cor: non tamen confui linteum, sciebam enim pro certo, quòd Deus non dabit Sanctum suum videre corruptionem.

## MEDITATIO CXIX.

## Dominica Resurrectionis.

### *De quatuor D. IESV apparitionibus primis.*

VIdebo animam D. JESV ab inferis reducem comitantibus eam animabus jam beatificatis, ostendentem corpus suum percussum, & sanguinans, in quo pro salute eorum, totiusq; mundi passus erat usque ad mortem: quare eo ab omni livore & unguentis emundato, illud continuò animæ univit, & sine revolutione lapidis, aut sigilli læsione per virtutem subtilitatis è sepulchro sub aurora extraxit: Angelo interea motu terræ lapidem removente, & multis corporibus Sanctorum, qui dormierant, surgentibus, & in Sancta Civitate apparentibus, Matth. 27. Petam ex quatuor primis apparitionibus fructum utilem decerpere.

*Cons.* 1. Evangelistas tantùm narrare apparitiones servientes testimonio fidei, quod dare Matrem de Filio non decebat: ideo apparitio

paritio Matri non est scripta, licet facta sit teste D. Bernardo hodie: *Prima Dominum vidit in forma gloriosa, non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij*, O qualem vidit! vivum, salvum, integrum, pulchrum, lætum, impassibilem, agilem, subtilem, honoratum, glorioſum, proprium Filium, immortalem Deum; resuscitare enim seipsum argumentum est propriæ Divinitatis. *Potentius est revixisse mortuum, quàm non fuisse mortuum*, ait D. August. in Psal. 65. Audiverit dicentem: Ecce sum vivus, & fui mortuus: senserit fragrantiam, exosculata fuerit cicatrices.

*Cons.* 2. Alteram apparitionem Magdalenæ hærenti ad Sepulchrum, & ploranti, quæ meruit prima post B. Virginem videre Iesum specie hortulani, eumque more suo velle complecti.

*Cons.* 3. Factam Simoni Petro Luc. 24. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni* tanquam digniori, & qui primò confessus fuerat Christum, quique eum negaverat, ideo primo ei apparere voluit, ne desperaret. Gratus ero Clementiæ Dei erga peccatores.

*Cons.* 4. Apparitionem mulieribus redeuntibus à monumento. Matt. 28. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens: Avete: illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum: Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite nuntiate*

*tiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* En quomodo iter virtutum inchoantibus Christus adjuvando occurrat, & quas Angelus firmaverat, Dominus reddat certiores. Discipulos nominat fratres, jubet in Galilæam ire, seu transmigrationem, *ibi*, inquit, *me videbunt*: Nisi enim à vitijs ad virtutes migremus, non videbimus gloriam Resurrectionis, cujus symbolum est Venerabile Sacr. quod dicitur. *Pharmacum immortalitatis*, à Conc. Trid. Sess. c. 2.

## MEDITATIO CXX.

## Feria 2. Paschæ.

### *Non datur in hac vita frui DEO, quantò minùs creaturis*

VIdebo Dominum Cleophæ & Amaoni apparentem, & disparentem euntibus in Emaus. Petam agnoscere, non dari in hac vita satietatem.

*Cons.* 1. Felicitatem illorum duorum Discipulorum, quando aperti sunt oculi eorũ, & cognoverunt IESVM: hæc enim est vita æterna. Ioan. 17. Noscitur Deus ex creaturis, ex scripturis, ex Unigenito in terris viso, & cum hominibus conversante, tandem à mortuis resuscitato, & agnito à Cleopha, & Amaone, ut ait D. Ambros in Luc. lib. 7. c. 12.

*Cons.* 2. Infelicitatem eorundem: quia

vix

vix cognoverunt eum, & ipse continuò evanuit ab oculis eorum. Nimirum in cœlis tantummodo verum erit illud: *Tenui eum, nec dimittam.*

*Cons.* 3. Si mihi nec DEO in hac vita frui datur, quomodo me satiare poterunt creaturæ: percalcatis ergo illis, semper ad ea ferar, quæ, postquam contigerint, præterire non poterunt. O quando aderit ille dies, quo non per transennã, & peregrè tenebo Iesum meũ, nec dimittam! *O amare, ô ire, ô perire, ô ad Deum pervenire!* Exclamat D. Aug. Serm. 17. de Verb. Dom. Interea cùm, ut ait Theophylactus, magnam & ineffabilem vim habeat Domini caro, eamque sumentibus aperiantur oculi, ad SS. Sacram. me applicabo.

## MEDITATIO CXXI.

## Feria 3. Paschæ.

### *Paschа continuandum in vulneribus Christi.*

VIdebo Dominum pro agno piscem, & pro lactucis agrestibus favum mellis paschaliter comedentem. Petam fieri hujus mensæ particeps.

*Cons.* 1. Quòd legale Pascha cum amaritudine edebatur, ut ait D. Greg. Niss. post Resurrectionem verò cibus favo mellis dulcoratur. Comedit Dominus potestate, non necessitate,

cessitate, non ut terra sitiens sorbet aquas, sed ut sol calens: instruendo nos quomodo pascha nostrum immolatus Christus dulci meditatione edi debeat, quæ est vas vini boni, locus pascuæ, ubi collocari petam.

*Cons.* 2 Si Pascha est transitus, mihi quidem triplex restat, quem exopto. 1. Ab amore creaturarum omniũ ad amorem solius Domini, ac Creatoris. 2. A vita hac mortali ad alteram immortalem. 3. Ad judicium, & à judicio ad terminum in eo mihi judicatum. Sit mihi hic Dominus meus Rex, Moses, & Ductor. Si mihi Dominus adjutor fuerit, non timebo mala.

*Cons.* 3. Præter communem, quâ corpus reficitur, quatuor mensas memorię reponendas. 1. Mensam damnatorum, quæ refrigerabit ardorem concupiscentiæ, & resolvet frigus acediæ. 2. Mensam Beatorum, quæ famem, quam patimur, non corporis, sed amoris reficiet. 3. Mensam purgantium animarum. 4. Mensam Eucharisticam adversus eos, qui tribulant me.

## MEDITATIO CXXII.

## Feria 4. Paschæ.

### *De septima apparitione.*

VIdebo Dominum ad mare septem Discipulis apparentem, & ex piscium captura agin-

agnitum, & Petro oves suas commendantē Petam ex singulis fructum utilem decerpere.

*Cons.* 1. Quomodo Discipuli nocte totā nihil prendiderunt, quibus manè Dominus apparens ait *Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis. Miserunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Assuefaciam me, ut quàm dexterrimè in bonis intentionibus me exerceam, quibus solis æterna merita capiuntur. *Quod pro æterna vita agitur, etiam post mortem servatur,* ait Greg. hîc.

*Cons.* 2. Quomodo ex miraculo agnoverint Dominum, & quidem Ioannes more suo, & Petrus suo, ut notat Chrys. hom. 89. in Joā. Joannes ingenio, Petrus fervore, Joannes acumine, Petrus vehementiâ: & sicut antè Petrus ad monumentum intrat primus, & modò antenatat, sic Ioannes utrobique priùs videt, & præcurrit. Agnoscam quàm gratum sit DEO, si quisque pro viribus ad eum tendat: sive fluctus maris mundi calcando, sive ex dilectione proximi extrahendi in fluctus seculi se inijciendo.

*Cons.* 3. Quomodo Dominus Petrum sui vicarium præfecerit triplici examine de dilectione præmisso: magnum enim onus est cura salutis aliorum, quia tripliciter pascendi sunt juxta S. Bernard. Ser. de Resur. *Pasce*

*mente,*

*mente, pasce ore, pasce opere. Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Lyranus addit: *Veritatis verbo, vitæ exemplo, temporali subsidio.*

## MEDITATIO CXXIII.

### Feria. 5. Paschæ.

*De Apparitione facta Magdalenæ soli.*

VIdebo Dominum velut alterum Samsonem, inferni claustris eversis spectabilem factum Mariæ Magdalenæ. Petam agnoscere ejus præsertim dilectionis puritatẽ, & imitari.

*Cons.* 1. Quomodo Magdalena, de qua Dominus septem ejecerat dæmonia, contraria donis S. Spiritûs nihil nocumenti perceperit; quia ut hîc ait D. Hieronymus: *Peccata præterita non nocent, quando non placent.*

*Cons.* 2. Quanto amore flagraverit in Dominum, quæ non unum sed plures Angelos decoros veste, aspectu, & alloquio solatij pleno dedignata contemplari, quia affectum ejus totum absorpserat Christus. Ipse est pars optima, & gratis amatur à corde casto, ut ait Aug. in Ps. 72. *Non ab illo petitur aliud præmium qui aliud premium petit à* DEO *& propterea servire vult* DEO, *charius facit quod vult accipere, quàm ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmium det: nullum præter ipsum. Præmium det, ipse* DEVS *est hoc*

*amat,*

*amat, hoc diligit; si aliud dilexerit, non erit castus amor.*

Cons. 3. Quomodo Dominum allocuta sit, *Conversa illa dicit ei: Rabboni*, quod est Syriacum, & significat *Magister mi*, amabiliter vocat Magistrum suum, ad cujus pedes aliquando sedens diligenter audiebat verbum illius, Luc. 10. quod quale fuerit, explicat propheticè David Psal. 15. *Notas mihi fecisti vias vitæ; hoc itaque in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris*, inquit Ambr. *quia resurgens notam habet viam vitæ, quæ antè fuit ignota, nullus enim adhuc resurrexerat.* Felicissimè sub hoc Magistro profecit Magdalena, quæ fœmina, ut loquitur hîc Beda, quondã mortis ministra, Resurrectionis Mysterium prima percepit, & nuntiat. Petam in hac schola plus proficere in scientia Sanctorum, utendo mediis, quibus usa S. Magdalena. Aug. hîc ait: *Conversa corde, quod erat cognovit*: qui se affectibus inordinatis spoliat, ei apparet DEUS.

## MEDITATIO CXXIV.

## Feria 6. Paschæ.

### *De octava Apparitione.*

ASpiciam Dominum in monte Galilææ, qui videtur fuisse Thabor, antè designato apparentem suis. Petam intelligere quomodo ad montem DEI pervenire possim, inibiq; DEUM cernere.

Co

1. *Cons.* Quomodo Dominus, qui deorsum confortabat ad patientiam, sursum invitet ad gloriam. Primò enim docendus est auditor, deinde Fidei Sacramentis imbuendus, tum ad servanda mandata instruendus: *docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis*; quæ quidem non sunt pauca, & levia, nisi præsentia gratiæ, & spe gloriæ alleviarentur.

*Cons* 2. Quomodo cum Discipulis abeundum in Galilæam, seu transmigrationem, vel revelationem. O beatam transmigrationē ex seculo in illam æternitatem, & beatam revelationem, cùm eum videbimus, sicuti est!

Cons. 3. Verba D. Hieron. in c. 16. Marc. *Stupenda sunt, quæ præparavit Dominus diligentibus se* Miramur cum ratione conjuncta: quæ rationem superant stupemus; talia sunt, quæ praparavit Dominus diligentibus se. O quomodo radix amara crucis evanesceret, si florem vitæ æternæ cum fructibus ejus attentè consideraremus!

## MEDITATIO CXXV.

### Sabbato post Pascha.

### *Septem gaudia B. Virginis ex Christo glorioso.*

VIdebo septenis doloribus ejectis cor Virginis à septem gaudijs obtineri Petam

tam ea intelligere, eorúmque fieri participeps.

*Conſ.* 1. Gaudium de reſtitutione honoris DEI: ut enim in Divæ corde non erat major amor, quàm amor ſdivinus, ſic in ejuſdem corde non fuit majus gaudium, quam ex reddito honore DEO, per peccatum antè ablato, nunc autem per merita Paſſionis Chriſti reddito, agnitione ſummi boni, & amore finis ultimi, ejectione turpiſſimarum beſtiarum peccati, & paſſionum, renovatione imaginis DEI, ſubjectionéque voluntatis eius per leges agnitæ. Augebo gaudia Divæ renovatione odij contra omnes defectus, & affectus inordinatos.

2. Gaudium de impaſſibilitate Filij, quà Dei. Diva omnes homines & Angelos ſuperavit amore, quo amabat divinitatẽ D. IESV, magìs igitur gaviſa eſt viſio impaſſibilis Filij Dei à mortuis reduce.

3. Gaudium ex impaſſibilitate Filij, qui ſui Magnus eſt amor parẽtum in filios, quia natura eorum multiplicatur in filijs, in quibus amant partem ſubſtantiæ ſuæ propriæ: ſed Diva Filium amabat amore naturali, & ſupernaturali: æquè igitur gaudebat.

4. Ex impaſſibilitate Sponſi. Propter quod amatur proles, amatur & Sponſus: proles amatur ſummè propter amorem ſui: qui

ver

verò altioris erat amor Divæ in se, & in Filiũ, ita & altioris ordinis fuit eius gaudium.

5. Ex impassibilitate IESV Patris Pater est, qui generat naturæ suæ similem: Christus per gratiam nos sibi generavit, in primis verò B. Virginem: quare quò magis ipsa Patrem suum dilexit, eò ampliùs gavisa est.

6. Ex absoluta Christi ab omni dolore liberatione, quos ipsa dolores quo magis antè penetraverat, tantò ampliùs ex absterſione illorum lætata est.

7. Propter restituta tria bona, quibus nihil potest esse melius: Amicitiam Dei, & hominis: Participationẽ fructûs Passionis Christi, & Jus ad summum bonum obtinendum. Nihil est melius his tribus bonis acquisitis, nihil pejus his ereptis. B. Virgo vim utriusq; excellenter agnovit, gavisa igitur summè est, & meam ingratitudinem suppleverit. Petam fieri particeps horum gaudiorum.

## MEDITATIO CXXVI.

### Dominica in albis,

*De nova apparitione post octo dies facta.*

ASpiciam undecim Discipulos, postquam ex præcepto Domini abijssent in Galilæã, clausos non metu, sed alijs de causis à Domino repente visitatos, præsente Thomâ. Petam utiles fructus hinc colligere.

*Conſ.* 1. Culpabilem Thomæ incredulitatem: licet enim initio aliquantulum excuſabilis eſſe potuerit, negari tamen non poſſe, quin deliquerit incredulitate, pertinaciâ, ſuperbiâ, & irreverentiâ, quòd tam diu totte-ſtibus, qui cum Domino etiam manducaverant, non crediderit, nec credere voluerit, niſi cicatrices Domini tangeret: permiſiſſe tamen Deum labi Thomam ad fructum humilitatis, ad fidem firmiorem, ad articulum de Reſurrectione magis ſtabiliendum. Decernam & ego, ex lapſibus meis fructum quàm maximum colligere.

*Conſ.* 2. Verba Chriſti humilitate plena dicentis Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Hinc converſus Thomas, reſpondit, & dixit ei: *Dominus meus, & Deus meus!* Credibile eſt, quòd præ reverentia à tactu abſtinuerit, & ad pedes Domini in terram ſe abjecerit, quem Dominus manu apprehenſum voluit, ut deſiderium ſuum adimpleret, & divinæ Charitatis magnitudinem; Thomas verò attactu Domini illuminatus, utramque naturam Chriſti confeſſus eſt. *Videbat*, inquit Auguſtinus, *tangebatq; hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neq; tangebat; ſed per hoc, quod videbat atq; tangebat, illud jam*

*remoti*

*remotâ dubitatione credebat*; Laudabiliter quidem, sed laudabiliùs, qui solo auditu credunt: sequitur enim: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Si beati, qui viderunt, beatiores qui non viderunt: quia magis participant de natura Fidei, quæ est *argumentum non apparentium*, ad Hebr: 11. adeóque magis merentur. Quare si mihi optio detur, malo credere, quàm videre.

*Conf.* 3. Cicatrices à Domino retentas miraculosè, quòd non sanguinent, neque venarum, vel arteriarum cursum interrumpant, retentas in confirmationem Fidei. 2. Victoriæ de inimicis. 3. In memoriam sui erga nos amoris. 4. Vt Mediator & Advocatus per eas Patri repræsentatas magis nobis prosit. 5. Vt nos ad sui cognitionem, amorem, & obedientiam exstimulet, officiíque erga se nostri commonefaciat. 6. Ad confundendos in die judicij inimicos, ad exhilarandos electos. Vt inde participem, sequar consilium D. Bernar: de ordine vitæ: *Beatus, qui castus perseverat in corpore & mente: huic procul dubio caro & sanguis Redemptoris nostri efficitur salus, & vita.*

## MEDITATIO CXXVII.

### Feria 2. Domin. in albis.

### *De Promissis Evangelicis in genere.*

ASpiciam Dominum totum festivum
suos electos, de ijs gaudentem, &
promittentem. Petam agnoscere felicit
electorum Dei, & esse unus ex illis, qui
dicitur: *Ego elegi vos.* Joann. 15.

*Cons.* 1. Felicissimam electorum sor
gratiæ ineffabilis: quid enim eramus, q
do Christus nõdum nos elegerat, nisi in
& perditi? quia non eligit Deus bonos,
quos eligit, facit bonos: alioqui gratia
esset gratia. Mali igitur eramus, & elect
mus, ut boni per gratiam nos eligentis
mus. Elegit ante mundi constitution
vocavit de mundo alium ante, alium
gratiæ naufragia; ita ipse loquitur: *Non
me elegistis, sed ego elegi vos:* Misericordiâ
veni vos. Sûmne in numero electorum
éstne etiam mei recordatus ab æterno
mimus? si id scirem, quid facerem? cùm
sciam, quid agam? aut quid mihi ram
esse difficile, quod subire nollem, ut in
merum Electorum inferar?

*Cons.* 2. *Posui vos, ut eatis*, id est, vole
quia, ut ait Greg. hom. 17. in Evang.
*ire est.* Per me viam: quia, ut ait Aug.
ipse via, in qua nos posuit, ut eamus,
iterum gratia. Quod si ego prætetea po
in statu tali sum, in quo si Deum qu
certè invenio, disquiram, quomodo ea
Domini.

*Conf.* 3. *Et fructum afferatis.* Fructus noster est charitas; quia fructus Spiritûs charitas, quæ modò est in desiderio, postea in saturitate. *Et fructus vester maneat* operando, perseverando. Et ne id molestum sit, promissis nos excitat, quæ electis suis imitantibus vitam suam pollicetur daturum se in hac & altera vita, prorsus admirandis, propter quæ ipse Filius Dei exultat, Luc. 10. *In ipsa hora exultavit in spiritu sancto*, de salute humilium, quibus loquebatur, gratias agens, ut ostenderet dilectionem in nos. *Confiteor tibi Domine Pater cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: etiam Pater, quoniam sic placuit ante te.* Agam & ego gratias pro tanti beneficij spe.

## MEDITATIO CXXVIII.

### Fer. 3. Dom. in albis.

### *De bonis, quæ Evangelium promittit in hac vita.*

ASpiciam Dominum dedignantem terrena promittere, sed tantùm adijcere. Matth. 6. *Hæc omnia adijcientur vobis:* promittentem verò spiritualia in hac vita fidem, & dona Miraculorum. Marc 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequẽtur*, &c. Petam intelligere promissa hujus vitæ, & fructum inde colligere.

*Conſ.* 1. Quomodo habentibus Fidem not majorem, quàm ſit granũ ſinapis, Matth. 17. Marc. 11. Luc. 17. cùm opus erit, datur poteſtas transferendi montes, & *& nihil impoſſibile erit vobis*, ait Dominus. 2. Addit poteſtatem ſupra dæmonia, Luc. 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones: & ſuper omnem virtutem inimici:* id ſubjungit, ne putares dictum de beſtijs notat Chryſoſt. 3. Addit majorem effectum poteſtati, quàm ipſe exercuerit: *Amen, Amẽ dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Joan. 14. Oſtendit non ſolùm poſſe, ſed quod eſt mirabilius, poſſe alijs dare, ut majora faciant: potéſtne potentia excogitari major? Hinc illa miracula in Eccleſia, & poteſtas in inferos, & ſuperos.

*Conſ.* 2. Nihil præſtantius eſt ſapientiâ, quam præpoſuit omnibus Sapiens, Deo ſententiam approbante: at Filius Dei quantam offert ſapientiam ſuis, Luc. 21. *Ego*, inquit, *dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarij veſtri:* homines & dæmones. Et Joan. 16. promittit, ſe miſſurum ipſum Spiritum ſanctum, qui cùm venerit *ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hinc quanti in Eccleſia Doctores!

*Conſ.* 3.

*Conf.* 3. Quomodo Dominus addat scientiam futurorum, Joan. 16. *Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Hinc illæ prophetiæ. Annuntiabit autem non solùm, quæ futura in tempore, sed magis æterna, quorum amore inflammabor ad obsequendum Deo: ad nihil enim ita avidum genus humanum, ut ad sciendum futura. Ideo nobis Dominus annuntiat & futura mala, quæ propter fidem ferenda, & gaudia cælestis patriæ consecutura, ut alacrius feramus momentaneum & leve tribulationis.

## MEDITATIO CXXIX.

## Feria 4. Domin. in albis.

### *De majoribus bonis spiritualibus promissis in hac vita.*

AUdiam Dominum adhuc majora, melioráque promittentem suis bona, Luc. 10. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælo:* non enim est necessariò meriti ejus, qui operatur miracula, quia quidam eorum numerantur inter operarios iniquitatis: sed gaudendum de regno virtutum, quod Christus suis pollicetur. Petam hoc regnum intelligere, & consequi.

*Conf.* 1. Quàm magna bona virtutis & gratiæ nobis pollicitus sit, & largitus: Luc. 4.

*Spiritus Domini super me* (hominem) *propter quod unxit me evangelizare pauperibus* (non habentibus legem, nec Deum, nec Virtutes) *misit me sanare contritos corde* (debiles, & resistere insultibus passionum non valentes, habentes cor contritum à peccato, quia peccato cor humanum prosternitur) *prædicare* (Judæis, gentibus, & mortuis, qui dominio inferni sunt soluti per Christi resurrectionem) *captivis resurrectionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum in diem retributionis*: quando reddet unicuique secundùm opera sua. Benedictus Deus, qui per Christum *maxima & pretiosa nobis promissa donavit.* 2. Pet. 1. Quis nollet fieri eorum particeps?

*Cons.* 2. Examinando me, quâm sim corde forti in resistendo vitijs, tentationibus, passionibus, hostiumque animæ infestationibus: ad hoc intelligendum, reflectam me supra præteritam vitam, juxta illud D. Greg. *Ex anteacta vita se quisque invenit.*, & si immunis vixi, proponam ea, quæ mihi adversa possunt accidere, quomodo in ijs me velim gerere?

*Cons.* 3. Agnitâ debilitate meâ ulteriùs examinabo, an ipsa procedat ab intrinseco seu ex defectu bonæ voluntatis, an ab ex-

trinseco

trinseco, seu ex hostium insultibus, blandis, aut asperis, & contra utraque remedium à Domino petam.

## MEDITATIO CXXX.

## Feria 5. Domin. in albis.

### *Ponderatur magis donum amicitiæ cum* DEO.

VIdebo amicitiam cum DEO, unionem esse inæstimabilem. Petam intelligere, & consequi, & in hoc bono spirituali perseverare.

*Cons.* 1. Quomodo Deus admittat hominem ad amicitiam suam: *vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo* (ego homo) *nota feci vobis*: omnia, quæ vos audire oportebat. Servum esse Dei beneficium ingens est, majus esse socium, maximum esse amicum.

*Cons.* 2. Verba Domini: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Præcipit dilectionem, quæ distinguit inter servum & amicum; servum, qui ex timore; amicum, qui ex amore servit. Vnde autem diligeremus, nisi priùs diligeremur à Deo, unde omnis procedit dilectio, quæ ex præceptorum observatione monstratur? Vnde efficimur liberi, justi, sancti, cohæredes, fratres, filij, membra, organa Spiritûs sancti, Christi, &

Patris æterni. D. Chryſoſt. ad Neop:

*Conſ.* 3. Cùm amicitia à Deo procedat, rogabo impleri in me promiſſa Chriſti: & ſi Herodes ſtetit promiſſis filiæ Herodiadis, Marc. 6. ſi Balthaſar Danieli cap. 6. quantò magis id præſtabit *Rex magnus ſuper omnes Deos?* Pſ. 94. magis propendens ad amicitiam, quàm ego. Reflectam me, an amicitiã cum Deo conſervaverim, & quomodo, ſi ab ea excidi, redire queam: ſtatuámque me exercere in actibus amoris Dei ſemper; quia minimus actus amoris Dei, Deum valet: hanc amicitiam cũ Deo Chriſtus D. nobis ſanguine ſuo emit: hanc ego æſtimabo ſuper omnia.

## MEDITATIO CXXXI.

## Feria 6. Domin. in albis.

### *De reliquis bonis, quæ Deus in hac vita promittit ſuis.*

AUdiam Dominum reliqua in hac vita bona compendio nomine centupli exponentem. Petam intelligere illud centuplum, & conſequi.

*Conſ.* 1. Quomodo non tantùm Apoſtoli, ſed quicunque fideles, ſive paucis, ſive multis renuntient, dummodo voluntatem habendi non retineant, ſed omnes affectus charitatis poſtponant, Deum explicitè omnibus præferant, carnalia pro Chriſto dimittant, quòd

quòd centuplum in hac vita recipiant, & fructum ferant centesimum.

*Cons.* 2. Quomodo D. Hieronymus illud centuplum explicet, inquiens, Spiritualia bona esse, quæ cõparatione & merito comparantur carnalibus cẽtenario numero majora. Augustin. 20. de Civ. D. c. 7. centuplum pro universitate, ait, poni, juxta illud Apostoli: *Nihil habentes, omnia possidentes.* Cyrillus hîc ait, pro domo relicta mansiones acquiri supernas, pro patre cælestem Patrem, pro fratribus Christum, pro cõjuge divinam Sapientiam, pro matre cælestem Hierusalem, & denique in hoc seculo multos fratres & filios secundùm fidem. Origenes ait: *Multi etiam naturâ novissimi, fiunt per vitam Angelis quibusdam superiores,* dum Christi consilia imitantur, & hoc esse centuplum.

*Cons.* 3. Quomodo Dominus hoc centuplũ jungat cum persecutionibus nunc in tempore hoc. Marc. 20. Beda ait, sensum esse, quòd sequentes Christi consilia in hac vita persecutionibus plenissima, Regni Dei gaudium fide certâ degustent. Gratias agam pro beneficio, quibus datum est sequi consilia Dei, optabóque hoc donum pluribus dari.

MEDI-

## MEDITATIO CXXXII.

### Sabbato post Dom. in albis.

### *De septem gaudijs B. V. ex bonis Dei, Christi, & suis.*

ASpiciam Divam alijs novis septem gaudijs refertam ampliùs. Petam ea intelligere,& consequi.

*Cons.* 1. Primum gaudium de bonis Dei. Gaudium est actus complacentiæ de bono possesso,quod amo mihi vel alteri,cui bene volo.Diva scivit,nullum esse bonum præter Deum,à quo accepit esse omne,quod habuit super omnem creaturam post Christum: propter quod nulla pura creatura ita fuit Deo amore conjuncta, sicut B. virgo Mater Dei: unde nulla tantum habuit gaudium de bonis Dei, sicut ipsa.

2. Gaudium fuit de ijsdem bonis Dei,prout redundabant magis *in* Divam, quàm in omnes Sanctos & Angelos, quorum omnia gaudia collata gaudijs Divæ fuerunt gutta respectu Oceani.

3. Gaudium fuit ejusdem Divæ de bonis Dei, prout per considerationem propriam miros eorum splendores, & effectus,naturæ & gratiæ, & gloriæ, *in* luce infinita bonitatis Dei,velut radijs à Sole perenniter emicantibus, intuebatur, & absorbebatur dulcedine eor illius circa singula, 4. Gau

4. Gaudium fuit de bonis Christi ex contemplatione corporis ejus naturalis, quod Angeli desiderant.

5. Ex contemplatione corporis ejus glorioſi, quale futurum erat in cælis Lucerna beatorum: & titulorum Christi, quia Dei: qui tot fuerunt, quot ſunt attributa Dei, & quà hominis, qui tot ſunt, quot effectus mirabiles per Christum ſunt ſecuti, ut ruina Regni peccati, Gratiæ decus, ornamenta Virtutum, forma Eccleſiæ, lumen fidei, puritas innocentium, acta heroica, teſtimonia Martyrum, &c.

6. De bonis proprijs. Scivit ſe inter creaturas eſſe primam dignitate, quia ſcivit nullum eſſe majus beneficiū Maternitate Dei.

7. Ex reflexione omnium reliquorum beneficiorum à Deo ſibi collatorum in terra, & in cælo. Gaudebo de gaudijs Matris Dei, & ea in me augeri petam.

## MEDITATIO. CXXXIII.

## Dominica 2. poſt Paſcha.

### *De bonis, quæ Deus promittit in alterâ Vita.*

AVdiam Dominum vetantem gaudere de cunctis hactenus promiſſis bonis in terra, propter ingentia & ineffabilia bona, quæ promittit in cælis ſuis, quibus ait Luc. 10.

*Verum-*

*Verumtamen in hoc nolite gaudere*, &c. *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* petam ea bona agnoscere, & consequi.

*Cons.* 1. Quomodo sub metaphora Ovilis intelligatur Pater æternus, per portam Christus, vel fides Christi, qui alias Pastor vocatur, per ostiarium Spiritus sanctus, per oves intelligantur fideles omnes, quibus ad ovile gratiæ & gloriæ ingrediendum nulla sapientia, nulla quantumcunque vita bona sufficit, nisi eis aperiat ostiarius Spiritus sanctus. *Dicam*, inquit hîc August. *Pagani, vel Iudæi, vel Hæretici, bene vivimus: si per ostium non intrent, quid eis prodest?* Quia Christus D. est nobis ostium, ad electionem, ad fidem, ad veniam, ad gratiam, ad bona opera, ad meritum, ad spem salutis, ad perseverantiam, ad resurrectionem carnis, ad omne bonum.

*Cons.* 2. Verba Christi ovibus suis bona pascua promittentis: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ratio est: quia *Ego & Pater unum sumus*, sed Pater, qui dedit mihi, major omnibus est creaturis, & Angelis major ad protegendum, quàm illi ad impugnandum: nemo igitur potest rapere de manu Patris mei, vel mea. O quàm bona Pascua vitæ æternæ, ubi nulla herba arescit, totum viret! Orabo semper protegi hac manu, ut

ad illa septem promissa veniam, ubi erit à mœrore consolatio, à labore requies, à servitute libertas, à timore securitas, à morte resurrectio, à resurrectione summum plenũ & indeficiens gaudium, ubi Deus dabit nobis seipsum, ita D. Aug. Lib. 2. Confess. cap. 17.

*Cons.* 3. Originem omnis hujus boni, quia *per me, si quis introierit, salvabitur, & ingredietur.* Greg. in Ezech. hom. 13 Ingredietur ad fidem, egredietur ad speciem, & pascua inveniet in æterna satietate. Ingressus & egressus phrasi Hebræâ significat omnia negotia hominjs, juxta illud Psalm. 120. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum,* id est, quidquid egeris, benedicat, & ad felicem exitum deducat. Rogabo Dominum. ut eùm juxta D. Ambrosium sint *bona pascua divina Sacramenta,* Ser. 14. in Ps. 118. sumendo ea, replear omni benedictione.

## MEDITATIO CXXXIV.

## Feria 2. post Dom. 2. post Pascha

### *De bonis Beatorum in genere.*

ASpiciam bona tria, quæ soli mundo nota, opes, voluptates, honores è cælis exclusa, & metaphoricè tantùm in cælis contenta, ad explicandam ineffabilem Beatorum felicitatem. Petam agnoscere hanc veritatem, & magis bona cæli æstimare.

*Cons.* 1.

*Conf.* 1. Quomodo corpus glorioſum ſit ſufficientiſſimum in ſe ipſo: quia cùm reſurgat pro vita ſpirituali, & non animali, non habebit opus bonis externis huius vitæ ad eam ordinatis. Ideo dum eorum fit mentio in altera vita, metaphoricè intelligenda ſunt, quocirca per cibum & potum intelligitur gaudium Beatorum, per divitias ſufficientia Dei, per honores, honor Dei, per nuptias, unio cum Deo: DEVS enim Beato eſt omnia.

*Conf.* 2. Si tanta ſunt bona cœli, ut bona terræ tantùm ſint metaphorica, faciam argumentum ad magis amanda bona cœli vera, quàm amentur bona terræ, quæ tantùm ſunt ficta: v.g. Avaritia quærebat terram poſſidere totam, addam illi & cœlum; ſed plus eſt, qui fecit cœlum & terram. Ingluvies ventris, quid non appetebat etiam pudendum? *O ſtulti*, ait D. Laur. Juſtinianus de Spiritu, & anima, *quia pro unius momenti ſaturanda ingluvie epulas contempſere cæleſtes.* Honor, quò non efferebatur? ſed eum refutat S. Fulgentius in c. 12 Luc. Si in ſeculo hoc datur tanta honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præſtabitur Sanctis diligentibus veritatem?

*Conf.* 3. Verba D. Auguſtini, Serm. 13. de Verb. Dom. *Dicebat Epicurus mihi, frui*

carne

*carne bonum est; dicebat Stoicus, mihi frui meâ mente bonum est; dicebat Apostolus, mihi autem adhærere Deo bonum est. Errat Epicureus, fallitur Stoicus; tunc enim rectè anima vivit, si non secundùm carnem, non secundùm seipsam, sed secundùm Deum vivat: sicut enim anima carnis, ita Deus animæ est vita*: hanc unam petij, & requiram.

## MEDITATIO CXXXV.

## Feria 3. Domin. 2. post Pascha.

### *De bonis Beatorum infallibilibus.*

AVdiam fidelem & oculatum testem de gloria æterna loquentem: *Sicut*, inquit, *scriptum est* Isa. 64. v. 4. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*: Sed tam *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, subdit Apostolus. Petam intelligere ineffabilitatem bonorum cœlestium, & ad ea præparari.

*Cons.* 2. Quomodo status Beatorum non tantùm excludat statum vitæ temporalis, de quo Gregorius hom. 37. in Evang. *Temporalis vita vitæ æternæ comparata Mors est potiùs quàm vita:* juxta illud Apostoli ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sed insuper excludit omnem

statum viatorum, sive hominum in statu innocentiæ, sive Angelorum: Quia is utrorumque fuit naturalis, defectibilis; Beatorum autem est supernaturalis, & æternus. *Quid amas*, inquit Aug. Serm. 64. *in Cœlo? Vivere? hoc habebis. Quid times? mori? non patieris.*

*Conf.* 2. Quomodo gloria Beatorum excedat omnem sensum, & visûs, qui latissimè patet, & auditûs, qui adhuc latiùs patet, quia se extendit ad præterita, & futura: Sed & sensum excedit intellectûs, qui multò latissimè patet, quia se extendit ad possibilia; Beatorum autem gloria excedit omnem fictionem: Quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, &c.

*Conf.* 3. Si gutta boni cœlestis faceret amarum omnem mundum cum omnibus, quæ in eo sunt: si unicum verbum Dei superaret omne melos: si omnis flos odoratissimus inferior esset odore cœlesti: si pulchritudo, gratia, & elegantia cœlestis tanta esset, pro qua videnda ad diem judicij usque, in fornace omnes libenter arderent, dummodo Deum videre possent, quanquam nondum videre mererentur: sed complexus Dei prævi delectationis rumperet corda omnium, quid simile bono huic excogitari posset? Et tamen, inquit Deus Susoni, magis distant

hæc

hæc à me sicut sum, quàm digitus à cœlo octavo: & quidquid sentire amoris potest quis in hac vita, minus est, quàm gutta ad oceanum, si conferatur cum gaudio, quod habent Beati: adeò nondum inventum est, quod conferri possit cum gloria æterna.

## MEDITATIO CXXXVI.

## Feria 4. post Domin. 2. post Pascha.

### *De magnitudine gloriæ Beatorum.*

MEmoriâ repetam petitionem Augustini ad Hieronymum, ut quis ejus esset sensus de cœlo, sibi perscriberet, cúmque interea obijsset Hieronymus, tamen Augustino apparens respondit, faciliùs esse stellas cœli, & arenas maris, & oceani guttas numerare, quàm quid sit gloria cœlestis exprimere. Apud Bessæum Concione de cœlo. Petam intelligere magnitudinem gloriæ Beatorum, & consequi.

*Cons.* 1. Tantam esse vitæ æternæ felicitatem, ut nec ex revelatione divina possit intelligi: quia nec Fides, nec Spes divina eò pertingere potest, juxta Isa. cap. 64. & 1. ad Cor. cap. 2. quæ utraque. quò propiùs ad beatitatem accedit, magis evacuatur, juxta illud Augustini: Quod Deus se amantibus præparavit, nec per fidem potest penetrari, nec per spem attingi: adeó nullo sensu, nullo

lo intellectu, nec humano, nec Angelico, nullâ revelatione, nec fide, nec spe divinâ plenè concipi potest illa pretiosa margarita, denarius diurnus, thesaurus absconditus, hæreditas cœlestis, corona gloriæ, præmium infinitum.

*Cons.* 2. Verba Psalmistæ: *Melior est dies una in atrijs tuis super millia.* Quòd si terrena essent æterna, & cœlestia transitoria, spernenda essent æterna, & millia annorum mundi, cum omnibus suis delicijs, pro una die cœli, propter incomprehensibilem bonorum cœlestium abyssum.

*Cons.* 3. Verba D. Susonis ex Dialogo Sapientiæ: *O si quis justo posset perpendere, & ponderare judicio Tempus, & Æternitatem! mallet ille profectò vel centum annis in ardenti jacere camino, quàm vel minimâ levissimæ afflictionis carere mercede in cœlis æternùm percipiendâ: illud namque finem habet: istud nullo clauditur termino.*

## MEDITATIO CXXXVII.

### Feria 5.

### *Amplius ostenditur magnitudo gloriæ Beatorum.*

ASpiciam illud convivium Regium, cœnam magnam, satietatem cum desiderio,

rio. Fetam eam agnoscere, & gustum ejus augeri in me.

*Cons.* 1, Tantam esse vim gloriæ, ut unica gutta sufficiat, ad æternos ignes inferni extinguendos: quia illam proportionem habet gloria cum pœnis, quam habet gratia cum culpis: sed minimus gradus gratiæ sufficiens est ad delendas infinitas culpas: minima igitur gutta gloriæ sufficit ad annihilandas pœnas inferni perennes. Hanc guttam petierat Epulo. O quid erit ipsa infinita moles gloriæ Beatorum?

*Cons.* 2. Tantam esse gloriæ beatæ vim, ut ejus privatio superet omnes pœnas damnatorum: ita Chrysost hom. 24 in Matth. *Qui in gehenna uritur, & Regnum cælorum prorsus amittit, quæ certè pœna major est, quàm cruciatus flammarum.* Quòd si pœnæ damnatorum imperceptibiles: quia paratę sunt ad torquendos spiritus; quomodo percipi poterit gloria Beatorum, cujus privatio superat pœnas damnatorum.

*Cons.* 3. Magnitudinem gloriæ Beatorum inde agnosci, quia spem nostram implebit omnipotentia Dei, fidem nostram evacuabit sapientia Dei, dilectionem nostram ad perfectum adducet Bonitas Dei, Joan. 14. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis:* quia si per impossibile pœnæ æternæ æternum ferri possent,

possent, & tandem gloria cœli acquiri, ferendæ essent illæ, ut hæc acquiratur quia major est gloria Dei, quàm pœnæ infernii: superexaltat enim misericordia judicium. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Ibi spera, ibi ama.* August. serm. 8. de verb. Dom.

## MEDITATIO CXXXVIII.

## Feria 6. post Domin. 2. post Pascha

### *De Gratia consummata Beatorum.*

ASpiciam Beatos in plenitudine gratiæ, quia gratiæ plenitudo & consummatio est initium beatitudinis. Petam eam melius agnoscere, & assequi.

*Cons.* 3. Quomodo gratia sit qualitas supernaturalis, quam Deus imprimit in anima electi, tam pulchra, ut qui eâ potiuntur, Spiritus creati sint, sicut Deus, maximâ similitudine, quæ dari potest: si enim Deus non esset simplicissimus, totusque substantia pulcherrima, ipsa gratia esset propria pulchritudo Dei. Est hæc gratia amor habitualis tam gratus Deo, ut non possit non amare hominem gratiâ tali præditum, & peccato mortali liberum.

*Cons.* 2. Quia omni esse naturali creato debentur potentiæ ad operandum proportionatæ, infunduntur cum gratia dona Dei omnia, & in Beatis perficiuntur, juxta magnitu-

gnitudinem charitatis. *Quis non contemnat dulcedinem seculi inhians bonis vitæ æternæ.* ait D. Augustt. tom. 3. in sentent.

*Cons.* 3. Tribus modis Deus nobis amabilia cæli bona invisibilia facit. 1. Per similitudinem optimorum visibilium, edentium & bibentium super mensam. 2. Per revelationem & laudationem, *neque in cor hominis ascendit.* 3. Per prægustum, qui est in spiritualibus consolationibus, quibus affecti omnes mundi voluptates rident & contemnunt.

## MEDITATIO CXXXIX.

### Sabbato.

### *De septem gaudijs B. M. Virginis propter bona gratia.*

ASpiciam B. Virginem filiam primogenitam gratiæ septem gaudijs propterea refertam. Petam ea gaudia intelligere, & consequi.

*Cons.* 1. Quomodo gratia in B. Virgine, quia fidem Dei operata est, Divam reddiderit Beatam: *Beata, quæ credidisti:* Idcirco gaudentem præ alijs, quia cognitio rei cùm sit viva similitudo ejus, & vita animæ, affert gaudium majus, quò nobiliora sunt, quæ cognoscuntur: sed B. Virgo res Fidei omnium nobilissimas nobiliore modo agnovit: gavisa igitur præ alijs ex Fide.

2. Gratia in B. Virgine operata est Spem. Actus Spei Christianæ parit maximum gaudium animæ, quia innititur promissionibus infinitè potentis, & boni Dei: propterea, quæ sperantur, sunt quasi præsentia bona, bonum autem præsens parit gaudium majus, quò bonum est melius: sed non dantur majora bona, quàm quæ speramus in cœlis, atqui in Diva fuit Spes major præ alijs propter plures & clariores revleationes à Filio immediatè sibi factas, gavisa igitur præ alijs ex Spe.

3. Gratia in B. Virgine operata est dilectionem Dei Actus amoris causat gaudium cordis, quia applicat animam ad bonum, quod amat, & conjunctio cum bono est delectabilis: & quia amor, in quantum sibi de bono complacet, quasi producit bonum illud, vel perficit, unde res amata est quasi effectus respectu amantis, effectus autem nostri nobis placent. Quare cùm amando Deum, quasi Deo esse demus, & nihil sit nobilius Deo, poteritne gaudium majus esse, quàm in amore Dei? atqui amor Divæ erat continuus etiam dormientis, purus, syncerus, ex immenso habitu charitatis natus, semper multiplicatè crescens; fuit igitur Divæ gaudium ex amore præ alijs.

4. Gratia in B. Virgine prævenit naturam ita ut ejus Conceptio esset immaculata quia

quod privilegium sicut sola Virgo accepit, sic sola Deum de ea quantùm satis gavisa est.

5. Gratia in B. Virgine operata est fomitis extinctionem, qui inclinat ad sensibilia bona, excitat & nutrit in homine inordinatos ardores desideriorum, rationi repugnantes, ideóque peccaminosos: atqui B. Virgo caruit fomite præ omnibus hominibus, igitur præ omnibus gavisa est.

6 Gratia in B. Virgine operata est vitam immaculatam, ut careret omni fœditate peccati omnis, quia *nihil spurcum, ubi Deus est*: ait Gregor. Nazianz. orat. 0. præ omnibus igitur gavisa est.

7. Gratia in B. Virgine operata est omnem actionem virtuosam. Gaudent parentes de pulchro filio, ipsa autem magis de innumeris virtutum actibus perfectissimis totâ vitâ exercitis gavisa est. Petam triplicem gratiam. 1. Vt sim in gratia Dei, ne me oculi Dei unquam videant inimicum Dei. 2. Vt non perdam gratiam Dei, petam impetrari mihi auxilia efficacia Dei 3. Petam verbis & factis meis talem dari efficaciam, ut quam plurimos Deo adducam.

## MEDITATIO CXL.

## Dominica 3. post Pascha.

### *De loco & spatio Corporis Beati.*

ASpiciam immensa Beatorum spatia: quia Apoc. 7. vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat: si nemo numerare turbam, ergo nec mensurare locum, Petam intelligere mansiones cœlestes, & eas consequi.

*Cons.* 1. Cùm cœlum sit Regnum Electorum, decet, ut juxta proportionem gratiæ & gloriæ respondeat unicuique quantitas Regij spatij cœlestis: non enim dubitandum est, quòd omnipotentiæ Deus infinitæ ad divitias gloriæ suæ patefaciendas creaverit Empyrium tam vastum, ut cuivis electo licet minimo spatium cõpetens disposuerit ab aliis distinctum terrâ nostrâ majus quæ comparatione firmamenti punctum est exiguum: nec dubitandum tantò elegantiora esse illa spatia, quò præstat cœlum terrâ, stabulum aulâ regiâ, carcer palatio.

*Cons* 2. Immensa Empyrij spatia in novem distincta globos, & in ijs amplissimas pro unoquoque Angelo & Beato habitationes lucidas, immobiles, incorruptibiles, quarum fundamenta omni lapide pretioso ornata, quarum muri magni & alti ex lapide Jaspide, forti, viridi, transparente, quæ tria significant stabilitatem, amœnitatem, claritatem habitationis. quarum pavimentum est *aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum.*

cidius stellis, lunâ, sole: *nam claritas Dei illuminat* omnia, *& lucerna ejus est agnus.* Templum illius solus est Dominus Deus omnipotens, quò *non intrabit aliquid coinquinatum, nec abominationem faciens, nec mendacium:* quia mundos corde, manu, ore requirit: *qui scripti sunt in libro ... & Agni*, illuc intrabunt, ut *ab erget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Felices lacrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget! *Et mors ultrà non erit* in Patria viventium, non erit *luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt* vitæ mortalis mala, & venerunt bona omnia pariter cum gloria vitæ secundæ beatæ, de qua Ps. 87. *Sicut lætantium omnium habitatio est in ea* Civitate multarum mansionum pro varietate meritorum.

*Cons.* 3. Cùm tota lætitia in habitatione cœlesti oriatur ex Dei totius felicitatis principio: idémque Deus sit in Eychanistia, sequar consilium Augustini dicens: in ps. 147. *Famelici Dei esse debemus*: quia ut idem ait in Psal. 17. *In illa civitate erimus, ubi DEVS panis est.*

## MEDITATIO CXLI.

### Feria 2. post Dom. 3. post Pascha.

### *De Corpore glorioso, impassibili, & claro.*

Videbo corpus glorioſum Angelis ſimil
non quoad naturam, ſed virtutem, &
proprietatem: erit enim impaſſibile & cla-
rum, quæ geminæ dotes illud reddent per-
fectum in eſſe ſuo. juxta Tertullianum: de
Reſurrect. cap. 26. *Caro noſtra in cælis eri*
*Angelicata.* Petam has dotes magis intel-
ligere, earumque fieri particeps.

*Conſ.* 1. Vnam ex dotibus, quæ corpora in
Reſurrectione glorioſa perficiet, fore *impaſ*
ſibilitatem. 1. ad Cor. 15. *Seminatur in cor-*
*ruptione. & ſurget in incorruptione.* Eſt impaſ
ſibilitas, qualitas intrinſecè inhærens cor-
pori Beati, per quam manebit incorrupti-
bile, ſicut cœlum, & ambulabit per aquas, &
ignem ſine ullo nocumento, ſicut Sol; decet
enim Beatos, quorum animæ propter gra-
tiam, & perennem viſionem Dei vivunt vitâ
æternâ, & divinâ, ut habeant corpora impaſ-
ſibilia, immortalia, ſempérque viventia, in
quibus deinceps non regnabit ampliùs pec-
catum. cujus pœna, & ſtipendium eſt mors.
Carebunt igitur omni genere morborum,
omnique diſpoſitione proximâ, propinquâ,
remotâ quę corp' vel leviſſimè poſſet afficere.

*Conſ.* 2. Alteram dotem corporis glorioſi
Claritatem. 1. ad Cor. 15. *Seminatur in igno-*
*bilitate, ſurget in gloria*; decet enim corpora
beata eſſe clariſſima, & quàm lucidiſſima, &
propo-

proportionata sint animæ glorioſæ, quæ lumine & pulchritudine divinâ dotatæ sunt, habent itaque corpora Beatorum pulchritudinem & lucem respondentem gradibus gratiæ; & sicut moritur vile corpus, sic luminosum surget luce internâ plenum, penetrante carnem, nervos, ossa, licet opaca sint; nec tantùm erit lucidum, sed etiam transparens, diaphanum, & simul coloratũ, sicut est vitrum coloratum, quod simul habet colorem, & transparentiam.

*Cons.* 3. Si corpus erit glorioſius, quò in hac vita fuerit patientius; & si clarius, quò nunc fuerit vilius, quid me prohibere poſſit, ut proposito tanto gaudio momentaneam tolerantiam, & contemptum non amplectar?

## MEDITATIO CXLII.

### Feria 3. post Dom. 3. post Pascha.

### *De Corpore glorioſo, agili, & subtili.*

ASpiciam Corpus glorioſum, agile, & subtile, quibus duabus dotibus actiones corporis perficiuntur, ut anima sit expedita ad operandum per illud, quidquid vult. Petam eas dotes intelligere, & consequi.

*Cons.* 1. Tertiam dotem corporis glorioſi Agilitatem, quæ est qualitas motiva super-

naturalis (1. ad Cor. 15. *Seminatur corpus in infirmitate, surget in virtute*) addita qualitati motivæ naturali, dans corpori gravi & debili in motu agilitatem; decet autem animam gratiâ Dominam & Reginam, visione Dei jure beatam, ut habeat plenum dominium supra corpus suum juxta voluntatem ad percurrendum brevi quantumcunque diffusa & distãtia spatia. Quare anima beata primò movebit se ipsam immediatè modo Angelico, uniendo se corpori non solùm ut forma, sed etiam, ut motor; deinde eodem motûs impetu movebit corpus, & reliqua corpora, nec tantùm motu progressivo, & simultaneo, sed insuper velocitati accedet potentia ad movendam & ferendam quantumvis grandem turrim, & montem, denique juxta S. Anselmum poterit Beatus movere, si voluerit, totam molem terræ.

*Conf.* 2. Quartam corporis glorioſi dotem esse subtilitatem, 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* Est subtilitas virtus penetrandi omne corpus sine ejus divisione, & impedimento, sive illa qualitas sit superaddita, sive tantum cõcursus Dei præparatus, ut concurrat ad penetrationem, toties, quoties anima voluerit. Debetur autem hæc dos corpori glorioso propter dominium plenum in corpus proprium,

prium, quod non esset plenum, nisi acquireret simul dominium in omnia reliqua corpora inferiora, quò penetrent aliud corpus, seséque in idem spatium immittant, in quo aliud corpus reperitur, & per illud quantumvis densum sine læsione viam faciat.

*Cons.* 3. Cùm corpus glorioſum futurum sit tantò agilius, quò nunc est modestius, & tantò subtilius, quò nunc est simplicius, spectatâ dote hac geminâ, quomodo possum non esse modestissimus, & simplicissimus.

## MEDITATIO CXLIII.

## Feria 4. post Dom. 3. post Pascha.

### *De Corporis glorioſi aureolis.*

VIdebo præter immarcessibilem gloriæ coronam alias accidentales, quas Aureolas vocant, ex triplici victoria insigni contra inimicos capitales datas Martyribus contra mundum, Doctoribus contra diabolum, Virginibus contra carnem. Petam eas intelligere, & consequi.

*Cons.* 1. Quomodo prærer jucundissimum gaudium de corpore glorioso habeant insuper animæ beatæ Aureolas de actibus heroicis in vita factis, quibus respondent ornamẽta distincta à dotibus Corpornm beatorum, & ex primis esse Aureolam [illegible]

ingens est hæc Aureola: Quia Marryrium non baptizatis loco Baptismi est.

*Cons.* 2. Alteram Aureolam esse Doctorum & Pastorum, propter charitatem & zelum ingentem, vnde audient illud Ps. 20. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso:* & Dan. 12. *Qui autem docti fuerint* (activè sumendum, id est, Doctores Fidei, pietatis, bonorum morum, exemplóque suo præiverint) *fulgebunt quasi splendor firmamenti: Et qui ad justitiam erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sunt alijs alia, sed nullis talia* S. Aug. lib. de Virg. cap. 27.

*Cons* 3. Aureolam Virginum, quæ decem titulis honorantur, Apoc. 14. 1. Quòd cum Agno stent supra Montem Sion. 2. Quòd habeant nomen Agni, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. 3. Quòd sint citharœdi Dei, vttonitrua sonori. 4. Quòd soli cantent canticum novum coram throno Dei, & quatuor animalibus, & 24. senioribus. 5. Quòd empti de terra, 6. Quòd incoinquinati. 7. Quòd sequantur agnum quocunque ierit. 8. Quòd sint primitiæ Deo & Agno. 9. Quòd in ore illorum non sit inventum mendacium. 10. Quòd sine macula sint ante thronũ Dei. Detestabor, quidquid repugnat puritati operis, oris, cordis; optabo Spiri-

tum

tum ad docendum alios exemplo, & verbo, & gratiam patiendi.

## MEDITATIO CXLIV.

### Feria 5. post Dom. 3. post. Paschæ.

### *De Corpore quoad sensus externos glorioso.*

INtuebor, quomodo gloria Beatorum *erit speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos desiderabilis tactui,* ut ait S. Bernard. Serm, de Omn. SS. Petam intelligere præmia sensuum externorum, & consequi.

*Cons.* 1. Corpus glorioſum in potentia sensuum, qui juxta D. Thom: omnes erunt in suo actu, id est, cum suis operationibus: Quia sic erunt magis perfecti, quod decet statum glorioſum; si enim anima quoad intellectū beata erit fruitione Dei, etiam quoad sensum beata erit in delectatione objectorū sensibilium proportionatorum, ita ut quemadmodum in sensibus gravissimè punientur damnati, sic in eisdē ineffabiliter præmiabuntur Beati. Erit igitur corpus glorioſum in visu; habebit enim oculus corporalis Beati suam felicitatem in visu omnium corporum Beatorum, & imprimis Immaculatæ Matris Dei & Virginis, sed super omnia in Humanitate Sacrosancta Christi. Comparebunt ibi

corpora glorioſa, quaſi totidem Soles, imò Sole luminoſiores, ideóque viſum ineffabiliter delectabunt. Videbunt etiam omnia alia objecta, ſive cœlos materiales, ſive elementa omnia renovata, & poterunt ea videre in omni diſtantia.

*Conſ.* 2. Corpus glorioſum in odoratu, habebit enim hic ſenſus felicitatem ſuam in ſuavitate odoris, qui exhalabit è corporibus Beatorum, atque anhelitu odoroſiſſimo, & ſuper omnia ex Corpore Chriſti. Omnes erunt velut quoddam incẽſum ſemper plenum ſuaviſſimorum aromatũ ad delectandum odoratum Beatorum. Nec tantùm corpora glorioſa, ſed totum cœleſte ædificium ſpirabit odores, & fragrantiam ſuaviſſimam gloriæ Sanctorum, & plenæ felicitati.

*Conſ.* 3. Corpus glorioſum in potentia guſtûs, quæ habebit etiam felicitatẽ ſuam in objecto ſibi proportionato ſaporis, & potietur ſuaviſſimo ſemper cum voluptate liquore omnem ſaporem continente; non enim ille erit guſtus, ut eſt ſenſus alimenti, ſed ut eſt judicium ſaporis, ut gaudeant ſapore.

*Conſ.* 4. Corpus glorioſum in ſenſu tactûs, qui tam latè patet ſicut viſus. Gaudebit tactus ſuper omnia in Humanitate Chriſti oſculando vulnera ejus, Luc. 24. *Palpate, & videte*

*videte*; quòd si Sancti in terris senserunt in osculis Christi fragrantiam, & suavitatem ineffabilem, qualis erit in cœlis Beatorum? Adde, quòd Sancti se amplexabuntur castissimè, quia erunt ut Angeli Dei.

*Cons.* 5. Corpus glorioſum in ſenſu auditûs, ut voce ſpirituali & corporali laudabit Deum, ſuaviſſimâ muſicâ cœleſtis chori, ſed ſuper omnia vocis Chriſti harmoniâ, quam edet his verbis: *Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum paratum vobis ab origine mundi:* Benedicti per gratiæ adoptionem: paratum per æternam prædeſtinationem, ait Bonavent. in dicta ſalut. Tom. 2, & reſpondebit totus chorus Sanctorum Pauli Canticum: *Regi ſeculorum immortali, & inviſibili ſoli Deo honor, & gloria* Si erunt ſenſus externi in cœlis beatiores, quò magis fuerint mortificati in terris: quis me continebit ab omnimoda ſenſuum externorum mortificatione.

## MEDITATIO CXLV.

## Feria 6. poſt Domin. 3. poſt Paſcha.

### *De Corporis glorioſi potentijs internis Beatis.*

ASpiciam Corpus glorioſum, quo Beati omnibus potentijs ſenſitivis exultant in Deum, juxta illud Pſal. 87. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Petam agnoſcere

ſenſuum

sensuum internorum felicitatem in beatis, eámque consequi.

*Conf.* 1. Corpus glorioſum in potentijs ſenſitivis internis: Decet enim & ſenſus internus eſſe in perfectione ultima, & in actu ſecundo. Imaginationem, & apoetitum ſenſitivum, ut non ſolùm delectetur in objectis à ſenſibus perceptis, ſed multò magis in apprehenſione Dei ſub formis ſenſibilibus immenſæ claritatis, & infinitæ dulcedinis, juxta illud: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, quiſque juxta ſuam capacitatem. Præterea habebit appetitus ſenſitivus ingentem delectationem deductam ex conjunctæ voluntatis redundantia.

*Conf.* 2. Corpus glorioſum puriſſimum in affectu; Sic enim erit anima conjuncta corpori, ſicut ſeparata, nihil nocumenti recipiens, vel impedimenti: cùm autem ſeparata futura ſit, ſicut Angeli incapax affectûs carnalis, ſic erit etiam in corpore. Adde, quòd gaudium de Deo in ſenſu appetitûs, quia ſufficientiſſimum eſt, & omnia alia in ſe perfectè continet, nullum aliud admittet: O quid erit *videre Sanctos, eſſe cum Sanctis: & eſſe Sanctum* D. Aug. in Pſ. 26.

*Conf.* 3. Corpus glorioſum globos cœleſtes perambulans quinque argumenta lætitiæ incredibilis percepturum, 1. Ex loci amœ-

amœnitate, quam possident. 2. Ex jucunda societate, in qua regnant. 3. Ex corporis glorificatione, quam habent. 4. Ex mundo, quem contempserunt. 5. Ex inferno, quem evaserunt. Si sensus interni corporis glorioſi eò erunt glorioſiores, quò magis in terra fuerint mortificati, vel quo eorum tyrannidem fortiùs & patientiùs subegerimus, quis nolit eos subigere.

## MEDITATIO CXLVI.

### Sabbato post Domin. 3. Paschæ.

### *De septem gaudijs Corporis glorioſi B. Virginis.*

ASpiciam eas, quæ Corpori glorioſo debentur dotes. Petam intelligere quomodo ijs B. Virgo fuerit magis dotata.

*Conſ.* 1. Quomodo magis debeatur Impassibilitas B. Virgini: Quia fuit sine omni labe semper.

2. Magis Ei debetur Claritas: quia plura tulit adversa, & quia est Mater DEI.

3. Magis Ei debetur Agilitas, & Subtilitas; quia est Domina omnium, etiam Angelorũ.

4. Major Ei debetur locus & spatium: quia est Regina cœli, & universi.

5. Majores Ei debentur Aureolæ: quia est Regina Martyrum, Regina Confessorum, Regina Virginum.

6. Majoꝛ

6. Major Ei debetur sensuum externorum gloria: quia omnes modestiâ superavit.

7. Major Ei debetur phantasiæ, intellectus, memoriæ, voluntatis beatitas: quia, si DEVS erit omnia in omnibus, magis id erit in ea, de qua carnem assumpsit: & quia majori gratiæ major succedit gloria. O quantum sentio desiderium veniendi ad cœlum, ut tam pulchram DEI Matrem videam! O quàm confundor, quòd pro tam vilibus rebus patiar mihi eripi visionem Divæ! O execrabiles abusus sensuum, & potentiarum mearum, undè propter momentaneas delectationes æterna mihi damna infero! Renovabo propter aureolas illas vota (si quæ habeo) Mortificationem carnis, decreta patiendi, zelandi salutem animarum: quia hæc tria mihi dabunt majorem in cœlis gloriam.

## MEDITATIO CXLVII.

### Dominica 4. post Pascha.

### *De Gloria Animæ beatæ.*

COncipiam animo beatitatem, quam debet facere id, quod melius est, & ad quam duo requiruntur, juxta illud August. l. 13. de Trinit. c. 5 *Beatus est, qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult.* Petam agnoscere felicitatem meam, & consequi.

Consi-

*Cons.* 1. Quòd felix propriè dicatur, qui habet in potestate sua bonum majus, quod haberi potest, & meliore modo, quo haberi potest: atqui non datur majus bonum, quàm sit DEVS summum bonum, & omne bonum, nec datur melior modus eum possidendi, quàm per cognitionem, intellectū, & visionem: quia perfecta possessio rei est usus ejus, sed usus semper fit per cognitionem, quod experimur in materialibus, & sensibilibus, quorum usum habere non possumus, nisi per cognitionem, quam de ijs acquirunt sensus externi, visus, auditus, gustus, tactus, coloratus: DEVS autem, cùm sit bonum spirituale, neque per sensus possideri queat, possidetur per cognitionem intellectûs, cui se dabit per visionem suam, atque ita hominem faciet beatum, primò, quia post esse nostrum nihil habemus melius vitâ, nec quidquam est melius vitâ, quàm cognitio, nec datur cognitio melior, quàm sit visio DEI, qui est ens à se intellectivum.

*Cons.* 2. Quomodo DEVS faciat hominem beatum per lumen Gloriæ, quod comitatur visionem DEI: Sicut enim lux pandit oculis res coloratas, quæ sine lucis ope videri non possint, sic qualitas lumen gloriæ dicta, quam Deus producit in intellectu beato, pandit infinitam lucem divinæ essentiæ

beato,

beato, sicut acumen ferri totum ferrum promovet in durissimum robur: vel sicut acumen intellectûs naturalis inducit ad veritates intelligendas, ut sunt: sic lumen gloriæ elevat intellectum, ut penetret usque ad esse Dei. Deus est lux infinita, omnem faculam intellectûs creati extinguens: cùm ergo debeat esse proportio inter objectum, & potentiam, Deus luce supernaturali in Beati intellectu productâ attemperat lucem suam increatam. O quantæ potentiæ lux hæc est, quæ invisibilem Deum facit visibilem, & dat possessionem Dei solo visu, sicut lux solo visu possidetur. Si visio clara Dei beatum facit in cœlo, visio obscura per fidem beatum faciet in terra. Illi beati videndo, nos beati credendo, & si, ut ait Augustin. tr. 13. in Joan. *Deus tibi totum est*, magis nobis jam in Venerabili totum est.

*Conf.* 3. Laudabo Dominum ob largitatem, 1. quâ Justi accipient gloriam corporis, & animæ, & utriusque partis perfectione cumulabuntur. 2. Quia certos & securos eos reddet de non amittenda in æternum felicitate. 3. Quia videbunt sibi omnia conversa in bonum, mala & bona, propria & aliena. 4. Quia gaudent de felicitate aliorũ, ac de sua, unde tam multipliciter lætantur, quàm multiplex est bonorum felicitas. 5.

Quia

Quia gaudent, se diligi à Deo, & de bonis Dei, nihilque aliud noverunt, nisi intueri, amare, & gaudere.

## MEDITATIO CXLVIII.

## Feria 2. post Domin. 4. post Pascha

### *De consequentibus visionem beatam.*

SIcut præsente Sole omnia pulcherrimè colorantûr, sic viso DEO inquit D. Greg. l. 4. dialog. c. 33. *Quid est, quòd non videant, qui videntem, omnia vident.* Petam hoc bonum intelligere, & consequi.

*Cons. 1.* Quomodo Beatis vitaliter repræsentabitur DEVS, & omnia, quæ sunt in DEO, & à DEO: ita, ut quidquid in DEO est, totum in Beato repræsentetur, & quidem primò gloriosa essentia DEI cum perfectionibus intrinsecis infinitis, infinitè perfectis, quòd sit à se independenter, quòd in se contineat omnem perfectionem, quòd per se producat omnem creaturam: sed imprimis videbunt mysterium SS. Trinitatis, sicut est.

*Cons. 2.* Quomodo in Beato repræsentabitur gloria extrinseca DEI, altera beatæ visionis pars: videbunt enim DEVM agnosci, amari, honorari ab omnibus, sed super omnia ab Humanitate Christi, deinde à SS. DEI Matre, tum ab Angelis, & Sanctis omnibus

mnibus: denique videbunt in Beatis æternam DEI misericordiam, in damnatis æternam DEI Justitiam.

*Conf.* 3. Quomodo in Beato, repræsentabitur propria gloria Beati: quia habebit omnem scientiam naturalem, perfectam cognitionem ultimarum differẽiarum omniũ historiarum, omnium temporum, [illegible] nibus circumstantijs, scientiam omnium animalium, omniſque creaturæ. Et cum virtutibus intellectualibus habebit omnes morales, naturales, præterea omnes supernaturales intellectuales, & morales, insuper omnium articulorum fidei evidentiã. Omnis hæc cognitio repræsentabit in Beato hæc tria judicia Intellectùs: 1. Quòd DEVS sit primum principium, à quo res omnes pendent. 2. Quòd DEVS sit ultimus finis, ad quem omnia referri debent. 3. Quòd DEVS sit summum, & infinitum bonum, super omnia amabilis. Respondent his actibus intellectus tres actus voluntatis. 1. Accipere de manu Dei omnia. 2. Referre ad DEVM omnia tanquam ad finem. 3. Amare Deum actualiter super omnia. O quando veniam, & apparebo ante faciem tuam! Psal.

## MEDITATIO CXLIX.

### Feria 3. post Domin. 4. post Pascha.

### *De Beatorum ardenti amore* DEI.

COncipiam incendium immensum amoris DEI, proportionatum immensæ luci gloriæ Beatorum. Petam dilectionem Beatorum agnoscere, & consequi.

*Cons.* 1. Quomodo Beati Vivant vitam amatoriam; nam ut ait Aug. in Ps. 91. *Si amamus, quem non videmus, quomodo amaturi sumus, cùm videbimus?* cùm enim bonum agnitum pulchrum & utile amorem sui generet, eò majorem, quò bonum est melius, pulchrius, & utilius, & Beati Deum videndo videant infinitum bonum, infinitum pulchrũ, infinitum utile, habeántque infinitas rationes alias eum amandi, amant Deum ex toto, & sciunt se amare. sempérque amaturos; unde eliciunt amorem complacentiæ tam appretiativum, ut malint carere fruitione Dei, quàm in minimo à voluntate Dei deviare. Hic amor est excellentiæ insinuatus. Apoc. 4. quando mittunt coronas suas ante thronum Dei; qua voluntate (dum esse Deum volunt, qui est) si esset efficax, æquarent Deum; quia redderẽt, quod receperunt, acceperunt Deum à Deo, redderent Deum Deo,

*Cons.* 2.

*Cons.* 2. Quomodo Deum ament amore beneficentiæ: quia perfectio amoris est in opere, & effectu, ideo quidquid agunt, totũ ad finem ordinant gloriæ Dei, pro hac unicè petunt, quod insinuatur Apoc. 6. *Vindica Domine*, &c. destrue peccatum, ut salvetur peccator.

*Cons.* 3. Quomodo ament Deum deificatè sine fine: quia talis quisque est, qualis est ejus amor, eo modo, quo res à luce dicitur lucida, vel repercussione Solis in nube alter Sol videtur. Et quia sicut Deus respectu nostri est invisibilis, sic respectu Beatorum dicitur inhabitare Deus caliginem, quia est incomprehensibilis: hinc sequitur, quòd sit semper ampliùs amabilis, adeóque Deum amanter toto, semper, & ampliùs, sine fine. Disquirã quàm appretiativè, quàm zelosè, & quàm constanter in amore Dei crescam.

## MEDITATIO CL.

### Feria 4. Domin. 4 post Paschã.

### *De Beatorum gaudio immenso de* DEO.

VIdebo felicissimum amoris partum, et visione & amore Dei progenitum gaudium, ab immenso DEO implente omnes gaudio, ita ut non totum gaudium intret in gaudentes, sed toti gaudentes intrent in gaudium

dium, tanquam majus. Petam illud intelligere, & consequi.

*Cons.* 1. Quomobo gaudium sit vitalis operatio voluntatis, complacentis sibi in re possessa: ut si mel dulcedinis infinitæ uniretur palato, haberet gustum quasi infinitum, atqui Deus est infinities dulcior, cujus dulcedinem non tantùm sciunt, amant, aut desiderant, sed experimentaliter eâdem gaudēt. Et quidem primò de gloria intrinseca Dei; & quia magis Deum amant, quàm se, magis gaudent de perfectionibus Dei, quàm suis. Deinde gaudent de gloria extrinseca Dei, per Christum Deo exhibita, & B. Virginem, & omnes Sanctos. Aug. l. 1. de Trin. ait: *Hoc est plenum gaudium, quo amplius non est, frui Deo, Trinitate, ad cujus imaginem facti sumus.*

*Cons.* 2. Quomodo Beati gaudebunt de gloria propria, quam habent in anima, in corpore; quòd sint liberi ab omni culpa, & pœna, quòd evaserint damnationem æternā, quòd repleti omni bono æternum. juxta illud Joan. 16. *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, gaudium invariabile, inamissibile, inauferibile: quia pendebit non à creatura, sed à Deo, qui fecit jusjurandum daturum se nobis per gratiam, per gloriam.

*Cons* 3. Quomodo gaudebunt de gloria cujusque Sancti, sicut de sua: quia hæc est lex chari-

charitatis in cœlis, gaudere de bonis alterius sicut de suis. D. Anselmus ait: *Si cor hominis vix capit gaudium suum, quomodo capax erit tui, & tantorum gaudiorum?* Tantum ergo crescent gaudia in Beatis, quantùm crescet numerus Beatorum, quanta erunt gaudia Beatorum: sunt autem gaudia Beatorum tam magna, ut non possint mensurari: tam multa, ut non possint numerari: tam copiosa, ut non possint finiri: tam pretiosa, ut non possint æstimari. O quantum erit hoc gaudium, quod erit immensurabile, innumerabile, infinitum, inæstimabile! & quia majus Beatorum gaudium in cœlis oritur ex majori abstinentia gaudiorum in terris, resolvam me ad eam. O *gaudium super omne gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium!* Augustin. Soliloq. c. 32.

## Meditatio CLI.

### Feria 5. Dom. 4. post Paschæ.

*De Beatorum infinita laude DEI.*

ASpiciam os Beati cujusque, sicut citharam chordarum innumerabilium, mirâ & incogitabilis suavitatis laudantium Deum: est enim effectus gaudij infinita laus Dei. Pulchra eam intelligere, & consequi.

*Cons.* 1. Cùm major laus procedat ex majori amore, & gaudio, quod habetur de per-

sona, & ejus rebus, & Beati nimio fervore charitatis, nimiáque delectatione Dei repleti sunt, infinite Deum laudant, confitentur, quoniam bonus, & jubilant primò propter Deum, ut est in semetipso, voce magnâ, non clamoris, sed amoris, illud trisagium concinentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Duplex est laus Dei, increata, essentialis, & notionalis, Dei, & personarum Dei, Altera creata laudantium Dei, quanta cuique facultas est, Christi, B. Virginis, Sanctorúmque omnium, cum quibus laudes meas uniam, optans Deũ ab omni creatura laudari, sæpe repetendo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; Sicut erat in principio;* hìc uniam omnem laudem creatam increatæ.

*Cons.* 2. Alteram causam laudis infinitæ Dei pro beneficio creationis. Apoc. 4. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creâsti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Dignus es Domine, ut omnes, tam Angeli, quam homines, Majestatem tuam prædicẽt; dignus, ut omnium ore omnes omni cultu, ac reverentiâ prosequantur laudem tuæ immensæ potentiæ, & fortitudinis, cui omnes existentiam suam debent.

*Cons.* 3. Tertiam causam laudis infinitæ Dei, pro beneficio Redemptionis, Apoc. 5.

*Dignus es Domine, &c. quoniam occisus es; & redemisti nos sanguine tuo.* Vox, *quoniam* significat causam meritoriam: Christus enim merito passionis & Mortis suæ accepit à Deo potestatem eligendi ex omni tribu, quos vellet, ad gratiam, & gloriam: cum quibus & nostras voces admitti deprecabor. Quæ laus, cùm sit pręmium Sanctorum, nolo æstimare laudem humanam, nec in ea delectari, sed in solo Deo, & laude, quam daturus est, *juxta illud* 1. ad Cor. c. 4. *Tunc laus erit unicuiq; à Deo.*

## MEDITATIO CLII.

## Feria 6. Domin. 4. post Paschá.

### *De Beatorum æterna gratiarum actione.*

AVdiam Beatorum actionem æternâ gratiarum, ob beneficia naturæ, gratiæ, dilectiones gratiarum fiunt hìc, ibi actiones ex toto. Petam eas intelligere, & consequi.

*Cons.* 1. Quomodo virtus gratitudinis sita sit in agnitione, memoria, & æstimatione beneficiorum digna. 2. In gratiarum actione. 3. In compensatione: & hæc gratitudo tunc vera est, quando quis agnoscit se indignum donorum omnium: atqui Beati agnoscunt omnia se habere per Christum.

*Cons.* 2. Quomodo sint grati pro beneficijs cõmunibus, Creationis, Redemptionis, Remu-

Remunerationis: particularibus, præteritis, exspectatione ad pœnitentiâ, justificatione, conservatione in gratia: præsentibus, gloria æterna. Si quis me ex ægro sanum, ex paupere divitem, vili honoratum, misero felicem effeciſſet, nónne dicerem: Si oblitus fuero tanti beneficij, oblivioni detur dextera mea: & si non ero memor beneficij in principio lætitiæ meæ adhæreat lingua mea faucibus meis: quid est ex non esse ad esse deduci, & quidem beatum esse.

*Cons.* 3. Quomodo ingratitudo è contrario sita sit. 1. In non compensatione. 2. Nec gratiarum actione. 3. Nec agnitione beneficij. Disquiram, ubi deliquerim, & contra ingratitudinem tanquam spiritum diaboli, ut loquitur S. Brigitta *l.* 2. *c.* 17. me armabo, propter quam DEVS peccata permittit, lib. 4. cap. 39.

## MEDITATIO CLIII.

## Sabbato post Dom. 4. post Pascha.

### *De septem gaudijs animæ gloriosæ B. Virginis.*

VIdebo felices, ita dictos, quòd magnum bonum stabiliter obtineãt: Felicissimos, quòd omne bonum possideant sine fine: quod Deus est, in quo omnis ratio boni invenitur, & hoc bonum possedit B. Virgo me-

liore modo. Petam intelligere gloriàm B. Virginis, & pro modo eonsequi.

*Cons.* 1. Gaudium B. Virginis, visionem Dei, quæ est præmium amoris, atqui nemo fuit par amore B. Virgini, nemo igitur magis participat visionem Dei, quàm Diva.

2. Ex magnitudine gratiæ ortam, quia nemo fuit æqualis gratiâ B. Virgini Matri Dei, si igitur alij Sancti & Angeli pro magnitudine gratiæ Deum vident, magis *Diva* incomparabiliter.

3. Ex magnitudine cognitionis B. Virginis, quâ superavit omnem intelligentiam: si igitur major Dei cognitio generat majorẽ *ejus* amorem, & iste meritum, & hoc visionem, ô qualis fuerit Oceanus gaudiorum B. Virginis ex immensa cognitione Dei.

4. Ex intellectu revelationum de possibilibus, quæ cùm sint infinita, propter Dei potentiam, infinitam, & beatioribus plura sine fine revelentur, & Diva sit omnium beatissima, ô qualis abyssus gaudiorum hinc progerminabit.

5. Ex gaudijs DEI increatis, & Christi creatis, atque increatis, Angelorum, & Sanctorum omnium.

6. Ex laude simili increata Dei, & creata Beatorum omnium.

7. Ex gratiarum actione, quæ ab ijsdem primo

principijs derivatur. Cùm certus de fide sim, quòd visio beata Dei non obtineatur, nisi amore Dei, & quòd eadem visio sit præmium amantis Deum, & quòd amare Deum nequeat ullus, nisi ante cognoscat; posśumne in alia re occupari, quàm in consideratione Dei? posśumne aliud, quàm Deum amare? Certè si depellendæ miseriæ, & acquirendæ beatitudinis causâ faciunt omnes homines, quidquid vel boni, vel mali faciunt; & beatitudo mea sita sit in Deo solo, resolvam me ad hunc unicè quærendum in omnibus, semper, & ampliùs, donec invenero, & fruitus fuero. *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si gehennam ipsam parvo tempore tollerare, ut Christum videre digni essemus venientem in gloria, & Sanctorum ejus numero sociari, nónne erat dignum pati omne, quod triste est?* Ita D. Augusł. Serm. 2. de omnibus Sanctis.

## MEDITATIO. CLIV.

## Dominica 5. post Paschæ.

### *De dono Orationis.*

ASpiciam Dominum liberalissimum dare volentem, quidquid petierimus. Petam cum Apostolis: *Domine, doce nos orare*, Luc. 11.

*Cons.* 1. Ineffabilem Domini erga nos benignitatẽ, ut loquitur Petrus Chrysol: Serm.

70. *Supplicandi normam ipse tibi, qui exornandus est, indulsit ad amoris indicium,* Rex ipse functus est officio advocati, ut preces, quibus responsurus erat, ipse dictaret, juxta illud ad Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.*

*Cons.* 2. Præstantiam orationis Dominicæ ab Augustino explicatam Ep. 121. ad Probam, c. 12. Si omnium sanctarum precationum verba transeamus, quantum æstimo, non invenias, quod ista oratio Dominica non contineat. Vnde nihil aliud petere licet à Domino, quàm quòd istâ oratione comprehenditur, quamvis ipsa eadem etiam alijs verbis liceat postulare.

*Cons.* 3. Septenum esse gaudium nostrum à Deo, quod ut sit plenum petere debemus. 1. Est agnitio Dei, eiusque perfectionum. 2. Præsentia ejus in cœlo. 3. Præsentia ejus in terra. 4. præsentia ejus in unione ejus cum Verbo. 5. Præsentia ejus in Ecclesia, quam jure naturæ, rationis, & gratiæ regit. 6. Præsentia ejus in proximis meis, præsertim Sanctis suis, quos tam mirabiliter illuminat, & inflammat. 7. Præsentia ejus in me remittens peccata, emendans vitam, Spe vitæ æternæ me ditans. Hæc sunt initia gaudiorum, roganduſque Deus est. ut gaudium nostrum sit plenum, ut Spes fiat res, Fides fiat species.

*Cons.* 4. Verba D. Basilij; *Duo sunt orandi modi,*

*modi, unus laudis cum humilitate, secundus petitionis, ab illo autem priori exordium sumendum est:* Atqui Eucharistia est Laus Dei, ab ejus igitur Communione incipiam, memor moniti D. Ambr. in c. 11. Luc. *Quis nobis amicior, quàm qui pro nobis Corpus suum tradidit?*

## MEDITATIO CLV.

## Feria 2. Domin. 5. post Pascha.

### *Qui sint tres panes petendi.*

AVdiam Dominum loquentem: *Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aùt si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem?* Petam intelligere verba Domini, & juxta ea orare.

*Cons.* 1. Quomodo Dominus per piscem intelligat Fidem Dei: ut enim piscis sub aquis nascitur, sic Fides per Baptismum invisibili gratiâ consecratur in homine, invisibili auxilio Dei nutritur, & invisibilium præmiorũ intuitu operatur, & mundi fluctibus circumjactata non frangitur: per serpentem autem intelligit Dominus infidelitatem, quam serpens primus homini inspiravit.

*Cons.* 2. Quomodo Dominus per ovum intelligat Spem promissionum Dei: ovum enim nondum perfectus fœtus, sed speratur: per scorpionem autem desperationem: quia

scorpionis aculeus venenatus retro timendus est. Contrarium Spei est retro respicere: Spes enim in illa, quæ ante sunt, se extendit.

*Cons.* 3. Quomodo per Panem Dominus intelligat Charitatem, sine qua cætera nihil sunt, ut sine Pane mensa inops: per lapidem autem cordis duritiam indicari. Petam a SS. Trinitate liberari a serpente, scorpione, & lapide, & frui Fide, Spe, & Charitate.

## MEDITATIO CLVI.

## Fer. 3. Domin. 5. post Pascha.

### *Quomodo petendum sit, & quid.*

VIdebo tot petentes, & tam multos non impetrantes, respondente Jacobo c. 4. *Petitis, & non accipitis, ed, quòd malè petatis.* Petam intelligere quid, & quomodo orare debeam.

*Cons.* 1. Quomodo nos omnium simus pauperrimi homines, quia natura providit brutis victum, vestitum, arma, stabula, quietem, quorum nihil homini datum: Et è contrario, quomodo simus omnium ditissimi, quia quidquid petierimus, nobis promittit DEVS.

*Cons.* 2. Quidnam petendum sit: ad quod respondet Aug. hic docens, quomodo orandum, ut gaudium nostrum impleatur: *Plenum*, inquit, *erit gaudium, quando tantum*

*erit*

*erit, ut ei non sit aliquid addendum. Quidquid petitur ad hoc gaudium cõsequendum pertinens, hoc in Christi nomine petendum, quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: Quia in tanta rei comparatione nihil est.* Ita August. in cap. 16. Joann.

*Cons,* 3. Ad tria reduci posse, quæcunque petuntur. 1. Est nihil, id est, peccaminosa, & hæc petere non licet. 2. Quæ ad gratiam, & gloriam pertinent, & hæc unicè & absolutè petenda. 3. Indifferentia: & hæc sub conditione petenda: quia nescimus, quid nobis expediat. *Non impetrant aliqui, quia non petunt expedientia, vel quia indigni sunt, vel quia pro indignis,* inquit Chrysost. Iterabo petitionem Christi ad Patrem, Joan. 17. ut non sim de hoc mundo, ut server à malo, ut sanctificer in veritate, ut unum sim cum Deo per gratiam, ut consummer in unum per gloriam.

## MEDITATIO CLVII.

### Feria 4. Domin. 5. post Paschæ.

### *Supplex libellus ad Christum.*

AUdiam Dominum orantem pro suis, ut unum sint Fide, Charitate, Pace, Sermone, Sanctitate, bonâ Voluntate, ita Interlin: in c. 17. Joan. *Nil ditius bonâ voluntate,* ait Guarricus Serm. 4. Nat. D. Petam intelligere,

quomodo unicè opus sit bonâ voluntate, eâmque consequi.

*Cons.* 1. Tam magnam esse libertatem hominis, ut non possit ad bonum cogi, nec à dæmone, quo nihil pejus, & fortius, sicut in Jobo patet, nec à Christo Deo, & Domino, quo nihil melius, nec potentius, ut, apparet in Juda, & Judæis. Causam dat Chrys. in illud: *Oportet hæreses esse. Deus non adigit vi, neque cogit invitos:* & ratio est, quia *liberalitas* virtus ab amore procedens fuisset ablata: si Christus cogeret: quod enim quis debet: non dicitur facere libenter.

*Cons.* 2. Quomodo Augustinus lib. 11. de Civ. Dei c. 6. & 7. quærat causam efficientem voluntatis malæ, nec inveniat, nisi ipsam voluntatem deficientem: nam quid est, quod duo æqualiter affecti animo, & corpore, videant aliquid amabile, quo viso, unus eorum ad illicitum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret? ambos enim animo & corpore æqualiter affectos prædiximus: an alterum occulta maligni Spiritus suggestio tentatum vicit? sed ponimus æqualiter utrumque tentatum. Quid aliud apparet, nisi unum voluisse alterum à Charitate deficere noluisse: Sicut igitur tenebras & silentium non in specie, sed in speciei privatione noscimus, sic malam voluntatem à defectione

fectione voluntaria oriri fatemur. Quod idem docet Chrysostomus loco citato. In nobis est gratiam Dei conservare, vel destruere. 1, Si cœlestia contemplamur. 2. Si ad seculariа declinamur

*Cons.* 3. Non posse melius me petere à Christo, quàm bonam voluntatem, pro qua supplicem libellum formabo ex capite 17. Joan. ubi idem Christus petit pro nobis.

## MEDITATIO CLVIII.

## Feria 5. Dominicæ 5. post Pascha,

### *De Ascensione Domini.*

VIdebo Dominum in Mõte Oliveti quinta Maij Angelis & hominibus inspectantibus plus quàm quingentis, 1. ad Cor. 15. datâ benedictione facie ad occidentem versâ teste Adrichomio in meridie sublevatum, & vi propriâ in cœlos illatum, ubi partem ovium dextram primus Agnus obtinet, ut ait D. Ambros. serm. 60. Petam agnoscere gloriam consummatam Christi, eâmque cum immaculato grege, visione consequi.

*Cons.* 1. Verba D. August. in Ps. 54. *Vespere, manè, & meridie narrabo: Vespere Dominus in Cruce, manè in Resurrectione, meridie in Ascensione, & narrabo Vespere patientiam Morientis, annuntiabo manè vitam Resurgentis, orabo ut exaudias meridie sedens ad dexte-*

*ram Patris*, & nostra tecum pectora in Cœlum trahas.

*Cons.* 2. Beneficia Humanitati Christi facta. 1. Esse divini Verbi, Filij Dei naturalis, veri Dei, æqualitatem cum Patre & Spiritu sancto secundùm divinitatem. 2. Secundùm gratiam Capitis Angelorum, & hominum, quos ut Caput dirigit, & in quos vim adoperandum influit. 3. Dignitatem Regis totius Universi, & Sacerdotjs, secundùm Ordinem Melchisedech, qui obtulit Panem & Vinum. 4. Gratiam habitualem in genere gratiæ infinitam, qua esset gratus Patri magis, quàm B. Virgo; Angeli, & omnes Sancti simul sumpti. 5. Omnes Virtutes, & omnia dona, & omnes gratias gratis datas. 6. Scientiam beatam, qua novit omnia, quæ sunt, fuerũt, & erunt: scientiam quoque infusam, & experimentalem. 7. Omnem potestatem in cælo, & in terra, & quòd tam admiranda operetur. 8. Quòd tanta in vita sua sanctissima operaretur, & patefieret pro me. 9. Quòd resurrexerit, in altum ascenderit, ad dextram Patris sederit. 10. Quòd ibi ut Rex magnus & potens omnia gubernet, ac sensim suos carpat, & ad se colligat. Gratulabor Domino meo hanc decadem beneficiorum.

*Cons.* 2. Sex modos Christum sequendi in cœlum. 1. Porrectione manûs, *Ps.* 133. *Ex-*

*tollite*

*tollite manus vestras in Sancta.* 2. Per scalam Præceptorum ejus. 3. Saltu, ad quem requiritur depositio oneris, inclinatio corporis, & terræ calcatio, seu mortificatio carnis, humiliatio Spiritûs, contemptus mundi. 4. Cursu affectuum virtuosorum. 5. Volatu columbæ, aquilæ, phœnicis, seu contemplatione altiore. 6. Incorporatione, quòd petijt Christus, ut unum sint: & Paulus ait: *Vos estis Corpus Christi*, cui incorporabor usu Sanctissimæ Eucharistiæ, optando eam recipere, ut pater cœlestis Christũ cœlos primũ intrantem, & me solabor verbis S. Chrysostomi hom. 45. in Joan. *Vt serra nobis cœlum sit, facit hoc Sacramentum.*

## MEDITATIO CLIX.

## Feria 6. Domin. 5. post Pascha.

### *Quomodo orandus DEVS, ut nos emundet.*

COllocabo me in primo Angelorum choro, primæ Hierarchiæ, cujus est omnia emundare, quia Deus est actus purissimus, ad Hebr. 1. Petam intelligere, quænã emundanda sint.

*Cons.* 1. Septem esse vitia capitalia emundanda. Superbi orent sanctificari nomen Dei, quod facit humilitas. Avari: *Adveniat Regnum tuum*, quod promittitur pauperibus spiritu.

spiritu. Invidi, & ex bono proximi afflicti: *Fiat voluntas tua*, quod promittitur misericordibus. Libidine impugnati: *Panem nostrum, &c.* Sensus cœlestes, qui reprimunt terrenos. Ira infestati, *Dimitte nobis, &c.* Qnod promittitur mitibus. Gulosi, *Et ne nos inducas, &c.* Quia primi parentes perière tentatione. Acediosi, *Sed libera nos à malo*, quia tædium in rebus divinis malorum origo est.

*Cons.* 2. Contra originem malorum venialium septem petitiones servient. 1. Contra respectus humanos. 2. Contra raram mentis elevationem ad Deum pro auxilio orandum. 3. Contra negligentiam utriusque examinis. 4. Contra contemptus rerum, quæ non habent manifestam culpam. 5. Contra libertatem linguæ, & sensuum. 6. Contra neglectum. 7. Contra occupationem in rebus inutilibus, seu otium.

*Cons.* 3. Ad tollendam etiam pœnam pro culpis illud Pater noster, &c. S. Mechtildis l. 3. c. 10. Offerendo sanctitatem Filij, ejus desideria cœlestia, conformitatem cum Deo, desiderium communicandi se nobis, orationem pro inimicis, remedia contra tentationes, & victorias contra easdem, ut mihi ignoscat, quidquid in his septem deliqui, quod orabo per merita Angelorum primi chori, dicendo Pater noster. &c.

MEDI-

## MEDITATIO CLX.

### Sabbato post Dom. 5. post Pascha.

*Quomodo orandus DEVS, ut nos magis emundet.*

COllocabo me inter Archangelos rerum magnarum nuntios. 1. ad Thes. 4. Petam magis intelligere, quænam emundanda sint.

*Cons.* 1. Ut magis emundet quoad intellectum, necessariam mihi esse agnitionem Creatoris, quem offendere timebo tanquam Patrem. 2. Contemplationem potestatis divinæ, ac Majestatis æternæ, ut quem amor Patris non prohibet à peccato, saltem timor Domini, qui potestatem habet mittere in gehennã, in officio contineat. 3. Necessariam mihi esse legis contemplationem, quæ facienda præscribit. 4. Necessariam mihi esse considerationem sanctitatis Christi, ex eáque haustus amor. 5. Divinæ misericordiæ intuitum, quæ toties mihi indulsit, unde eâ mihi abuti sit formidabile. 6. Necessariam mihi esse eam legis portionem, quæ docet, quid faciendum non sit. 7. Necessariam mihi esse agnitionem pleniorem, quàm sit odibile omne malum, etiamsi esset licitum. Petam ab his septem emundari, orando Pater noster.

*Cons* 2. Ut magis emundet, quoad affectum,

ctum, necessarium mihi esse honestatis amorem, & desiderium. 2. Promissionis spem. 3. Amorem illius, quem super omnia diligo. 4. Gaudium in lege Dei. 5. Timorem amittendæ felicitatis æternæ. 6. Timorem incurrendæ pœnæ æternæ. 7. Fugam, quâ adversarium susurrantem relinquam, & in abdito Creatoris abscondar. Petam ab his septem emundari oratione Dominicâ.

*Cons.* 3. Vt magis emunder quoad opus, necessarium mihi esse. 1. Humiliare me, & auxilium ad vincendum exposcere. 2. Cogitationes expendere, ut malæ reijciantur, bonæ probentur. 3. Habere in promptu sententias Sanctorum cuilibet tentationi oppositas, ut Christus fecit. 4. Actione virtutis contrariæ vitio resistere. 5. Sibi tentato compati, quasi alteri. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, &c.* 6. Providere de armatura in ea parte, in qua necessarium est. 7. Præcludere aditum inimicæ suggestioni, divertere ad alia, & quæ nos infestant, oblivisci. Petam hæc septem per Archangelos, addito Pater noster.

## MEDITATIO CLXI.

## Dominica infra Octav. Ascensionis.

### *Quomodo orandus DEVS, ut nos emundet.*

Colloca-

COllocabo me inter Principatus in executione Principes, in gubernando excellentes; ad Eph. 1. Petam ex toto emundari.

*Cons.* 1. Vt ex toto emunder necessariam mihi esse cognitionem originum omnis lapsûs. 1. Est passio, & febris concupiscentiæ, non tantùm in appetitu sensitivo, sed etiam rationali, juxta illud Jacobi 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua* abstractus, & illectus. 2. Est imaginatio, quæ vivaciter repræsentat pulchritudinem boni sensibilis. 3. Est voluntas, causa immediata omnis actûs peccaminosi. 4. Est ignoratio, quæ occultat malitiam peccati. 5. Est intellectus, qui relictâ ratione legis consulit voluntati, ut bonum apparens amplectatur. 6. Est actus alterius peccati, qui oritur ex imminutione gratiæ, per quam homo peccato resistit. 7. Est habitus pravus, qui immediate inclinat ad actum peccati; ideo orabo septem petitiones in Pater noster.

*Cons.* 2. Vt ex toto emunder necessaria mihi esse septem consilia, quæ verè conversus ad Deum explere debet. 1. Credere decem mandatis DEI, populo Christiano propositis, & velle eorum observatione DEVM sanctificare. 2. Desiderare omnes ad DEVM pertrahere, quos potero. 3. Obedire amicis DEI, quantumcunque voluntati contraria præce-

præceperint. 4. Suscipere, & honorare Sacramenta Ecclesiæ Dei. 5. Dolere de peccatis commissis, & emendare se velle. 6. Pati in adversis, non murmurando contra judicia DEI, non pertrahi consuetudine malorum, sed eos aversari. 7. Rogare Deum, ut perseverare valeam in amore Dei; ideo orabo Orationem Dominicam.

*Conf.* 3. Vt emunder ex toto necessarias esse has septem renuntiationes. 1. Omni peccato deliberato quantumcunque levi. 2. Renunciare sibi quoad licita, & esse indifferentem quoad munia, habitationes, personas, studia, gradus, sanitatem, solatia, vitam. 3. Renuntiare amori naturali, & affectui sensibili eò venenosiori, quò minùs virtuti repugnare cernitur, præsertim puritati cotporis, & quieti cordis. 4. Renuntiare solatijs spiritualibus, & adversa appetere, atque in ijs gaudere. 5. Renuntiare propriæ voluntati, causæ omnis mali, & judicio malum omne voluntati consulere solito. 6. Renuntiare occultæ voluntati propriæ, atque judicio respectu donorum cœlestium, ne plura petam, quàm sit opus, ne tam avidè ijs adhæream, quò minùs paratus sim ijs carere, quæ duæ tentationes amoris proprij magnæ sunt. 7. Ita omnibus renuntiare, ut nihil rerum, nihil mei, nihil donorum DEI,

nisi

nisi propter Deum velim, semper magis inclinatus ad mihi displicentia, quàm grata. Juxta septem has renuntiationes formabo septem petitiones ad Principatus, ut si *Medicina est cœleste ac venerabile Sacramentum*, juxta D. Cyrillum, mihi impetrent ex hujus medicinæ sumptione emundationem ex toto; dicámque Pater noster.

## MEDITATIO CLXII.

## Feria 2. Domin. infra Oct. Ascens.

### *Quomodo orandus* DEVS, *ut nos illuminet.*

Collocabo me inter Potestates bene utentes potestate in coërcendis spiritibus malignis, ad Ephes. 2. Petam illuminari in servitio DEI.

*Cons.* 1. Necessariam esse Fidem: quia *ab incredulis diabolus timetur ut leo, à fortibus in Fide ut vermis contemnitur*, ait S. Isidorus l. 3. de sum. bono c. 5. 2. Necessaria est Spes: *Cor sit in cœlo, ne putrescat in terra*, inquit August. in Ps 32. 3. Necessaria est Charitas: *Ibi spera, ibi ama, inde pete virtutem, ibi exspecta mercedem.* inquit August. serm. 8. de Verb. D. 4. Necessaria est Temperantia. 5. Justitia. 6. Prudentia. 7. Fortitudo. Ordinabo septem petitiones ad has septem virtutes.

Con

*Cons.* 1. Necessarium esse zelum honoris DEI, cui plus debeo, quàm mihi: quia Deus est majus bonum, quàm ego: ideo ait Chrysost. hom. 20. in Matth. *Nihil omnino prius, quàm pro ipsius gloria supplicare debemus,* & huc servit prima petitio. 2. Debemus curare salutem propriam secundùm bonum nostrum. Regnum Dei, non naturæ, quod jam est, nec gratiæ, quod etiam habemus, sed gloriæ, quod petimus. D. Hieron. hîc ait: *Grandis audaciæ, & puræ conscientiæ postulare regnum Dei, & judicium non timere.* 3. Quia ad obtinendum finem opus est mediis debitis, eáque sita sint in voluntate Dei, petimus à voluntate nostra averti, &c. 4. Quia media ad finem beatum; alia sunt spiritualia, ut verbum Dei auditum, lectum, oratio, inspirationes divinæ: alia corporalia, ideo petimus: *Panem,* &c. 5. Quia nihil inquinatum cœlos subit, petimus dimitti nobis debita culpæ propter injuriam in Deum, & pœnæ ob legem violatam, ideo priùs dimittimus debitoribus: quia repugnat remitti peccatum, & manere in peccato. 6. Quia tentationes periculosæ, victoria incerta, petimus ut vel repugnet lapsus, vel tentatio, 7. Quia nullum non malum est, cui non simus expositi, petimus ab omni malo liberari.

*Cons.*

*Cons.* 3. Vt in virtutibus exerceamur necessarium esse Timorem Domini. 2. Pietatem. 3. Scientiam. 4. Fortitudinem. 5. Consilium. 6. Intellectum. 7. Sapientiam, quæ dona per septem petitiones orabo.

## MEDITATIO CLXIII.

## Feria 3. Dom. infra Octav. Ascens.

### *Quomodo orandus DEVS, ut nos magis illuminet.*

Collocabo me inter Virtutes Fortitudine insignes, exequentes miracula, intenti ad Deum Fortitudinis auctorem, ad Ephes. 1. Petam, quomodo orandum, ut magis illuminer.

*Cons.* 1. Intelligere me debere tentationem perplexam, quæ sub uno eodémque tempore, multis, varijs, & penè contrarijs vitijs impugnat, ut miser animus undique bellis cinctus, cùm uni resistere nititur, in aliud, quod non timebat, luctuosâ collisione labatur; hanc, qui consolatur humiles, ut tollat Deus, humiliter invocandus.

2. Intelligenda est tentatio importuna, quam à memoriæ nostræ oculis amovere vix possumus, & semel amota iterum redit, & penè omni horâ inquietare non desinit. De hac musca manu discretionis sacrificio actionum nostrarum amovenda utimur petitione.

3. in-

3. Intelligenda est tentatio dubia, quæ ita animum ambiguitatis nubilo involvit, ut quid faciendum, aut quid omittendum sit, tenere omnino non possit. In hac, ut nubila discutiat, & quàm puerilia & vana sint, quæ nos infestant, ad Dominũ recurrimus.

4. Intelligenda est tentatio fraudulenta, quæ animum decipit, malum sub specie boni proponendo, jam inermes ad bellum, ad alium locum, officium invitando, quàm ut verus oriens, ex alto devincat, & luce suâ verum aperiat, & falsum prodat, utimur petitione.

5. Intelligenda est tentatio subita, quæ repente irruit, & nostram considerationem prævenit, in quam sæpe incauti, & inconsiderati solent incidere, dum sine timore omnia lustrant, & decipulam sibi à satana paratam non advertunt. In hac ut fugiantur occasiones peccandi, ne diabolus subitò insurgens præoccupet, & gratiam perdam, dum incautè cupiditatem expleo, utimur petitione.

6. Intelligenda est tentatio violenta, quæ adeò fortiter, & acriter impugat, ut ab humana imbecillitate superari vix possit, nisi abundantissima gratia hujusmodi impugnationi resistat. Hanc passi sunt Martyres, tormentis, & morte ad deserendam vitam ada-

cti. Verùm, si fortis est, qui in nos irruit, fortior est, qui nos defendit. Et si violentè trahimur ad consensum peccati, potentissimè ad sustinendum sensum, & negandum consensum adjuvamur.

7. Intelligenda est tentatio occulta, quæ ita latenter ingreditur, ut in rebus agendis, vel vitandis, quæ magnam diligentiam poscunt, magnam negligentiam inducat: Hæc rem optimam, & magni momenti indiscussam relinquit, ut cursim & festinanter cum magnis imperfectionibus executioni mandetur; & in hoc genere rogandus Dominus lucis, ut nos liberet à negotio perambulante in tenebris, addam Orationem Dominicam.

## MEDITATIO CLXIV.

## Feria 4. Dom. infta Octav. Ascens.

### *Quomodo orandus DEVS, ut nos illuminet ex toto.*

COllocabo me inter Dominationes, terrenorum contemptores, & totâ intentione inclinatos ad summum bonum; ad Coloss. 1. Petam, quomodo orandum, ut illuminer ex toto.

*Cons.* 1. Quomodo me habere debeam erga meipsum. 2. Claram cognitionem debere me habere imperfectionum mearum, & sanctitatis Dei, ideóque detestari propriam vilita-

vilitatem, & optare sanctificari DEVM.

2. Indignationem contra vitia regno virtutum repugnantia. 3. Fervorem ad solicitè in bona intendendum. 4. Spiritum orationis. 5. Detestationum omnium peccatorum, & timorem, quo formidem, an satisfecerim pro eis. 6. Circumspectionem ne in peccatum cadam, & rigorem erga corpus, ut spiritui subijciatur, & fortitudinem ad vincendas tentationes. 7. Discretionem, ut in omnibus agendis mẽsura servetur, & cautionem ad fugiendas occasiones labendi; juxta quæ ordinabo Orationem Dominicã.

*Cons.* 2. Quomodo me habere debeam erga proximum. 1. Habere debeo affectum reverentiæ, 2. Affectum congratulationis in nobis. 3 Affectum concordiæ. 4. Affectu oblationis, ut pro ipso orem, & mea opera offeram. 5. Affectum supportationis, quâ ejus molestias sustineam. 6. Affectum compassionis in adversis. 7. Affectum affabilitatis, juxta quæ ordinabo Orationem Dominicam.

*Cons.* 3. Quomodo me habere debeam erga Deum. 1. Vt habeam amorem perfectissimum. 2. Gratitudinem verissimam. 3. Obedientiam promptissimam. 4. Gustum suavissimum Dei. 5. Zelum ardentissimum. 6. Honorem profundissimum. 7.

Timo-

Timorem castissimum, juxta quæ ordinabo Orationem Dominicam.

## MEDITATIO CLXV.

## Feria 5. Domin. infra Oct. Ascens.

### *Quomodo orandus* DEVS, *ut nos sibi uniat.*

COllocabo me inter Thronos, abstractos affectu à creatis omnibus, addictos voluntati Dei, & subordinationi, ad Coloss. 1. Petam, quomodo orandum, ut DEVS nos sibi uniat.

*Cons* Septem gradus infimos amoris divini 1. Diligere Dominum amore intemporali, quo omnia peccata odio habeam, omnem imperfectionem fugiam, & DEVM bonum meum omnibus præferam.

2. Diligere Deum amore inseparabili, ut velim eum semper præsentem habere, cogitatione, & affectu, donec in regno suo mihi plenè benedicat.

2. Diligere Deum amore infatigabili, quo nunquam cessem à contemplatione perfectionum Dei, & desiderio perfecti amoris illius, & studio bonorum operum, donec illum inveniam, & in æternitate apprehendam.

4. Diligere Deum amore dulci, quo animæ Deus dulcescit, ad eum modum, quo

mel, aut cibus suavissimus palatum inescat: & insatiabili, quem fames & sitis justitiæ ad majora desideria provocent, ita ut nihil me satiet, nisi ille: nihil delectet, nisi ille: ipsum in omnibus quæram, & tunc magis expetam, cùm aliquid ejus apprehendero.

5. Diligere Deum amore libero, hostes contemnendo, omnia magna spiritûs libertate perficiendo.

6. Diligere Deum amore incontaminabili, quo, quidquid est in mundo concupiscentiæ, &c. abijciam, & me à seculo incontaminatum custodiam.

7. Diligere Deum amore insuperabili, nullis cedendo adversantibus, & cum Paulo dicendo: *Quis me separabit?* quo non solùm hosti resistam, eumque cõtemnam: sed quasi unum quid cum Deo efficiar, ita ut hostem non sentiam: juxta quos septem gradus ordinabo Orationem Dominicam.

## MEDITATIO CLXVI.

### Feria 6. Dom. infra Octav. Ascens.

### *Quomodo orandus DEVS, ut nos sibi magis uniat*

COllocabo me inter Cherubinos claritate luminis divina mysteria perspicientes. Ezech 1. Petam, quomodo orandus Deus, ut nos sibi magis uniat, *Conf.*

*Conf.* Septem gradus medios amoris Dei.

1. Desiderare magnâ humilitate & devotione amore vulnerari, inspirationibusque divinis ab omni creatura dividi,

2. Postulare amore ligari, ita, ut nec ad momentum à præsentia Dei exeam, ut omnes eventus, incitamenta amoris habeam.

3. Petere amore languere, ita, ut hic languor ad secularia me inidoneum reddat, Deo tamen vivere faciat.

4. Petere amore insatiabilem effici, sic, ut nihil, quod egerim, passúsve pro Deo fuerim, mihi satisfaciat. Amorem omnium cœlestium, & terrestrium expetam, ut eo Deum diligam, & salutem proximi quæram, qui mecum amet tam bonum Deum.

5. Petere dolorem de omnibus peccatis, proprijs, & alienis, magnis, parvis, præsentibus, præteritis, & futuris, quia Deo displicent & tam amabilis Gubernatoris legem infringunt, ejus voluntati contradicunt.

6. Petere exuri in hoc igne dilectionis omnem dissimilitudinem Dei, vitia, imperfectiones, inordinatas passiones, sensuum ad terrena propensionem, omnem animi impatientiam, ac perturbationem. Hæc in unum fascem collecta suspirijs, & gemitibus, & contritione cordis in illum ignem, ut consumantur, projciam.

7. Petere amore Dei, totum converti ita, ut, si tentationum mala Sanctorum Corpora sic afflixerunt fœditatibus suis, ut ignem applicitum non senserint, ut contigit B. Angelæ; ita amore Dei inflammer, ut ignis materialis mihi frigere potius videatur, quàm urere, quod contigit S. Catharinæ Senensi, & S. Tiburtio, cui prunæ rosæ videbantur; juxta quos gradus ordinabo Orationem Dominicam.

## MEDITATIO CLXVII.

## Vigilia Pentecostes.

### *Quomodo orandus DEVS, ut nos sibi uniat ex toto*

COllocabo me inter Seraphinos ardore amoris amicitiæ Dei proximos. Isai. 6. Petam ex toto baptizari Spiritu sancto.

*Cons.* Septem gradus supremi amoris Dei.

1. Petere amorem semper mobilem, qui nunquam ab amando quiescat, nec ad inferiora defluat, nisi, ut homines ad Deum reducat.

2. Petere amorem incessabilem, qui modum divini amoris habeat, ut sine modo & mensura Deum diligat, & absque ullo termino magis ac magis crescat. Singulis momentis nova beneficia accipio, fomenta amoris.

3. Petere amorem acutum, quo Deum præsen-

præsentem actu habeam, quo penetrem omnes ejus perfectiones, quo unum cum eo fiam, ut candens ferrum cum igne.

4. Petere amorem spiritualiter calidum, qui divinâ consolatione immissâ me liquefaciat, atque emolliat, ut impetu Spiritûs in Deum effluam, & tanquam res mobilis ejus impulsûs excipiam, caliditate hâc dilater ad proximorum auxilia, segregem omnes imperfectiones, virtutes congregem.

5. Petere amorem urentem, ut à me omnia impedimenta removeat, interna imperfectionum, externa inutilium occupationum, quæ me à perfectione, & unione cum ipso retardare possunt.

6. Petere amorem perseverantem, si vita per millia millium annorum esset trahenda, ut semper fidelis amator persistam.

7. Petere amorem semper fervidum, quo à me exeam, & ad me nunquam redeam, perversam mei despicientiam, ut ita Deum reputem, ut mei, & omnium creatorum obliviscar, juxta illud D. Augustini Tom. 4. lib. 83. q. 36. c. 8. *Perfectio charitatis nulla cupiditas*; adeóque verum est illud Cypriani de Pudicitia: *Qui cupiditates tollit, & metus sustulit*, nimirum labendi. Et rursus August. serm. de S. Laur. c. 18. *O, qui dixisti, libera nos à malo, liberet te Deus de te ipso.* Instituam triplicem

petitionem. 1. Ad novem choros Angelorum, 2. Ad B. Virginem, 3. Ad Christum Dominum, pro impetratione Spiritûs sancti, qui nos emundet ex toto, illuminet ex toto, & sibi uniat ex toto.

## MEDITATIO CLXVIII.

## Dominica Pentecostes.

### *De admirabili Spiritûs sancti operatione.*

VIdebo à cœlis in specie ignis venientem Spiritum Dei, & cordis humani arcem expugnantem, immutantem, & in eo residentem, ut totum in partibus, ut ars in artifice, ut DEVS in templo. Petam agnoscere operationes Spiritûs sancti, earumque fieri particeps.

*Cons.* 1. Mirabilem Apostolorum mutationem; nam qui antè infirma mundi; ex dæmonum subjectione vanè gloriabundi, de majoratu contentiosi, iracundi, volentes fulmina mitti in Civitatem, tristitiâ & timore perculsi, ad patientiam Domini JESV scandalizati, negatione Christi contaminati, verè infirma mundi: Nunc verò studijs planè contrarijs imbuti, mundo, sibíque mortui, cœlo & Deo pleni, & ab ubertate gratiarum cœlestium, quasi musto ebrij, sal terræ, mundíque lux; quia Spiritus sanctus ad

quoscun-

*quoscunque accesserit, eos pro luteis aureos reddit*, inquit D. Chrysost. in Acta hom. 4.

*Cons.* 2. Causam tantæ mutationis esse Spiritum sanctum, qui possessionem cordiū Apostolorum accipiens, eos per Timorem purgavit, per Pietatem liquefecit, per Fortitudinem consolidavit, pet Consilium mentem eorum ad cœlestia elevavit, per Scientiam decoravit, per Intellectum illuminavit, per Sapientiam dulcedine replevit, & accendit. Ideo venit in igne, quia & veritate lucet, & fervore divini amoris urit: Venit ut torrens; quia omnes artus & membra consolatione divinâ replet: Et sicut lingua in ore non nocet, sed prodest loquelæ; sic Spiritus sanctus venit in linguis: Quia in anima efficit ut nihil desideret, nisi DEVM, eumq. loquatur.

*Cons.* 3. Dispositiones ad hunc triplicem adventum requiri tres. 1. Est voluntas in omnibus continenter vivendi. 2. Humilitas. 3. Toto ferri desiderio ad Deum. Has Apostoli habuere, ut ait Dominus B. Brigittæ lib. 6. cap. 6. Ideo repleti sunt omnes Spiritu sancto, & imprimis B. Virgo. Orabo ijsdem dispositionibus donari ad SS. Evchristiam accessurus, de qua S. Ephrem lib. de Natura Dei c. 5. ait: *Ignem & Spiritum manducandum, & bibendum præstitit nobis carne*

*vestitis, corpus scilicet, & sanguinem suum.*
Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus, &c.

## MEDITATIO CLXIX.

## Feria 2. Domin. Pentecost.

### *De donorum Spiritûs sancti magnavi.*

VIdebo oppositionem incompossibilem Spiritûs sancti, & spiritûs mali, ex collatione proprietatum utriusque, & fructuum ex arbore bona, & ex arbore mala. Petam agnoscere donorum Spiritûs sancti vim.

*Cons.* 1. Quòmodo ab initio mundi creatus Angelus honori Dei, & bono ipsiusmet Angeli, si Deo se subijceret quod cùm nollet, factus sit defectu proprio spiritus malus, qui hominem donatum ratione, ut discerneret contraria à contrarijs, meliora ab optimis, & fortitudine, ut persisteret in bono, dejecit per inobedientiam, qui est Spiritus proprius diaboli. Deinde cùm Deus legem homini daret, redemptionem promitteret; corda humana timore & amore Dei spoliavit, & incredibile esse, ut Deus moriatur, persuasit, ac tandem veneno suo ex toto implevit.

*Cons.* 2. Quomodo Spiritus sanctus donis suis mala dæmonis exstirpet: quia, ut docet Bonavent. in cap. 11. Luc. Sapientia opponitur

nitur luxuriæ, Intellectus gulæ, Consilium avaritiæ, Fortitudo acediæ, Scientia iræ, Pietas invidiæ, Timor superbiæ. Est Scientia virtus, juxta D. Thomam, quâ cognoscimus temporalia ad salutem conducibilia, & modum illis bene utendi. Sapientia est virtus, quâ divina & æterna contemplamur, & secundùm ea de rebus omnibus judicamus. Intellectus est donum penetrandi obscura. Consilium est pars Prudentiæ, quæ docet actiones bene dirigere, ut à periculis æternis liberemur, juxta illud ad Rom. 8. *Prudentia Spiritûs vita & Pax* Fortitudo est virtus agendi præclara, & ferendi ardua. Pietas est propensa in Deum voluntas. Timor est reverentia in Deum, ex agnita vilitate propria, & excellentia Dei, cui collata etiam Humanitas Christi ex nihilo facta, in nihilum reducibilis, & nisi gratiâ præventa, defectibilis.

*Cons.* 3. Quàm propriè Dominus noster Spiritum sanctum vocet flumen aquæ vivæ; quia gratia Spiritûs sancti purgat ab omni culpa & pœna, quia refrigerat ardorem concupiscentiæ, & inordinatum amorem seculi restinguit: & dicitur viva, quia fœcundat mentem bonis cogitationibus, & disponit ad heroicas operationes, nunquam otiosa, semper ad melius exstimulat; & quia de-

siderium & sitim humanam satiat, juxta illud: *Non sitiet in æternum, sed fiet in ille fons aquæ salientis in vitam æternam*; quia gustato Spiritu desipit omnis caro. Orabo ex hac aqua renasci, dicto hymno de S. Spiritu.

## Meditatio CLXX.

## Feria 3. Domin. Pentecost.

### *De majore vi donorum Spiritûs sancti.*

ASpiciam, quomodo satanæ malitiam Spiritus sanctus coërceat donis suis, sicut lux arcet tenebras, & ignis frigora. Petam intelligere utriusque vim, illam effugere, hanc consequi.

*Cons.* 1. Quomodo spiritus malus per superbi, amduodecim mala in templis suis, hoc est, superbis operetur: Curiositatem, mentis levitatem, ineptam lætitiam, jactantiam, singularitatem, arrogantiam, præsumptionem, defensionem peccatorum, simulatam confessionem, rebellionem, libertatem, peccandi consuetudinem. Hunc spiritum superbum Deo magis fœtentem, quàm cadavera, Spiritus sanctus coërcet timore Domini, & duodecim actibus humilitatis oppositis.

*Cons.* 2. Quomodo spiritus malus per Invidiam moraliter, & mediatè in suos ingrediatur, præsentando vivaciter sensibus, phanta-

phantasiæ, intellectui, voluntati, objecta delectabilia, humores excitando, unde pravæ sequuntur affectiones: suadeat intellectui obtenebrato, refrigeret voluntatem, ad inconsiderationem trahat, deprimat inconsolabiliter ad terrena, & amaricet cœlestia, conscientiam obumbret, falsitatem veritate obvelet, diffidentiam ingerat, à Deo avocet. Hunc Spiritus sanctus dono Pietatis arcet ab ingressu immediato in animam, vel per inspirationem personalem, vel per operationem humanam excitando ad DEVM, eo modo, quo ignis ex aëre & flatu hominis accenditur; lucéque suâ, & perfectâ Fidei illuminatione caliginem, & tenebras mentis abigit, ardore divinæ Charitatis accendit, ad cœlestia sublevat, dictamen rationis confortat, & conscientiam illustrat.

*Cons.* 3. Quomodo spiritus malus sit immundissimus, qui animam tam vilem facit, & sic ad peccatum pronam, ut de nullo peccato erubesceret, & à nullo peccato desisteret, nisi plus hominum timeret verecundiam, quàm Dei: est amarus sicut fel, ardens, frigidus, à Deo, & quidquid divinum est, avocans. Hunc Spiritus sanctus expellit dono scientiæ: est enim mundissimus præ solis radijs, incorruptibilis, immutabilis, dulcis præ omni dulci, calidus ita, ut solum DEVM

appetere suadeat, & reliquorum omnium contemptum. Claudam Meditationem Hymno sancti Spiritûs.

## MEDITATIO CLXXI.

## Feria 4. Domin. Pentecost.

### *De reliqua vi donorum Spiritûs sancti.*

ASpiciam reliquas hostilitates spiritûs mali, quas bonus exstirpat, sicut ventus aërem corruptum, odor fœtorem. Petam utrasque nôsse, ab illis erui, his repleri.

*Cons.* 1. Septem querelas spiritûs mali, quas hominibus proponit. 1. Legem DEI esse strictam, quia præcipit esse contentum modico necessario. 2. Gravem, quia præcipit grata cum moderamine rationis temporibus suis adhibenda. 3. Deformem, quia præcipit diligere humilitatem, & DEO omne bonum adscribere. 4. Duram, quia jubet renuntiare voluntati propriæ. 5. Adversam, quia vitam nostram longam reducit ad consideratioñem brevitatis ejus. 6. Impossibilem, quia nimis latam ad saltandum. 7. Similiter, quia nimis altam ad scandendum, ita apud D. Brigitt. lib. 3. cap. 22. & lib. 1. cap. 47. Hunc Spiritus sanctus refutat dono Fortitudinis, cujus est magnanimitas, securitas, magnificẽtia, patientia, longanimitas, perseverantia, constantia, *Cons.*

*Conf.* 2. Quomodo spiritus malus corpus malitiâ plenum conficiat; caput DEO rebelle, ventrem nimis voracem, os ad offensionem semper apertum, aures ad vocem Bonitatis Dei semper clausas, oculos ad dilectionem Dei cœcos, manus gryphis, quod acquirunt, nunquam dimittunt, nisi inviti, pedes semper à Deo recedentes. Hunc Spiritus sanctus septeno consilio evitare docet, 1. Cùm veneris in cacumen arboris, ne ramo arido sustenteris, seu casuris non innitendum. 2. Ne consilium recipias ab inimico: nihil est in mundo amicum. 3. Ne ponas cor intra dentes leonis: mala est diaboli retributio. Non da corpori venenum pro cibo, nec spinas pro indumento, id est, à delicijs, & divitijs cor abstrahe. 5. Ne alienes possessori quod suum est, animam DEO, qui eam creavit, & redemit. 6. Da ei, qui tibi dedit, te DEO. 7. Da sanguinem pro sanguine, redde servitium ei, qui dedit vitam.

*Conf.* 3 Quomodo spiritus malus septenis homines tenebris involvat, quia docet mundana, carnalia, fastum, pertinaciam protervam, mutabilitatem animi, simulationem, tantámque ad malum inclinationem, ut etiam non tentatus labatur. Hunc Spiritus sãctus septenâ luce dissipat: quia docet charitatem, patientiam, constantiam, nosse

se,

se, nôsse Deum, humilitatem, & solicitè ambulare cum DEO.

*Cons. 4.* Reliquas nequitias spiritûs mali, qui facit cæcum, dum indit hanc cogitationem: Deus redemit me Passione suâ, non me perdet, nec peccatum tam districtè judicat: facit mutum, compeditum, manibus, pedibus, corde, dum vel impellit ad vitia, vel ad excessum in virtutibus, excusationem fragilitatis, tædium boni, oblivionem futurorum, &c. Huic spiritus sanctus opponitur septenâ sapientiâ, quia sua det cœlestia, & futura non esse commutanda pro divitijs onerosis, honoribus mundi aëreis, delectabilitatibus carnis quasi somnijs, lętitijs reliquis, quæ post se amaritudinem relinquunt, tutiora sequenda exemplo Sancti Sanctorum: quia via ad felicitatem est amor Dei, via ad ruinam neglectus Dei. Audiam Chrysost. hom. in cap. 5. ad Galat. *Quoniam igitur tantâ vi est Spiritûs, illi vivamus, illo contenti simus*: Da tuis Fidelibus sacrum septenarium! quia: *cui adest Spiritus gratia, nihil deest*, inquit D. Ambros. in cap 1. Luc.

## MEDITATIO CLXXII.

### Feria 5. Domin. Pentecost.

### *De duodecim fructibus Spiritûs sancti.*

Aspicia

ASpiciam duodecim proprietates in columba, quòd sit candida, mansueta, innocens, simplex, zelosa, fœcunda, hominum amans, gratiosa, amica munditiei, boni odoris, volatu eximia, nuntia finiti diluvij. Petam fructus Spiritûs sancti agnoscere, eorumque fieri particeps.

*Cons.* 2. Quomodo spiritus malus animam veneno peccati semper intentus sit perdere, & gratiam per se æternam corpore intacto, sicut fulmen ferrum vaginâ relictâ absumere: quod venenum Apostolus vocat opera carnis, quibus fusè narratis ad Galat. c. 5. opponit opera Spiritûs: Libidini Charitatem; perturbationibus, quæ libidinem consequuntur, gaudium; idolorum servituti, quæ bella movet contra DEVM, & Sanctos, unde veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, opponit pacem: ut autem justa moderatione tractentur omnia, opus est ad sustinendum patientiâ, & longanimitate: ad curandum benignitate: ad ignoscendum bonitate, & mansuetudine: denique hæresibus opponit Fidem, omníque intemperantiæ Modestiam, Continentiam, Castitatem. Ita Augustinus in Epist. ad Galat.

*Cons* 2. Verba D. Hieron. ibidem. *Non potest arbor mala, fructus afferre bonos, non*

*nam de hominibus, quam de fructibus carnis, & spiritûs arbitror pronuntiatum: quia nec spiritus potest unquam ea vitia, quæ in carnis operibus numerata sunt, facere; nec caro his fructibus, qui oriuntur ex spiritu, redundare: potest tamen fieri per negligentiam possidentis, ut Spiritus, qui versatur in homine, fructus non habeat suos.*

*Cons. 3.* Meam negligentiam detestabilem: si enim arbor fui non fructifera, maledicto proximus sum. Invocabo Spiritum sanctum, quia, *cui Spiritus sanctus infunditur, magnarum est plenitudo virtutum* S. Ambros. in cap. x. Luc.

## MEDITATIO CLXXIII.

## Feria 6. Domin. Pentecost.

### *De Spirituum discretione.*

ASpiciam fellcam malignitatem spiritûs diabolici, qui si non potest peccatis gravibus, conatur venialibus inficere: quòd si nec istis, saltem molestis cogitationibus perturbat; adeò neminem, nec quidem Filium Dei intentatum reliquit. Petam intelligere originem Spiritûs boni, & mali, ut hunc evitem, illum sequar.

*Cons. 1.* Discretionem Spirituum esse donum Dei, quod ex parte nostrâ per modum artis conjecturalis acquiritur, ideóque fal-

lere potest; nisi non pauca, sed complura in unum aggregentur.

*Cons* 3. Septem requisita in homine, ut spiritus discernat. 1. Bonus intellectus. 2. Passionum dominium: nam qui amant, ait Orig. ipsi sibi somnia fingunt. Et Gerson inquit, debere esse in pace locum personæ volentis spiritum discernere: quia perturbatio pestis nocentissima, & insanabilis censetur. 3. Debet esse in fide divina bene radicatus. 4. Obediens: nisi enim se regi ab alio patiatur, ait Climacus, jam non indiget dæmone tentante se, quia factus est sibimet dæmon. 5. Humilis, ut etiam spretus non dejiciatur: quia Spiritus sanctus, qui se dat humilibus, nequaquam ex humiliatione se subtrahet, cùm superbis Deus resistat. 6. Debet esse orationi, & devotioni addictus: quia ejusmodi. ait Greg. in dial. quodam intimo sapore percipiunt, & quod à bono Spiritu, vel quod ab illusore procedit, discernunt. 7. Servandum monitum Cassiani, Coll. 2. *Tamdiu suggestiones noxiæ dominantur in nobis, quàmdiu celantur in corde.*

*Cons.* 3. Quidquid verum, quidquid bonum, & virtuosum est, id ex Spiritu sancto procedit, qui Joann. 14. est verus, Luc. 11. est bonus. Quidquid falsum, quidquid vitiosum est, id ex spiritu malo procedit, qui

ab

ab initio fallax, & malus fuit: ficut ergo omnes veritates & virtutes ſunt fructus Spiritûs ſancti, ſic omnes errores & vitia ſunt fructus Spiritûs diabolici. Vnde ait Ambr. in c. 5. ad Rom. *Ex actu nomen accipit homo.* Et deinceps infert 1. *Hic ſpiritu ambulat, qui fugit peccata.* (in epiſt. ad Gal. c. 5.) 2. S. Antiochus addit hom. 61. *Omnis virtus ſpiritualem facit.* Veni ſancte Spiritus.

## MEDITATIO CLXXIV.

## Sabbato Domin. Pentecoſt.

### *De pleniore Spirituum diſcretione.*

ASpiciam poſt Deum (qui Prov. 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus*) B. Virginem Magiſtram diſcretionis Spirituũ, à Gerſone dictam, ad quam velut diſcipulus accedam. Petam ſcire, cui Spiritui debeam aſſentiri, cui diſſentire.

*Conſ.* 1. Ex proxima meditatione patere, cur exibant dæmonia (Luc. 4.) à multis, quia erant in mundo, qui ijs plenus eſt, juxta Chryſoſt. homil 29. in Matth. *Mundus domus diaboli*: nam quis eſt, qui in mundo non erret? at qui omnis error à malo eſt, qui mille quandóque veritatibus unam latentem falſitatem tegit, ut decipiat: ideo Chriſtus prohibuit dæmones à veritatis teſtimonio, uti & Paulus Pythoniſſas. 2. Quis eſt, qui Spi-

ritus

ritu Dei Regi se sinit in omnibus? atqui *perversa sunt omnia, quæ à DEO non sunt.* Tertull: de cultu fœm. 3. Quis est ab omni labe immunis? atqui Hieron. ad Gal. in c. 5. inquit: *Per vitia vel maximè dæmones coluntur.* 4. Quis non subinde blanditias carnis sentit? atqui *duabus de causis deserit hominem Spiritus sãctus, cùm aut sensum carnis habet, aut gesta,* inquit Ambros. in cap. 8. ad Rom. & causam dat lib. de Noë & Arca. cap. 3. *Hic ergo spiritus datur hominibus, sed non permanet, quâ autem ratione non permaneat, causa proditur Gen. 6. quia caro sunt: carnis enim natura disciplina repugnat, quia voluntati obtemperat.*

*Cons.* 2. Quis non habet nævum aliquem in suis intentionibus? atqui sine rectitudine intentionis perit ratio virtutis, arboris fructus ex radice, opus hominis ex intentione. Lib. 4. revel. S. Brigit. c. 67. Vitiare virtutes, auferre patientiam intendit dæmon. lib. 6. cap. 43. 6. Quis est, qui sine fine renuntiaverit propriæ voluntati? atqui omnium vitiorum fons, Angelorum hominúmque ruina est propria voluntas inordinata, propter quam nos Deus relinquit dæmoni. l. 6. c. 78. 7. Quis est, quem non tæduerit perfectionis? atqui hoc vitium est, quia nemo veniet ad portum gloriæ, nisi perfectus, vel

perfectè

perfectè purgatus, lib. 4. cap. 62. 8. Quis non aliquando intermisit voluntariè gustu dare Deo? atqui talis voluntas non solùm est vitiosa, sed planè conformis est damnatis, quâ nolunt gustum dare Deo lib. 6. c. 31. 9. Quis est, qui ex toto semper fuit gratus Deo, Deique gratijs correspondérit juxta lumen, & dona Dei operando? atqui ingratitudo est altera origo, propter quam nos Spiritus sanctus deserere incipit, & potestati Satanæ tradere; apud eandem S. Brigit.

*Conf.* 3. Quis est, qui non distrahatur in templo in oratione? atqui universum bellum, quod inter nos & dæmones conflatur, non est de alia re, quàm de oratione, ait Augustin. ser. de orat. 11. Quis est, qui non intermiserit correctionem, dum videret delinquentem, vel ad melius non stimulavit proficientem? atqui impedire bonos ne loquantur malis, ne fortè compungantur, vel ne loquantur bonis, ne ad meliora merita eleventur, à spiritu diaboli est. l. 4. S. Brigit. c. 21. 12. Quis est, qui aliquando non sensit se quasi liberum ab omni tentatione? atqui etiam non tentari à spiritu malo quandóque procedit, ut fallat incautos. lib. 4. cap. 95. & 68. Petam à Diva, Spiritu sancto regi, quod fiet, si in illo, quod agam vel patiar, non utile, nec mercedem meam, sed Dei

Dei solius gloriam quæsivero. Ita Dominus S. Gert. lib. 4. cap. 14.

## MEDITATIO CLXXV.

## Dominica SS. Trinitatis.

### *De SS. Trinitate.*

PRæsentabo mihi gloriam DEI, quam vidit Isai. cap. 6. inter Seraphinos; vel Daniel: *Millia millium assistebant ei, & decies centena millia ministrabant ei.* Petam à SS. Triade lumen ad agnoscendam ex parte Majestatem ejus, & gratiam ad eam reverentiâ, amore, & obsequio honorandam, sicut oportet.

*Cons.* 1. Abyssali demissione unam naturam, unum intellectum, & unam Voluntatem essentialiter à se ab æterno, sine fine, Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Patrem, qui ex fœcundo intellectu per actum notionalem producit Filium, & per actum notionalem voluntatis, quæ est ipsissima Patris, & Filij voluntas, Spiritum sanctum procedentem. Quod mysterium suppositâ Fide hâc ratione probatur: Deo alijs fœcunditatem producendi simile sui juxta naturam danti, concedenda est eadem perfectio, ut producat Personas, quæ sint Deus, sicut est ipse; quia verò ipse est actus purissimus Intellectûs, & Amoris, eò, quòd sit Ens intellectuale,

ctuale, producet duas Personas, unam per viam cognitionis, alteram amoris, quibus (cùm Deus non possit multiplicari) communicat suam individuam, & simplicem naturam: itaque omnes tres Personæ, una improducta, & duæ productæ, sunt unus idémque DEVS, solus potens, solus se comprehendens, solus se, quantùm diligibilis est, diligens, affectu complacentiæ, & desiderij, ut cognoscatur, & ametur, sicut oportet.

*Conf.* 2. Proprietates singularum Personarum, quas eis dat Ecclesia. Pater improductus, Principium productionis, à quo dependent omnia, magis, quàm radij à Sole. Ipsi debitâ reverentiâ attribuam omne bonum naturæ, & gratiæ, illúdque ab ejus providentia paterna petam, propter ipsum donis acceptis utar, nihil propriæ gloriæ, vel commoditati relinquam.

*Conf.* 3. Quomodo Filius dicatur Sapientia Patris, Principium Redemptionis, propter nos exinanitus. Ipsius Fidei omnem intellectum meum subijciam, & mancipabo.

*Conf.* 4. Quomodo Spiritus sanctus sit Principium amoris, & bonum primum; quia amor ab amante primus donatur amato, unde oritur omne donum: ideo Spiritus sanctus dicitur primum donum. Eidem offeram

feram voluntatem meam in habitationem, & corpus in Templum, præsertim in Communione. O amœnitas omnium colorum, dulcor omnium saporum, fragrantia omniũ odorum, delectatio omnium sonorum, suavis amœnitas amplexuum intimorũ, supereffluens abyssus divinitatis: Te omni creaturæ præeligo, propter Te omni delectationi abrenuntio; pro Te omni adversitati obvio: in his omnibus Te unicum laudatorem requiro: Tu animæ meæ vita: Tecum fit affectio cordis mei, vi ardoris amatorij conflata. Vtinam in omni, ad quod sine Te tendit anima mea reddatur inanimata! ita D. Gertr. lib. 3. cap. 66.

## MEDITATIO CLXXVI.

## Feria 2. post Domin. SS. Trinit.

### *De Omnipotentia Dei.*

INtuebor brachium Omnipotentiæ divinæ, cui omnia pari modo sunt possibilia. Petam illo semper protegi.

*Conf.* 1. Quomodo Deus plùs quàm septuagies nominetur Omnipotens in sacris Bibliis. Colligitur Omnipotentia DEI ex toto hoc, quod fecit, & quidem verbo: quia 1. ex nihilo fecit tam multa, varia, solida, perfecta, virtutis plena, subitò 2. Cœlos pulchros, mobiles, incorruptibiles, Sole, Luna, Stel-

na, Stellis ornatos, influentes in inferiora. 3. Cœlum empyrium Regiam suam, sedem Beatorum, quietam, Angelis inæstimabiliter perfectis plenam, numero incomprehensibilibus. 4. Elementa facta, & congruenter disposita, ut se servarent, & in eis tot mixta; totque animalia tam varia. 5. Hominem ad imaginem & similitudinem suam gratia & justitia originali vestivit, ad finem supernaturalem ordinavit, & lapsum *mirabiliter* erexit.

*Conf.* 2. Quomodo ab hoc attributo Dei pendeant præcipui articuli Fidei, Creationis, Incarnationis, Resurrectionis, Eucharistiæ, Visionis Dei.

*Conf.* 3. Et laudabo Dominum propter infinitam potentiam: fatebor omnes creaturas debere Deo laudē: quia ab eo habent, quod sunt, & in se ejus aliquam imaginem, vel vestigium continent. Fatebor nec me, nec universam creaturam ad ejus laudem sufficere: gratias agam, quòd laudem meam non reijciat: invitando me, & omnia mea ad laudem Dei: *Benedic anima mea Dominum* &c. explicando singula: invitabo Angelos & Sanctos generaliter, & aliquos specialiter: invitabo similiter creaturas cœlestes, & terrestres: *Benedicite omnia opera*, &c. Petam subtrahi mihi potentiam ad omnem actum repugnan-

repugnantem gustui Dei, darique potentiam ad omnem nutum Dei explendum.

## MEDITATIO. CLXXVII.

## Feria 3. post Dominic. SS. Trinit.

### *De Sapientia, & Gubernatione* DEI.

INtuebor oculum Sapientiæ divinæ plùs, quàm Solem fulgentem. Petam semper aspici ab hoc oculo.

*Cons.* 1. Quomodo perfecta omnium cognitio in Deo proveniat ex infinita vi oculi divini, sicut enim oculus humanus in momento penetrat ad stellatum cœlum, plus quàm 70. millionibus milliarium dissitum, sic, Infinities ampliùs oculus & mens DEI videt divinam Essentiam, & Personas, possibilia, eorúmque opera possibilia, conditionatè futura, & futura absolutè omnia.

*Cons.* 2. Quomodo in Deo sit Sapientia omnium rerum: quia scit substantias, proprietates, virtutes, operationes, causas, & effectus omnes. 2. Quàm singulari providentiâ omnia ordinet in finem gloriæ suæ, & ostensionis Majestatis suæ, & nunquam sinat ab ordine dispositionis suæ exire. 3. Quomodo singulis rebus media convenientia det, quibus fines suos assequantur, suaviterque ac fortiter omnia attingens, omnium

curam ſpecialem habeat. 4. Facit, ut omnia creata cedant bonis in bonum per miſericordiam ejus, & malis in malum per Juſtitiam. 5. Quia erga homines præſertim juſtos habet ſe, ut Pater erga Filios, quos per mille pericula & anfractus uſque ad aſſecutionem felicitatis perducit.

*Conſ* 3. Et laudabo Dominum propter infinitam Sapientiam, & Providentiam ejus, ut ſupra Fer. 2. Conſ. 3. Rogabo, ut tenebras ignorantiæ & diffidentiæ providâ luce ſuâ diſijciat.

## MEDITATIO CLXXVIII.

## Feria 4. poſt Domin. SS. Trinit.

### *De Bonitate DEI.*

ASpiciam triplicem Bonitatem DEI, naturalem, moralem, & beneficentiæ: Velut catenam triplici gyro omne bonum complectentem. Petam ejus quam maxime ſieri particeps.

*Conſ.* 1. Bonum eſſe, quod eſt perfectum, & bonitas rei ejus eſt perfectio. 2. Naturalis in DEO quanta eſſe debet, cùm ad ejus tenuem radium, & umbratilem ſpeciem tanto impetu currat omnis creatura, & niſi ipſum communicet, impoſſibile eſt aliud bonum eſſe extra DEVM *Ama unum bonum, quod eſt omne bonum, & ſufficit.* Aug. *Conſ.*

*Conſ.* 2. Alterum bonum moris, quod Sanctitas dicitur, eſſe perfectionem morum in actu, vel habitu. De DEO ait Pſalm. 144. *Sanctus in omnibus operibus ſuis*; cùm igitur Sanctitas ſit congruentia cum lege æterna, & conjunctio cum Deo, & voluntas Dei per ſuam eſſentiam legi æternę, ex æquo reſpondeat, ſequitur in Deo eſſe Sanctitatem eſſentialem, eminenrer & cauſaliter, principium, & exemplar, & menſura, & finis omnis ſanctitatis infinitè intenſivè, & extenſivè; ergo neceſſario odit peccatum infinitè, quia eſt contra rectitudinem legis æternæ, propter quod privat hominem bono infinito: quia inflixit infinitum dolorem, & ignominiam DEO: ergo neceſſariò amat ſuam bonitatem infinitam, quam utinam & ego tantùm amarem, ut poſſum.

*Conſ.* 3. Quomodo benignitas tertia ſpecies bonitatis oriatur ex prima bonitate, quæ eſt perfectio naturæ: & duplex eſt benignitas: Naturalis, & dicitur fœcunditas, & eſt communicatio divinæ eſſentiæ: libera, & eſt naturalis propenſio communicandi ſe creaturis pro cuiuſque captu, præſertim creaturæ rationali, quæ ſola Deitatis per intellectum & voluntatem eſt capax, quæ à liberalitate Dei benefica accepit eſſe naturale, vivere, ſentire, intelligere, & eſſe ſu-

pernaturale gratiæ, gloriæ, unionis hypostaticæ. Concludam meditationem ut Feria 2. Considerat. 3.

## MEDITATIO CLXXIX.

## Feria 5. In Festo Corporis Christi.

### *De Sacrificio incruento.*

VIdebo Dominum in cœnaculo Montis Sion Sacrificium incruentum instituentem, & se nobis quasi comminuentẽ, ad vescendum. Petam illud intelligere, & eo dignè frui.

*Cons.* 1. Quomodo Missa sit Sacrificium: quia, quod fecit Christus in cœna, id agunt Sacerdotes, sed Christus sacrificavit: Quia Sacerdoti debet respondere hostia, Christus erat Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, Psalm. 109. qui obtulit panem, & vinum. Est igitur hîc Sacerdos, res oblatá, Deus, cui offertur, Fideles, pro quibus offertur, & ipsa oblatio: ubi autem hæc quinque sunt, ibi est sacrificium. Gaudebo Deum honorari sacrificio perenni, non permãsione Christi in Cruce, nec ut redivivus identidem patiatur, sed per Sacramentum Altaris.

*Cons.* 2. Excellentias huius sacrificij. 1. Ab offerente, qui Principalis est Christus, summus & æternus Sacerdos, verus DEVS. 2. Ab oblatione, quæ est Corporis & Sanguinis

guinis Domini veri DEI. 3. A modo: quia sub speciebus panis & vini offertur, quibus repræsentatur Sacrificium cruentũ in Cruce.

*Cons.* 3. Fructus tanti Sacrificij esse. 1. Dignè Deum laudare, sicut oportet. 2. Memoria oblationis cruentæ. 3. Meritorum Christi participatio. 1. Ex virtute Sacrificij, juxta Christi promissa non fallentia. Putatur hîc fructus esse remissio pœnarum duplex: Una in Sacerdote, & altera in ijs, pro quibus orat, præsertim qui adstant sine peccato mortali, aliàs hunc effectum non consequuntur: juxta illud S. Ambr. in cap. 9. Luc. *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antè sanatus.* 2. Fit participatio meritorum Christi per modum impetrationis, juxta majorem cuiusque dispositionem. Examinabo hîc verba Chrysost. hom. 60. ad pop. & lib. 6. de Sacerdot. *Considera, quales manus illas administrantes esse oporteat, quovis solari radio splendidiores; qualem linguam, qua Verba illa effundat, qua tremendo nimis sanguine rubescit? Quâ denique re non puriorem sanctiorémque esse conveniat animam, qua tantum illum Spiritum receperit? per id tempus & Angeli Sacerdotâ astident, & cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est.* Petam à Diva, Filio, & Patre,

ut dignè accedere merear ad hanc mensam, ad quam, qui accedit, *ducitur in divini statûs puritatem*, inquit S. Dionysius Areopag. de Eccles. Hier. cap. 3.

## MEDITATIO CLXXX.

## Feria 6. post Fest. Corporis Christi.

### *Septem Miracula in Venerabili.*

ASpiciam SS. Eucharistiam, de qua ita loquitur D. Chrysost. Hom. 35. in Joan. *Hoc Sacramentum est lapis, super quem septem oculi, id est, Angeli aspiciunt, pulchritudinem ejus admirantes.* Petam intelligere & revereri Miracula hujus convivij.

*Cons.* 1. Septẽ prodigia, quæ in Consecratione patrantur. 1. Quòd cœlum & DEVS obediat voci hominis, indifferens ad concurrendum, quoties, quando, & ubi voluerit Sacerdos, etiam malus, etiam malâ intentione Verba sacra proferens. Orabo, & dicam: O JESV, abstrahe cor meum ab omni eo, quod sub Sole est extra Te, & attrahe illud ad Te, ut paratum sit ad omnem nutum, & gustum tuum.

2. Est conversio, seu transsubstantiatio panis in Corpus, vini in Sanguinem Domini: orabo, & dicam: O JESV, converte me ex toto ad Te, ut vivam ego, jam non ego, sed Tu in me, & ego in Te.

3. Acci-

3. Accidentia manent sine subjecto: orabo,& dicam: O JESV, da tibi soli inniti.

4. Accidentia operantur suos effectus: orabo,& dicam: O JESV, da tibi cooperari.

5. Christus ibi non habet usum sensuum naturalem, quamvis habeat supernaturalem: orabo, & dicam: O JESV, aufer à me omnem abusum sensuum, & da sanctissimũ potentiarum usum.

6 Est ibi indivisibilis: orabo,& dicam: O JESV, da tibi indivisibiliter adhærere ex toto.

7. Est ibi inseparabilis: quia manet, quam diu accidentia non corrumpuntur: orabo,& dicam: O JESV, da tibi inseparabiliter adhærere semper. Adde, quòd sit invisibilis, propter indignitatem pravorum, fidem bonorum. Albert. Magn. Serm. 7 Et ut sit ex Fide meritum, petam augeri Fidem ubique hujus Mysterij.

## MEDITATIO CLXXXI.

## Sabbato post Fest. Corporis Christi.

### *Septem res in Venerabili.*

ASpiciam in Venerabili contineri Christi Corpus, Sanguinem, Animam, Virtutes, Divinitatem, Personas Divinas: unde mihi convivium est cum Deo. Petam ex singulis fructum percipere.

*Cons.* 1. In Venerabili vi verborum esse Corpus Christi: orabo, & dicam: O Jesu, incorpora me tibi, & fac me unum de tuis in concreto, seu prædestinatis.

2. Esse ibi Sanguinem Christi, per concomitantiam: orabo, & dicam: O Jesu, per Sanguinem tuum fiat cor meum immaculatum, & caro mea, ut non confundar.

3. Esse ibi animam Christi: orabo, & dicam: O Jesu, fac animam meam secundùm Animam tuam.

4. Esse ibi virtutes Christi: orabo, & dicam: O Jesu, fac me participem earum secundùm prædestinationem meam, voluntatem tuam.

5. Esse ibi Patrem, similiter per concomitantiam: orabo, & dicam: O Jesu, subtrahe mihi hâc die potẽtiam prævisam, efficacem ad omnem actum mentis, oris, operis, repugnantem SS. Legi, Consilijs, & inspirationibus tuis: Et da potentiam efficacem ad omnem actum conformem voluntati, nutui, & gustui tuo.

6. Esse ibi Verbum: orabo, & dicam: O Jesu, aufer à me ignorantiæ tenebras, & illumina vultum tuum super nummum tuũ: sum enim imago Dei.

3. Esse ibi Spiritum sanctum, orabo, & dicam: O Jesu, da mihi septem dona Spiri-

tûs

tûs sancti, & duodecim fructus ejus. Orabo etiam B. Virginem, ut cùm hîc etiam sit Caro & Sanguis ejus, dignè ijs frui possim.

## MEDITATIO CLXXXII.

## Domin. infra Oct. Corporis Christi.

### *In Eucharistia sunt omnia.*

VIdebo mensam illam magnam, cœlestem, plenam pinguedine vitæ æternæ, ubi spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, cum bonis omnibus: *Quia Deus hic nobis datur, & Deus est omnia*, ait S. Cyrill. hic. Petam agnoscere omne bonum hîc contentum, eóque frui.

*Cons.* 1. Septem accubitus Regis Christi: In sinu Patris, in sinu Virginis, in Præsepi, in Cruce, in justis, in dextera Dei, in Venerabili: Ubi proponitur vitulus saginatus, quia *hoc Venerabile Sacramentum est impinguativum dilectione, propterea figuratum fuit per vitulum saginatum* ait S. Bernard. Senens. tom. 2. & Filius senior indignatur, nam ferè natura Angelica turbatur, non vestem gratiæ, non annulum Fidei æmulans, sed vitulum saginatum, Corpus, & Sanguinem Domini.

*Cons.* 2. Quomodo in hoc accubitu & ferculo parãdo, Deus suam omnipotentiam impenderit, & totam insumpserit juxta illud

Bernardi, lib. de diligendo Deo: *Quid enim melius se ipso poterat dare vel ipse?*

*Consf.* 3. Quomodo insumpserit suam Sapientiam, *Qui facit mirabilia solus*, Ps 71. Non datur Scientia major, quam sit DEI, quæ in hoc ferculo communicatur, juxta illud Ruperti Abbat. in cap. 6. Joan. *Dominus illusionem nequissimi, qui dixit: Eritis sicut Dij non sine magno ejusdem cruciatu serió loquens in verum effectum convertit.*

*Consf.* 4. Quomodo insumpserit Bonitatem suam: quia, ut ait Chrysost. in illud Joann. 13. *In finem dilexit eos: nihil omisit, quod vehementer amantem deceret.*

*Consf.* 5. Quomodo insumpserit Misericordiam suam, sicut ipse ait: *Ego veni, ut vitam habeant* (Theophil explicat) *in Incarnatione, & abundantiùs: habeant in Eucharistia.*

*Consf.* 6. Quomodo, si fieri posset, ut esuriret Deus, solâ Eucharistiâ esset satiabilis, juxta illud Psal. 49. *Si esuriero, non dicam tibi, &c. Nunquid manducabo carnes taurorum?* &c. *Immola Deo sacrificium laudis, id est, Eucharistiam* inquit D. Chrysost. additque (in 1. ad Cor. cap. 10.) *Dicendo Eucharistiam, omnem Bonitatis thesaurum aperio*, Si, ut ait Salvianus lib. 2. *Dona illius etiam tua vota vicerunt*, optimè infert. Bern. supra citatus:

*Mulium*

*Multùm meruit de nobis, qui immeritis dedit seipsum nobis.* Et serm. 20. in Cant. *Disce à Christo, quomodo diligas Christum.* Qui totum dat, totum petit.

## MEDITATIO CLXXXIII.

## Feria 2. Dom. infr. Oct. Corp. Christ.

### *De duodecim Fructibus Venerabilis.*

VIdebo cibum, qui Angelis est in delicijs, quomodo homini sit in medicinam. *Audiat Christianus quilibet Corpus Christi de Altari participans, quantam de eo possit sumere medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem.* Ita S. Paschas. in Matt. c. 9. Petam fieri particeps hujus medelæ.

*Cons.* 1. Quomodo in duodecim mala ex arbore mortis prolapsi sumus: In peccatum, fomitem, errores, tentationes, tepiditatem, exiliũ, oblivionẽ, defectibilitatẽ, mortẽ, à Deo separati, Fide imminuti, Spe lapsi.

*Cons.* 2. Quomodo Evchariſtiæ beneficio restituamur: In hoc enim differt sacrificium in Cruce, & in Altari, quòd illud nemini in particulari donum ullum concesserit immediatè, sed fuerit tantùm sufficiens in genere pro omnibus, ac velut in abstracto: hoc verò tribuat cuique, quam Deus determi-

nat, gratiam, pro ratione dispositionis, quas gratias refert Richardus de venerabili tribus Versibus.

*Inflammat*, Ita D. Thom. opusc. 57. *Convivium omni suavitate repletum, quà mens omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur.*

*Memorat.* Quid sit homo: Ita D. Chrys. hom. 61. ad pop. *Corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus.*

*Sustentat.* Ita idem ibidem: *Carnibus meis alo, & meipsum vobis appono.*

*Roborat.* Ita Cyrill. in cap 6. Joan. *Quamvis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ ad vitam reformamur. Qui manducat me, ipse vivet propter me.*

*Auget Hostia spem.* Chrysost. hom. 6. ad pop. *Qui vobis me hic trado, multò magis in futuro.*

*Purgat.* Ita Chrysost. hom. 35. in Joan. *Omnia abluit peccata.* Et Cypr. de orat. Domin. *Mysterium Eucharistiæ eripit nos à voluntate peccandi.*

*Reficit.* Ita Chrysost. hom. 6. *Velut leones ignem spirantes, &c.*

*Vitam dat.* Ita August. tr. 26. in Joann. *Qui vult vivere, habet unde vivat, incorporetur, & vivificetur.*

*Et unit.* Ita Cypr. tr. de Sacr. Altar. *Ut*

*usque*

*usque ad societatem germanissimam ejus hac unitas perveniret.*

*Confirmatque Fidem:* nam in fractione panis aperti sunt oculi Discipulorum: & D. Cypr. inquit: *Quis est insipiens, declinet ad me.*

*Munit.* Ita S. Gaudent. tr. 2. in Ex: *Contra venena diaboli dulcem Medicinam sempiterni tutaminis consequitur.*

*Fomitémque remittit.* Ita Cypr. de Cœna Dom. *Vinum germinans Virgines, quo qui utitur, concupiscit oblivisci cuncta carnis ludibria:* & tr. de Nativit. Dom. ait abfuisse è domo Deiparæ omnes illecebras: *quia tanti habitatoris reverentia concupiscentiarum ludibria abigebat.*

## MEDITATIO CLXXXIV.

## Fer. 3. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.

### *De alijs fructibus Venerabilis.*

ASpiciam è Venerabili procedentes adhuc plures fructus, ut è vite botros. Petã eorum fieri particeps.

*Cons.* 1. Septem mirabilia, quæ per SS. Evchariſtiam accidunt. 1. *Caro Christi est pillula nostræ salutis.* Ita S. Vincent. Ferrer. de de Venerab. 2. Est *Vestis nuptialis Corpus & Sanguis Domini.* Ita S. Paschas. de Venerab. cap. 21. 3. *Est pro refectione famelicorum.* Ita Richar. à S. Laur. de laud. Virgin. 4.

*Si febribus æstuas, fons est.* Ita S. Ambros. de lib. 3. de virg. 5. *Virtute huius tibi factum est, ut mortui resurgerent.* Ita Rupert. lib. 6. in Joann. 6. Prodest animabus Purgatorij, quibus est quasi ros, ut habetur in vitis SS. ideo in Sacro tertia pars Hostiæ mittitur in calicem, in subsidium animarum. 7. Venerabile prodest etiam inferno. Ita D. Isidor. de offic. Eccles. lib. 2. cap. 28, *Valet etiam damnatis per modum diminutionis, quo enim plures salvantur, pauciores damnantur, & ita minor erit pœna per subtractionem consortij eorum:* quod consortium epulo timens Luc. 16. rogavit, ne fratres eò venirent.

## MEDITATIO CLXXXV.

## Fer. 4. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.

### *De alijs fructibus Venerabilis.*

ASpiciam Dominum Evcharisticum, quasi carbunculum, ut ait D. Thomas Opusc. 58. cap. 22. *Carbunculum signat Corpus Domini de Altari sumptum, & charitate inflammatum, quod de manibus Seraphinorum nos quoque, ut reficiamur, accipimus.* Petam agnoscere septem Christi actus, quos in Evcharistia elicit, ut revelavit ipse S. Mechtidi.

*Cons.* 1. Actum Christi, quem elicit in Venerabili Humilitatem: quia nullus tam malus est, qui si ad Christum Evcharisticum veniat, non acceptetur à Christo.

2. Esse Patientiam: quia patienter sustinet quemvis peccatorem: & suum inimicum.

3. Esse Amorem: quia paratus est ad inflammandum quodvis cor obstinatum.

4. Esse liberalitatem: quia vult ditare quemvis pauperrimum.

5. Esse abundantiam: quia vult satiare omne cor, licet alias satiabile.

6. Esse Claritatem: quia vult illuminare præsentiâ suâ quemvis cæcum.

7. Esse Sanctitatem: quâ vult ad fervorem & devotionem excitare quēvis segnem, & indevotum.

## MEDITATIO CLXXXVI.

## Fer. 5. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.

### *De reliquis fructibus Venerabilis.*

ASpiciam SS. Eucharistiam pleniorem fructibus, quàm sit Mare guttis, Sol atomis, Firmamentum stellis, Empyrium Spiritibus beatis: quia id agit Christus in Eucharistia, quod in cœlo, sed in cœlis exhibet nobis innumera bona, ibidémque offert Patri æterno, quidquid egit, vel tulit. Petam agnoscere illos fructus cælestes, & consequi.

*Conf.* 1. Quomodo Christus in Venerabili agit advocatum nostrum circa pręcipuū negotium salutis nostræ. Inprimis circa Fidem, quæ tripliciter illi committitur. 1. Ne unquam

unquam ulla vi à vera Fide declinemus, per potentiam Patris. 2. Ne spiritu erroris seducamur, per Sapientiam Verbi. 3. Ut Fides nostra per dilectionem omnia operetur, agente Spiritu sancto, ut vento in follibus. Qui hæc cum Christo petit, in fine vitæ suæ nunquam tentabitur in Fide: ita Dominus divæ Mechtildi lib. 4. cap. 24. Deinde ratione Spei, quia Deus paratior est hominem suscipere, quàm ipse venire: qui nullum vult perire, exceptis ijs, qui sponte volunt damnari: quia quis sapiens aurum cum labore acquisitum, & sibi dilectum proijceret, & perderet? quis nauta bona sua, cùm in portum deducta essent, sponte in mare proijceret? sic non abijciet ultro animam, quam ab infantia tanto labore dilexit Deus. 3. Ratione Charitatis: ita ibidem Dominus S. Mechtildi apparens in veste sanguinea dixit: *Sicut hostiam in Ara Crucis me obtuli, sic adhuc eodem amoris affectu assisto DEO Patri, pro peccatoribus omnia genera Passionis meæ repræsentans, & hoc maximè mihi desiderabile est, ut peccator per pœnitentiam veram ad me convertatur, & vivat.*

*Cens.* 2. Quomodo Dominus in Eucharistia liberalitate Divinæ Majestatis suæ, l. 3. ibid. c. 15. dicat. *Ibi ego omnium vulnera sano, omnium paupertatem virtute dito, & omnium*

*afflictio-*

*afflictiones relevo:* & c. 17. Ad Agnus Dei, 1. Offero me Deo Patri cum omni exinanitione pro vobis. 2. Offero me cum omni amaritudine Passionis meæ in plenam reconciliationem. 3. Cum toto amore divini cordis in supplementum bonorum, quæ homini desunt.

*Cons.* 3. Nullum esse in natura medicamentum contra omnes morbos: quia nullum habet in se qualitates contrarias aptas curandis morbis omnibus. Sola Eychariſtia universalis medicina est: imò omnia: *Dominus noster nunc est pars in singulis, in Salomone sapientia, in David bonitas, in Iob patientia, in Petro Fides, in Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera: in Eucharistia esca, ipse est omnia,* ita D. Hieronym. Epist. ad Adamant. Audiam nunc interrogantem Chrysost. hom. 27. ad pop. *Quare quæso, sub Apostolis virtutes edebantur, sub nobis verò nequaquam, cùm idem sit Deus?* & respondet: *non est par usus.* Petamus ut SS. Eucharistiâ, sicut oportet.

## MEDITATIO CLXXXVII.

## Fer. 6. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.

### *De negligentibus celebrare, vel audire Missam.*

ASpiciam Sacerdotem in throno Altaris sacrifican-

sacrificantem Domino Hostiam immaculatam in odorem suavitatis. Petam agnoscere, & evitare reatum intermittentium Missam celebrare, vel audire debitè.

*Cons.* 1. Verba S. Bonav. tr. de præp ad Miss. c. 5. *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantùm in eo est, privat SS. Trinitatem laude, & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio gratiæ in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, seipsum medicinâ, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates.* Quomodo respondebo Deo his septem fructibus cœlum, & terram spolians,

*Cons.* 2. Quomodo non solùm hominis, sed, ut sit Rupertus, lib 3. in Exod. cap. 10. *Hic panis victus est, & vita Angeli substantia,* nam in eum desiderant Angeli prospicere; quod quia contempsit Angelus facere, cecidit, & factus est diabolus, qui & hujus panis sempiternam patiens inediam, semper est pallidus, & mors illum sequitur.

*Cons.* 3. Verba Chrysost. homil. 45. in Joann. *Si purè accessisti, ad salutem accessisti, sin pravâ conscientiâ, ad pœnam, & supplicium;* & S. Cypr. *Nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit: cùm timere plùs debeat, quem sibi Dei judicis censura servavit.* Inter angustias constitutus; Si non celebro, reus sum:

sum: si indignè, magis reus: itaque conscientiæ puritati me totum addicam.

## MEDITATIO CLXXXVIII.

## Sabb. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.

### *De fine, quo accedendum ad Missam.*

AUdiam Seraphicum Doctorem instruentem, quibus affectibus ad Missam accedendum sit: ut enim aqua talis apparet, quales sunt flores prati, per quod labitur, sic Christus juxta cuiusque dispositionem esse communicat, Petam eos intelligere, & exercere.

*Cons.* 1. Non accedendum desiderio avaritiæ, aut vanæ gloriæ, aut humanæ complacentiæ, temporalisque favoris causâ, vel consuetudine, sicut multi his diebus abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem; sed trahat te conscientia & remorsus delictorum ad veniam culpæ & pœnæ, infirmitas tua, ad medicinam: tribulatio ad protectionem & gratiam spiritualem, per eum, cui Pater nihil negare potest, obtinendam: trahat te cultus Dei, religio, & amor Dei, ac unio, gratiarum actio pro innumerabilibus beneficijs, laus Dei, & Sanctorum, quibus nihil præstantius offerri potest: compassio proximorum, nihil enim pro vivis & defun-

defunctis interpellat efficaciùs, quàm Sanguis Christi effusus in remissionem peccatorum: trahat te denique sitis augendæ gratiæ, quia hoc Sacramentum fontem continet omnis sanctificationis, cætera sunt tantùm rivi gratiarum. Hæc omnia suo etiam modo locum habent in ijs, qui Sacrificio assistunt, & censentur unà cum Sacerdote illud Deo offerre, unde Sacerdos se ad *illos* convertens dicit: Orate fratres, ut meum & vestrum Sacrificium acceptum fiat apud DEVM.

*Cons.* 2. Verba illa: Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo, accipiam, non ut Cain Abelem ad occidendum, fratres Josephum ad vendendum, uxor Samsonem ad prodendum, Herodias caput Joannis ad illudendum, Judæi Christum ad crucifigendum, sed ut Isaac cibum à Jacob, Abraham Angelos, filia Pharaonis puerum Mosen, Mater Tobiam: Magi, Martha, Centurio, Magdalena Christum, Apostoli eundem in cœna Domini. Mater Dei Filium, Pater eundem in cœlos intrantem.

*Cons.* 3. Accipiam ut infirmus Medicum, mortuus vitam, debilis fulcrum, solus Comitem, viæ ignarus Ducem, debitor Satisfactorem, inferno dignus Salvatorem, frigidus carbonem ab Altari, aridus fontem aquæ

aquæ vivæ, afflictus consolatorem, vallatus ab hostibus defensorem. Accipiam sub pœna mortis, *Nisi manducaveritis*, &c. sub spe promissi, *Non veni propter justos.* Ab Altari munus SS. Trinitati offerendum Deum Deo per Deum, quia est, qui est, ad dandum gustum Deo: pro beneficijs acceptis & accipiendis, pro venia culpæ, pœnæ pro culpis debitæ, pro donis, quibus egemus, pro necessitatibus in quibus sumus & erimus, pro amicis, & inimicis, vivis, & defunctis, &c.

## MEDITATIO CLXXXIX.

## Dominica 3. post Pentecosten.

### *De appetitione DEI ultimi finis.*

VIdebo pulchrum opus universi exornatum à Deo, ut ornatur imago à pictore, infra me malam, supra me bonam æternitatem, juxta merita quoque, vel demerita ad alterutram festinantes. Petam non aberrare à fine meo, ut contigit ovi perditæ.

*Cons.* 1. Mundum à Deo creatum non utilitati, nullius indigi, sed manifestandæ bonitati Dei, non ipsi Deo, quàm antè ab æterno novit, sed creaturis non irrationalibus, cognitionis incapacibus, intellectualibus igitur, qualis est homo. Quare si omnis res visibilis corporali vitæ hominis servit, corpus autem ordinatum est ad animum nobi-

nobiliorem, animæ verò præcipui actus hominem perficientes sunt cognitio, quæ ex fine perficitur, & universa propter semetipsum operatus est Dominus, ad gloriam suam. Igitur propter Deum agnoscendum creatus est mundus visibilis. Gratias agam Domino, quòd tam magna & multa mihi dederit, naturalia, & supernaturalia. Dolebo, quòd tanta dona vel amiserim, vel otiosa habuerim, vocationi non responderim, auxilia contempserim.

*Cons.* 2. Quæ à me requiruntur, esse septem: Agnoscere Deum, reverri, laudare, corde, ore, opere, eique servire, idque propter septem causas: Benefactori enim debeo esse gratus, initium autem gratitudinis est eum agnoscere; excellentiæ debeo reverentiam, quæ datur personæ, propter id, quod est; præclaræ factis personæ majorem debeo laudem, præsertim propter excellentiora opera, ut sunt supernaturalia, servitutem debeo Superiori, præterquam, quod quisque teneatur ordinare actiones suas ad exequendum munus à Deo sibi impositum, quisque etiam tenetur actiones suas perficere, finis autem opus perficit: ubi denique labore temporali venale proponitur præmium æternum, quod si negligatur, pœnæ intentantur æternæ, inevitabilis incumbit Deo ser-

vienda

viendi necessitas. Gratias agam Domino, quòd me non ad serviendum creaturis, sed sibi, ad obtinendam cum Angelis gloriam condiderit. Proponam ex rebus creatis admittere, quæ ad Deum ducunt, reijcere, quæ seducunt, ad hoc auxilia postulare.

*Cons.* 3. Quia me *Deus creavit hominem inexterminabilem*, Sap. 2. Non ut visibilia secter: quia ijs sum excellentior, sed ut Deum agnoscam, igitur proponam divina meditari: ut Deum reverear, Deum igitur timere, & amare super omnia volo: ut eum laudem, actus igitur religionis internos, externósque frequentabo, ut ei serviam, vivam igitur gloriæ Dei victima, *quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ*, Eccles. 12. & si aberrare non vult in malam æternitatem, debet de rebus sentire, sicut sentit Deus; sensus Dei de rebus habetur a Christo tribus hisce verbis: *Illi soli servies:* Matth. 4. Ergo suasiones mundi, carnis, dæmonis nõ attendam, sed Christi exemplo mandata, consilia, & inspirationes divinas exequar. Amorem proprium, commoda, honores, vanum timorem, indocilitatem, proprium judicium, pertinacem voluntatem, superfluum affectum vitæ, tanquam vilia, & coram Deo, ac Sanctis ejus infamia obstacula, rescindam ope Dei Eucharistici, qui *propriarum ovium cibus simul & fons factus est.* ita Theodoret: in Psal. 33.

MEDI-

## MEDITATIO CXC.

## Feria 2. Domin. 3. post Pentecost.

### *De malitia peccati mortalis.*

INtuebor quandam abyssum tenebrarum horribilium exteriorum. Petam intelligere malitiam peccati.

*Cons.* 1. Peccatum esse actionem liberam debitâ rectitudine carentem, quâ quis legem se obligantem, ac obstringentem transgreditur, & quidem mortale eò usque rectæ rationi ac divinæ legi adversatur, ut vitam spiritualem eripiat, & mortem afferat animæ peccanti: *Stipendia enim peccati Mors.* Ad Rom. 6.

*Cons.* 2. Quomodo hoc malum universa mala in summo gradu contineat. Malum est Paupertas, majus malum peccatum lethale, quod animam omnibus donis spiritualibus spoliat, subinde solâ Fide, & Spe relictâ. Malum est dolor, majus peccatum lethale, *ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit sicut coluber, & sicut Regulus venena diffundet.* Prov. 23. Malum est servitus, sed majus peccatum lethale, quia eo servitur affectibus, vilissimis ancillis, & dæmoni vilissimo hero. Malum est infamia, sed peccatum lethale est infamia gravior, quæ per omnium ora volitabit, & in novissimo die in illo Orbis theatro omnibus hominibus palàm fiet. Malum est morbus; sed

sed peccatū lethale tàlis est ægritudo, quam nulla vis naturæ sanat. Malum est Mors, sed peccatum lethale Mors est, quæ animam occidit, & à Deo vita ejus separat.

*Cons.* 3. Parum dixit, qui dixit: *Quasi à facie colubri fuge peccatum*; dicere debebat magis, quàm à paupertate, dolore, servitute, infamia, morbo, morte. Magnum necesse est esse malum, quod Christum ad lamenta coëgit; *ideo turbavit semetipsum Christus, ut significaret tibi, quomodo turbari tu debeas, cùm tantâ mole peccati gravaris.* Ait D. August. 11. 49. in Joann. Ingens debet esse malum, quod ipsum Deum exacerbat: *Exacerbavit Dominum peccator.* Psal. 9. Multa bona mihi fecit Deus; Vita gratiæ mihi data constat sanguine Filij Dei: propter quod eorum Deum exacerbavit? Recurram ad eum, *qui peccatum non fecit.* 1. Petri 2.

## MEDITATIO CXCI.

### Feria 3. Domin. 3. post Pentecost.

### *De fœditate peccati mortalis.*

ASpiciam drachmam amissam in fœdo luto conculcatam, Petam agnoscere fœditatem peccati.

*Cons.* 3. Deformitatem peccati posse nosci ex oppositâ animæ pulchritudine. Ex homine caput deorsum habente, & omnibus

membris miserabili perversitate distortis: talis est anima per peccatum. Cæcus homo fit per peccatum surdus, mutus, sensibus privatus, paralyticus. Si corporis deformitatem videntes oculi turbantur, & quasi terribili ictu perculsi ab ea refugiunt, quid faciunt mentis oculi, cùm vident peccatum mortale, quod à summa pulchritudine maximè elongat, illíque maximè oppositum est.

*Cons* 2. Quomodo triplex status peccati mortalis, per treis mortes significetur. Puellæ, Marc. 5, Adolescentis Luc. 7. Lazari Ioan. 11. Quorum 1. interiori consensu perficitur. 2. Exteriori opere consummatur. 3, Inveteratâ consuetudine, & cordis duritie completur.

*Cons.* 3. Quomodo tria sint in hoc mundo juxta D. Bernardum, nigriora, & deteriora omni malo, videlicet Anima peccatoris perseverans in peccato, quæ est plus nigra, quàm corvus, & mali Angeli, quos eam rapiunt in die mortis ejus, & Infernus, in quo jactatur. Iterum tria sunt, quibus non sunt meliora: Anima videlicet justi hominis perseverans in bonis operibus, quæ est pulchra sicut Sol; & sancti Angeli, qui eam suscipiunt in die mortis suæ: & Paradisus, in quo collocatur.

## MEDITATIO CXCII.

### Feria 4. Domin. 3. post Pentecost.

*De abyssali confusione peccatoris.*

VIdebo mundum habitationem corporis exulis, corpus autem carcerem animæ, & cloacam, animam verò tot monstris horridam, quot vitijs contaminatam Petam exagnitione gravitatis peccati extremè confundi.

*Cons.* 1. Quòd offensio fiat vel in persona, vel in honore, vel in re. peccatum est offensa Dei, non in se: Quia repugnat ladi Deum in se: sed in honore Dei, & creatura eius; omnis enim peccans (non ago de peccato in proximum) agnoscit se offendisse, non se: Nemo enim volēs se offendit: ergo Deum, licet ignoret plenè: & quidē offendit Deum, non in se, sed in honore; quia in præsentia infinitæ sanctitatis agit contra legem eius: offendit etiam Deum in creatura sua; quia peccatum deformat hominem, qui est res Dei, impedit Deum, ne in creatura rationali operetur opus præstantissimum, quod est beatitudo æterna.

*Cons* 2. Quomodo peccatum eripiat gloriam Deo: quia postponit vilissimæ creaturæ Patrem, aufert gratiam; inhonorat Majestatem præsentem, separat ab amicitia Dei;

Angelorum, Sanctorúmque intercessionem inutilem reddit, habitationem Spiritûs sancti prostituit, est causa mortis Christi, profanat eius sanguinem, incapacem facit meritorum Christi, mancipat diabolo peccantem, morti, inferno, æternùm, & causat plures lapsus. O peccatum furia infernalis, quantam uno impetu stragem patras?

*Cons.* 3. Debere me dolere *de peccatis*, confundíque magis, quàm de plagis fœdissimis, vulneribus periculosissimis, morbis desperatissimis, magis quàm de extrema paupertate, infamia, calamitate, damnísque irreparabilibus virium mearum. Immanis est confusio mea propter naturam lapsuum, prohibitionem eorum, tantámque multitudinem eorundem: his stolam gloriæ perdidi, ignominiosè nudatus. Quomodo me creaturæ sustinuerunt, terra nõ absorbuit, aquæ non demerserunt? Omnia mala non absumpserunt? Confusionem mihi augebunt verba Apostoli: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum Mors est.* Ad Rom. 6.

## MEDITATIO CXCIII.

### Feria 5. Domin. 3. post Pentecost.

### *De erectione peccatoris ad spem veniæ.*

Videbo

VIdebo sistentem se coram Angelis Dei confusione amictum, vinculisque constrictum prodigum, à gemino dolore ob commissa, & omissa deductum, præ rubore, & apprehensione attonitum. Petam cum eo erigi ad spem veniæ.

*Cons.* 1. Verba D. Bernardi de Prodigo serm. 17. in Cant. *Quâ fronte attollo jam oculos ad vultum tam boni Patris, tam malus Filius?* Deinde cum Tertull. lib. de Pœnit. inquirã? *Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet; tam Pater nemo, tam pius nemo*; quia sub peccato præcipit mihi, ne desperem; sub peccato novo jubet, ut spem indulgentiæ concipiam: Reviviscam ad hæc nova, & inexpectata Dei promissa.

*Cons.* 2. Quòd veniam, & misericordiam sperare jubear per merita Passionis Dei, quorum fructus est remissio peccatorum; per sanctitatem Humanitatis, majestatem Divinitatis, per intercessionem B. Virginis, & Sanctorum omniũ, quos singillatim invocabo, ut pro me intercedant ampliùs, & quæ sanctus August. lib. 2. Conf. cap. 2. petere solitus, impetrent: *Odium præteritorum malorum, contemptum præsentium bonorum, desiderium futurorum.*

*Cons.* 3. Quomodo deinceps statuere debeam per Sacramentum pœnitentiæ perdita

repatare, & præcepta ſervare, Confeſſionem mihi ſuavem facient. 1. Dominus dicent, jugum ſuum eſſe ſuave. 2. Quòd hoc beneficium non Angelo, ſed homini factum ſit, qui aut in ſimilia, aut in majora peccata labitur. 3. Quòd fiat homini locum Dei tenenti, ejúſque poteſtatem habenti. 4. Quòd ſub tam inviolabili ſigillo confeſſio accipiatur, ut confeſſor debeat priùs omnes cruciatus pati, & mortem, quàm confeſſionem aperire. 5. Dominus mirâ providentiâ facit Sacerdotem, vel peccatorum ſtatim oblivíſci, aut ea non conſiderare, ut ignominioſa peccatori. 6. Nullo modo poteſt uti ſcientiâ Confeſſionis ad gubernationem, & ex ea pœnitentem, vel loco movere, vel officio. 7. Utilitas eius ſunt, culpas lavare, & pœnas, gratiam ad cavenda peccata in poſterum conferre. Studebo ad majus gaudium dandum Angelis cautior, humilior, ferventior reſurgere. Ita Greg. hom. 34.

## Meditatio CXCIV.

## Feria 6. Domin. 3. poſt Pentecoſt.

### *De propoſito non peccandi, & ſatis faciendi.*

Videbo prodigum ante pedes Patris humiliter proſtratum ſe accuſantem, priſtinis moribus affectu, & effectu renuntian-

tem, statuentémque, vel ipsam mortem subire, quàm peccatis consentire. Petam eum imitari, Deum amare inchoantem.

*Cons.* 1. Quomodo filius prodigus confessus sit coram Patre peccata sua, & cum eo multi prodigi filij, ex agnitione gravitatis peccati, ex timore, propter ineffabiles pœnas, quibus inimicos suos Deus æternùm punit, timore, propter inæstimabilia dona gratiæ, & gloriæ, ne ea irrecuperabiliter amittant; sed super omnia timore filiali, cui annexa est spes veniæ, accusent se coram Domino innumerabilium debitorum, ut ab eo justificentur, quòd præcepta duo Charitatis nō custodiverint, Deum non ex toto corde, &c. Proximum non sancto amore, sed vel carnali dilexerint, vel oderint; decem Præcepta non servaverint, Deo cultum non exhibuerint, nomen ejus in vanum assumpserint dies sacros violaverint, majoribus non obediverint, damna proximis intulerint, corpus minus honestè tractaverint, aliena diripuerint, vel inutilia reddiderint, de proximis detraxerint, impuras cogitationes admiserint, aliena temporalia desideraverint: Quibus & ego hæc addere possim, quòd Præceptis Ecclesiæ non paruerim, Missæ Sacrificio debitè non adstiterim, jejunia non observaverim, ad Pœnitentiam non convenienti dolore,

examine, proposito accesserim, Evchariſtiam tepidè acceperim, primitias vitæ, & decimas temporis Deo nō consecraverim, timidus superbiâ, anguſtatus avaritiâ, infectus luxuriâ, consumptus invidiâ, dehoneſtatus gulâ, laceratus irâ, ligatus acediâ; alienis me infecerim mala jubendo, ſuadendo, in ea consentiendo, laudando, non prohibendo: Misericordiæ opera omittendo; ſpiritualia, & corporalia: Sacramentis, viribus animæ, Dei donis, tempore ad bene vivendum conceſſo abuſus. Confitebor has meas culpas eſſe, quia meo conſenſu, & liberâ voluntate factas.

*Conſ.* 2. Propoſitum emendationis, quod Contritionem inſeparabiliter comitari ſolet, eadem habet excitatoria, quæ filialis amor, immenſam Dei bonitatem, innumerabilia beneficia eius. Huic annexa eſt ſatisfactio pro peccatis impoſita pœnitenti exequenda fortiter, quæ erit pro ſuperbia humiliatio, pro avaritia Eleemoſynarum largitio, pro impudicitia carnis caſtigatio ciliciis, & flagellis, pro gula jejunium, pro loquacitate ſilentium, aut oratio, pro invidia Charitatis opera, &c. Hæc ſatisfactio proportionata peccatis eſſe debet, ut hìc divinæ juſtitiæ ſatisfiat: dum facilè fieri poteſt, ne alterius vitæ ſatisfactio difficilis maneat ſubeunda. Offeram ad divinum obſequium intelle-

intellectum, voluntatem, vires corporis, ad ferenda multa, & varia tormenta, & afflictionum genera. Statuam ab his, quos læsi, veniam petere, & coram illis me submittere, omnibus, qui me læserunt, ignoscere. Petam humiliter indulgentiam, & pro spe ejus concepta gratias agam.

*Cons.* 3. Verba D. Bernardi serm. 3. in Cant. *Si dixerit mihi IESVS, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit?* Ut autem peccare desinam, tria petam cum D. Augustino lib. 2. Conf. cap. 12. *Occasionis subtractionem, resistendi virtutem, affectionis sanitatem.*

## MEDITATIO CXCV.

## Sabbato Domin. 3. post Pentecost.

### *B. Virgo refugium peccatorum.*

COnstituam me reum coram integerrima Dei parente, vanum coram humilitate ejus, & petam cum D. Bernardo: *Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum.* Ser. 2. de adv. Dom.

*Cons.* 1. Promptitudinem B. Virginis mihi succurrere volentis, meúmque *ve* in *ave* commutaturæ, si septem causas peccatorum exstirpare volo quæ sunt: 1. Dictamina erronea. 2. Voluntatis ad bonum naturale

propensio, & spiritualis boni postpositio. 3. Appetitus inferior, trahens voluntatem ad bona sublunaria. 4. Passionum intemperantia, & complexio inordinata. 5. Mali habitus. 6. Occasiones externæ. 7. Tentationes dæmonis.

*Cons.* 2. Ad extirpandas has septem causas lapsuum opus mihi est contra 1. causam Intellectu, ad elicienda lumina practica. Contra reliquas quinque opus est mortificatione. Contra septimam fideli recursu ad eum, quem Dei loco habeo. Itaque meditatione, & mortificatione obtinebo victoriam contra omnes lapsuum causas.

*Cons.* 3. Quomodo proposita totius septimanæ ad sanctum Altare pedum B. Virginis offeram, juxta Proph. Baruch. *Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à Deo: decies tantùm iterum convertentes requiretis eum.* cap. 4. vers. 28. Digni fructus pœnitentiæ sunt: 1. Impositæ à Sacerdote pœnitentiæ, quæ ex opere operato juxta proportionem, quam habent cum pœna, operantur. 2. Opera satisfactoria ab existente in gratia Dei facta: quia, ut ait Trid sess. 14. cap. 8. *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus.* Sunt ea opera oratio, psalmodia, eleemosyna, opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, jejunium

nium in cibo, potu, somno, solitudine, castigatione corporis. 3. Per suffragia, seu per merita aliorum, preces eorum requirendo. 4. Per Indulgentias. 5. Per actus heroicos, ut commorari cum publicano in infimo loco, cum Augustino in Catechesi, cum B. Borgia sub pedibus Judæ: cum Maria ad pedes Christi, tanquam justitiæ & misericordiæ victima perennis: quia *gratia Dei vita æterna in Christo IESV Domino nostro*, ad Rom. 6.

## MEDITATIO CXCVI.

## Dominica 4. post Pentecosten.

### *De peccati venialis fuga.*

INtuebor retia umbrosa, quibus passim optimi quique intercipiuntur peccati venialis rei. Petam extensa per orbem retia illa evitare.

*Cons.* 1. Peccatum veniale, licet ob sui parvitatem vitam spiritualem animæ non auferat, temporalem tamen pœnam infert. Et licet nemo possit in hac vita, sine speciali privilegio, omni levi peccato carere, quemvis tamen posse, cum Dei gratia, peccata levia magis, ac magis minuere, vel ideo, quia pravitas sunt, atque adeo in numero illius sunt mali, quod *nihil* dicitur, & ubique capitur.

*Conf.* 2. Quomodo, qui ad primum vitæ spiritualis gradum, divinâ gratiâ adjuvãte, per fugam lethalium peccatorum consuetudine firmatam, ascenderit, opus sit, ut ad secundum progrediatur, ad fugam videlicet levium peccatorum: quod negotium ut intelligat, ne aut ultra humanæ naturæ possibilitatem præsumat, aut imbecillitatem prætendens, ad id, ad quod *pertingi* à viris spiritualibus potest, non tendat, 1. noverit certum esse, posse hominem etiam post Adæ peccatum cum gratia Dei, omnia, & singula peccata venialia vitare, ita Aug. l. 2. pecc. mort. c. 6. 2. Certum esse nullum purum hominem, exceptâ Deiparâ, omnia peccata vitâsse, & ab omni macula immunem fuisse, ut fatetur Apostolus ad Rom. 3. Potest aliquis in aliquo genere venialia vitare: ut hic nunquam, vel leviter furari: ille non extolli vanâ gloria: at in omni genere omnia venialia vitâsse ad Angelos pertinet, non ad homines. Hoc tamen in peccatorum venialium vitatione consequi solent viri perfecti, 1. ut nunquam, aut rarissimè peccata venialia scienter, & ex industria, & cum plena deliberatione committant. 2. Ea, quæ per ignorantiam, aut imbecillitatem cõtrahunt, indies postulatione amplioris gratiæ, & diligentissima vigilantia magis, ac magis minuant.

nuant. Quòd si suo desiderio de concupita puritate non satisfaciunt, patientiam habent usque ad adventum Domini.

*Cons.* 3. Fugienda esse peccata venialia. 1. Quia ad mala disponunt lethaliter nociva: licet enim peccatum veniale non sit mors animæ, est tamen adversa valetudo, est lepra, scintilla magnum incendium excitans, est pestilentia, & cuneus initio parvam ruinam faciens, mucro vulnerans, præcipitium; avis vel solo ungue capta tenetur; & magis vitanda sunt, quò minora censentur: quia lethalia aversamur ob peccati naturam, hæc contemnimus: parva res modicum humorem in corpore excitat, & necat: pulvis in oculos injectus totum corpus impedit, imbres claritatem non extinguunt, sed sopiunt: timenda ruina est, vel uno pede hostis in domo libero permisso. Petam à Domino JESV Eucharistico liberari ab omni culpa veniali, qui *solus est, quem retia non involuerint peccatorum.* Ambros. serm. 6. Psal. 118. solus, per se, ex natura Unionis.

## MEDITATIO CXCVII.

### Fer. 2. Domin. 4. post Pentecosten.

*De peccati venialis fuga propter damna, quæ invehit.*

PONam mihi ob oculos omnes sordes, sor-

fœtores, morbos, & in ijs aſpiciam damna, quæ invehunt peccata venialia. Petam ea intelligere, & cavere.

*Conſ.* 2. Quinque mala peccatorum venialium. 1. Quòd maculent animam, ut lutum, & ſcabies; ſplendidæ veſtis luculentiores ſunt ſordes. 2. Quòd fervorem charitatis imminuant. ignis aquâ conſperſus, aut nebulâ, vel humidâ nube circumdatus, *mortificatur.* Cinis carbonibus ſuperinjectus ipſorum ſplendorem aufert, & ardorem impedit: hinc juſti in oratione frigidi, in divinis laudibus tepidi nunquam internâ ſuauitate irrorantur, vix compunctionis ſenſu tanguntur, parvis, ſed multis vulneribus ſaucij, ad actiones ſalutis ſunt imbecilles; tenuibus vinculis, ac laqueis impediti currere non poſſunt. 3. Quòd vires animæ ad rectè operandum debilitent, intellectum obſcurent, ut nebulæ; affectum ligent, ut compedes: aſſuetudine autem, & habitu tepidè vivendi fit, ut ſemper tepidè vivatur. 4. Retardant hæc peccata à gloria æterna: quia illa civitas tota munda, nihil admittit inquinatum. 5. Peccatum leve ſæpe eſt peccati gravis occaſio: qui enim inverecundus eſt in huiuſmodi peccatis admittendis, meretur à Deo derelinqui, & in majora prolabi, ita Laur. Iuſt. de grad. perf.

*Conſ.* 2.

*Conf.* 2. Peccata venialia fugienda esse propter bona, quæ impediunt. Quinq; bona impediunt peccata venialia. 1. Animæ tranquillitatem tollunt, quæ in munditia ac puritate consistit, & confunditur ab accusante conscientia, & Deus oculis non turbidis, sed perspicacibus videri potest. 2 Minuunt verum honorem, qui non in alia est, quàm in eo, quòd simus fideles Deo; *Gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*: 2. ad Cor, 1. leviter enim peccando à fidelitate aliquatenus deficimus. 3. Levia peccata studiosas actiones inficiunt: vel quia ipsum hominem ea elicientem fœdant: vel quia eadem opera afficiunt, & debito splendore, ac perfectione privant. 4. Obstant divinis donis, & cœlestibus cõsolationibus privant. 5. Perfectionis iter retardant: nũ quam enim erit perfectus, qui modica etiam peccata minuere non curat: eò ipsò enim, quòd imperfectiones crescunt, Perfectio decrescit, Capiendæ proinde etiã vulpeculæ parvulæ, quæ demoliuntur vineas.

*Conf.* 3. Ex tribus in genere malis, in quæ peccata venialia devolvunt incautos, esse. 1. Quòd ad lethalia disponant. 2. Quòd quinque illa damna inferant. 3. Quòd hæc quinque bona impediant, Eliciam tota elevatione gratiæ Dei, odia, fugas, & dolores,

lores, contra omnia peccata venialia, præsertim quorum reus sum.

## MEDITATIO CXCVIII.

## Feria 3. Domin. 4. post Pentecosten.

### *De remedijs ad eluenda peccata venialia.*

VIdebo, quomodo etiam de levibus peccatis exigantur supplicia, sive in hac, sive in altera vita: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Matth. 5. Petam agnoscere remedia vitandorum venialium, iisque uti.

*Cons.* 1. Eadem esse remedia ad purganda peccata venialia, quæ ad mortalia: adeoque peccata venialia commissa delentur contritione, confessione, emendationis proposito, & satisfactione Sacramentali. Sed & extra Sacramentum actu divinæ charitatis. Sequentia remedia non sunt ad delendam culpam tam certa, ut v.g. attritio, oratio, propositum vitandi tale peccatum, actus vitioso contrarius, aliquod opus studiosum: neque enim Sanctorum, neque Patrum auctoritate nituntur, & experientia est, huiusmodi remedijs conscientiā non tranquillari.

*Cons.* 2. Circa confessionem venialium 1. notabiliora proponenda, non autem supprimenda, solis minutis, quæ ruborem injicere

cere non possunt, enumeratis, quod hypocrisin sonat: unde patet examen conscientiæ tali confessioni esse præmittendum. 2. Factâ examinatione conscientiæ dolor de ejusmodi peccatis est excitandus. 3. Propositum emẽdationis. 4. Confessio humilis. 5. Satisfactio perficienda per orationes, per afflictiones cárnis, per opera pietatis, ac misericordiæ: quæ remedia supposita confessione, & præmissa, pondus habent majus ad delendam pœnam.

*Cons.* 3. Alia remedia ad eluenda peccata venialia, post SS. Sacramenta, præcipuè Evchariſtiæ, quod est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur: eluuntur etiam peccata venialia oratione Dominica, confessione generali, tunsione pectoris, aquâ benedictâ, benedictione Episcopali, eleemosynâ, oratione in Ecclesia, si hæc & similia tnm pœnitentiæ motu assumantur.

## MEDITATIO. CXCIX.

### Feria 4. Domin. 4. post Pentecost.

### *De peccatis venialibus significatis per lignum. 1. ad Cor. 3.*

ASpiciam peccata venialia ab Apostolo sub metaphora ligni ad comburendum proposita, videbóque horrendum rogum è

lignis

lignis conflatum. Petam agnoscere, & mihi cavere ab ædificio tali.

*Cons.* 1. Quomodo super fundamentum, quod est Christus, cujus virtute merita roborantur, ejúsque Passione & Morte nituntur, ædificent alij ligna, quæ sunt peccata venialia crassiora, & aliquando à peccato mortali non admodum dissita, & aliquando ex genere suo mortalia, sed ob *carentiam* deliberationis, aut ob materiæ exiguitatem venialia redduntur, ut detractio, irrisio, cogitatio fœda, usurpatio rei sine facultate in cœnobijs. Ecce ligna domûs leprosæ mittenda extra civitatem, Lev. 14. ligna corrosa à locusta, ne ferant fructum, ligna imputribilia, quæ faber ad conficiendum idolum elegit, sunt ligna è terra cordis humani, à concupiscentia, quasi noxio humore rigata, & crescentia, tandem igne debitæ satisfactionis, aut in hac vita, aut igne temporali in futura consumuntur,

*Cons.* 2. Quod remedium adhibendum sit ad vitanda peccata venialia significata per lignum: nimirum exstirpanda sunt ea vitia radicitus, non præcidenda solùm, alias præcisa, ut spinæ, tribuli, in maledicta terra cordis repullulabunt. Obturandi fontes, unde hi rivi tam amari fluunt; mittatur in hos fontes amaros sal mortificationis, quod

amaras

amaras aquas exsiccet, & fluenta dulcissima virtutum fontibus restituat.

*Cons.* 3. Ut unumquodque peccatum possit extingui, causa atque occasio, per quam, vel ob quam admissum est, debet primitus amputari. Assiduis igitur orationibus, occasionum fugâ, spe in Dominum collocatâ, diffidentia sui, contrarijs virtutum actionibus contra hæc vitia pugnandum est.

## MEDITATIO CC.

## Feria 5. Domin. 4. post Pentecost.

### *De peccatis venialibus significatis per fœnum.*

VIdebo horribilem, voracem, fumantémque ex fœno flammam, per quod alia peccata venialia designantur. Petam ea intelligere, & evitare.

*Cons* 1. Peccata venialia dici fœnum, quoniam jumentorum, id est, insipientium sunt pabula, & per ardorē charitatis facilè ardēt. Et ex genere scienter, & ex industria, & quasi ex malitia committi dicuntur, qualia sunt officiosa mendacia, otiosi sermones, scurrilitates, cachinnationes, curiositates ad audienda, videnda, vel legenda vana, adulationes, ambitiones.

*Cons.* 2. Remedia ad vitanda levia peccata, significata per fœnum esse, radicem eorum

rum auferre: radix horum peccatorum est ignorantia hominis nescientis ponderare pœnam ruboris, quæ peccato etiam levi ex industria commisso ponitur. Quis enim præcipit hæc vitare? Deus summus, sapiens, bonus, potens, singulis momentis in nos liberalis, ac beneficus, cui Angeli serviunt, irrationalis creatura ad nutum obedit. Herus, ac Dominus noster, cuius in *Regno nati*, cujus Imperio nos peculiariter *in* Baptismo mancipavimus.

*Cons.* 3. Quis aulicus, aut servus præsente ac inspectante Domino sciens prudens mandatum Domini transgreditur? vel ut aliquid Rex aulico faciendum committeret, putas faciet contra Regis præsentis & inspectantis imperium? Non faciet: & peccator facit. Petam, ut serviam Domino in timore, & exultem ei cum tremore.

## MEDITATIO CCI.

## Feria 6. Domin. 4. post Pentecost.

### *De peccatis venialibus significatis per stipulam.*

VIdebo peccata venialia per stipulam significata ad comburendum. Petam ea intelligere, & evitare.

*Cons.* 1. Quomodo per stipulam significentur peccata ex infirmitate humana, ob quam habentes

habentes bonam voluntatem perfectè vivendi sæpe non possumus nos continere, quin ea committamus: tales sunt in orationibus distractiones, nimius rigor ex bono zelo procedens, aut nimia mansuetudo in reprehendendo, ex naturæ suavitate dimanans, tristitia modica in obediendo, excessus aliquis in alimenti assumptione.

*Cons.* 2. Remedia ad vitanda peccata venialia significata per stipulam difficilè inveniri, ut funditus destruantur, sed id solùm, quod ea indies minuat, eorum gravitatem imminuat, & nos ad ea vitanda faciat cautiores: non est autem id aliud, quàm suavis quędam attẽtio, & solers ac provida circumspectio, quâ omnia tam magna, quàm parva, tam exteriora, quàm interiora, divina, & humana tractamus. Aulicus legatus unius Regis apud alterum, quàm circumspectè omnia agit: Vel sic agat homo. Non erit autem hæc attentio anxia, & perturbata, si frequenter & assiduè usurpetur, ut anxia non est in studijs literarũ, in pictura, venatione piscatione, frequenter usitata attentio. Tunc autem exercetur, cùm volante aliquo opere attenditur, an id, quod agitur, bonum sit, (nam malum absque mora omittendum est) an ad bonum finem tendat, alioquin dirigatur, an debito loco, tempore, circumstantijs

stantijs fiat, an statui conveniat, an sui desiderio distractionem, anxietatem, & immoderatos affectus causet, an ad aliquod extremum, à virtutis medio abducat, an sit supra vires, an non à spiritu transfigurante se in Angelum lucis procedat, an dubia sit, & consilio egeat. Faciam reflexionem ad meipsum, quomodo me in his habuerim.

## MEDITATIO CCII.

## Sabbato Domin. 4. post Pentecost.

### *B. Virgo refugium labentium.*

ASpiciam B. Matrem omni labe etiam veniali carentem, sicut radios Solis sine atomis. Petam reconciliationem per ipsam.

*Cons.* 1. Quomodo *uniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Cuius opus arserit, detrimentum patietur*, ita S. Paulus epist. 1. ad Cor. cap. 3.

*Cons.* 2. Quomodo specialiter igne absumentur ligna, fœnum, stipulæ, quæ præcedentibus Meditationibus expendi, & quorum reum esse me agnosco, & quibus remedijs ad eadem, eorumq; causas exstirpandas me uti velle decrevi, esse verò septem causas peccatorum venialium. 1. Respectus humanus. 2. Neglectus examinis utriusque.

Medita-

Meditationis, & petitionis auxilij divini. 4. Contemptus rerum, quæ non sunt manifestè peccatum. 5. Libertas sensuum. 6. Otium. 7. Tepor.

*Cons.* 3. Quam sim insufficiens, ut hac de re proposita executione mandem, & aurum, argentum, lapides pretiosos, hoc est, bona opera superædificem, aurum charitatis, argentum sapientiæ, & contemplationis, lapides pretiosos virtutum omnis generis, quæ in B. Virgine, quàm maximè reluxerunt, & prorsus oppositæ actiones septem causis lapsuum venialium fuerunt. Ab hac deprecabor veniam, imitandi gratiam, perseverantiam.

## MEDITATIO CCIII.

### Dominica 5. post Pentecosten.

### *De extinctione vitiorum.*

AVdiam Dominum suis eductis ex Ægypto præcipientẽ, ut gentes multas (Deut. 7.) percutiant, eásque usque ad internecionem deleant, vitia nempe omnia. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in Regnum cælorum.* Matth. 5. Petam intelligere naturam vitiorum, ut ea extinguam.

*Cons.* 1. Vitium esse ægritudinem animæ virtutis sanitatem eliminans, vel deformitatem

tem animæ à virtute provenientem pulchritudinem turpantem, vel curvitatem animæ virtutis rectitudinem tollentem, vel tandem pravam affectionem, seu habitũ ad aliquod iniquum opus eam inclinantem:

*Cons.* 2 Quomodo hinc pateat vitium non esse tolerandum, sed abolendum, juxta illud Deut. 12. *Dissipata aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, disperdite nomina illorum de locis illis.* Sic Iosias contrivit statuas, & succidit lucos, replevítque loca illorum ossibus mortuorum, id est, vitia animæ eam obscurantia: lucorum sedes mortuorum ossibus replevisse est, ita adversus partes actusq; vitiorum depugnasse, ut ea victa nunquam resurgant.

*Cons.* 3. Ita verò contra omnia vitia pugnandum est, ut universa exterminentur, aliàs omnes virtutes non acquirentur: Hæ enim sine odio vitij, ac malitiæ, sibi è diametro oppositæ, non comparantur. Si igitur habere volo luctum, semper odio habebo risum: si humilitatem, semper execrabor superbiam: si continentiam, semper odio habebo gastrimargiam, &c. Qui vult esse misericors, avaritiam caveat, qui eremum habitare, frequentiam odio habeat. Petam virtute Sanctorum renovari, & aquâ lateris Christi lavari ampliùs.

MEDI-

## MEDITATIO CCIV.

### Feria 2. Domin. 5. post Pentecost.

### *De Gula.*

ASpiciam vitium Gulæ generi humano ab initio infestum, dæmonis diversoriũ: Quia *ubi saturitas, ibi dæmones choreas agunt.* ait D. Chrysost. hom. 57. ad pop. Petam illud agnoscere, & evitare.

*Cons.* 1. Gulam esse inordinatum appetitum cibi, & potûs: ejus species duæ, altera, quâ homo jucunda gustui appetit: altera, quâ nimietate distenditur ciborum. Præter quantitatem, & qualitatem etiam tempus refectionis accedit, & festinatio.

*Cons.* 2. Mala Gulæ, à qua nobis attendere jubemur, Luc. 21. Quæ tum corpori, tum animæ nocent; fons est, & origo malorum, præsertim ineptæ lætitiæ, multiloquij, scurrilitatis, spurcitiæ, hebetudinis, tum in sensu, tum in intellectu, & perditionis temporis. 2. Bona, quæ dissipat, ea videlicet omnia, quæ per abstinentiam comparantur, vitia comprimentem, virtutem elargientem, mentem elevantem. 3. Capiam remedium ex Christi & Sanctorum vita, quorum exempla ad sobrietatem, & gulæ detestationem accendunt. 4. Videbo brevis gulæ delectationem fœdam, & longa vestigia post se relinquen-

linquentem usque ad senectam, & ætatem illam venerabilem molestissimis doloribus & ægritudinibus agitantem, canitiémque reverẽtiâ dignam despicabilem efficientem. 5. Servabo Regulas S. Ignatij de abstinentia.

*Cons* 3. Indicia victæ gulæ. 1. Si vinci à gula, vel extremâ necessitate metuo. 2. Si pugnare adversus gulæ vitium statuo, & ut medicamenta alimenta sumo. 3. Si voluptatem inter edendum advertens, illi contravenio. 4. Si clamorem exactoris superflua postulantis non audio, & nego concupita. 5. Si non sine molestia lautius aliquid, pro lenienda corporis necessitate, percipio. 6. Si me sentio dono Castitatis affectum, & à carnis æstibus liberum. 7. Si in lautioribus convivijs scio lautitias contemnere, & absconditè earum excessum vitare, Danielis exemplo. *Colloquium* ad jejunantem D. JESVM, coram quo me accusabo de peccatis gulæ, si contra legem, si exquisitè, si immodestè comedi: odio habebo hæc propter effectus pessimos: statuam oppositis abstinentiæ actibus gulam prosternere: gratiam ad hæc postulabo.

## MEDITATIO CCV.

### Feria 3. Domin. 5. post Pentecost.

### *De Vitio Luxuriæ.*

Conci-

COncipiam velut nebulam pestiferam vitium Luxuriæ, de quo ait D. Hieron. *Amor formæ rationis oblivio est, insaniæ proximus.* Petam illud effugere.

*Cons.* 1. Luxuriam esse appetitum inordinatum impuræ, ac libidinosæ voluptatis, prohibitæ. Exod. 20. 1. ad Cor 6. species ejus notæ sunt; ejus verò, quæ latens est, quæque reliquias tantùm habet luxuriæ, 1. Gradus est, cogitationes libidinosas remisse, & oscitanter abijcere. 2. Inverecunda in proprio corpore, aut aliqua ejus parte nō necessaria contrectatio, vel aspectus 3. Mollis corporum tractatio, in cibis delicatis, vestitu singulari, odoribus circumferendis, molliores amicitiæ. 4. Lectio libellorum impudicorum, epigrammatum, carminum. 5. Intimæ familiaritates cum altero sexu, initio quidem bono prætextu, aut certè non apertè malo, ne dicatur aliquis agrestis, & nimis scrupulosus, solitarius, ac melancholicus. Ex quibus proveniunt prolixæ confabulationes, oculi, & aures fornicantur, aut saltem manent cogitationes, quæ cor succendunt igne pravæ concupiscentiæ. Post hæc sequuntur malè dulces querelæ, longam absentiam dolentes, sequuntur munuscula: hæc erunt pignora diabolicæ confidentiæ, & captivitatis.

*Conſ.* 2. Remedia hujus vitij eſſe: 1. Detestandam eſſe luxuriam, quæ animam fœdat,& corpus humanum, templum Spiritûs ſancti profanat, & in lupanar convertit. 2. Omnia initia luxuriæ vitanda: nemo enim poterit inter occaſiones, & aſpectus laſciviæ, & inter delicias carnis,animæ puritatem obtinere. 3 Primis cogitationibus impuris obſiſtendum,& nō aliter hæ excutiendæ, quàm ſcintilla in materiam ignis capacem injecta. 4. Excludendæ malæ cogitationes, occupando cor perpetuò in bonis cogitationibus,quia libido eſt *animi vacantis paſſio*. Ait Aut. op. imp. Hom. 40. 5. Senſus internuntij turpitudinis refrenandi: Mors enim aſcendit per feneſtras. 6. Corporis afflictio, & caſtigatio diligenda in abſtinentia, ſobrietate,veſtium aſperitate, in ſuſtinendo aliquo dolore. 7. In ſtudium orationis incumbendum, qua non tantùm auxilium contra luxuriam petatur,ſed magis affectus divini amoris exerceatur: nihil eſt, quod cū hoc remedio conferri poſſit, ad luxuriæ ardorem reſtinguendum.

*Conſ.* 3 Indicia victæ,luxuriæ eſſe: 1. Si ſtimulos carnis ſine culpa patiens de ipſorum importunitate doleam. 2. Si eoſdem quotidie remitti, ac debilitari experiar. 3. Si impuras cogitationes facile vincam,aut re-

ſpuam.

spuam. 4. Si castitatem amem, zelem, & in nullo lædi permittam. 5. Si sensuum portas, tactum, & visum custodiam. 6. Non tantùm alia corpora, sed memetipsum erubescam. 7. Si circumspectus sim in hac parte, & me infirmum agnoscens, etiam minimam turpitudinis occasionem fugiam. Accusabo me coram Domino JESV, puritatis amantissimo, de imperfectionibus in hac parte commissis: Abominabor hæc peccata, propter dictos effectus, statuam sensus cohibere, cogitationem frenare, corpus affligere, minùs puras familiaritates vitare, principio tentationis obstare, ab omni impuritate continere. Petam hoc magnum DEI donum.

## MEDITATIO CCVI.

## Feria 4. Domin. 5. post Pentecost.

### *De vitio Avaritiæ.*

POnam mihi ob oculos sub imagine hydropici inordinatum habendi appetitū. Petam eum agnoscere, & vitare.

*Cons.* 1. Avaritiam esse immoderatum appetitum acquirendi, vel retinendi bona temporalia; qui non est in eo, qui quantum, & quando, & quomodo oportet, velut aliquid temporale juxta necessitatem naturæ, vel statûs sui; sed in eo, qui dissentiens rectæ

rationi res temporales concupiscit: Sive id indebitè fiat, cum injuria proximi, sive sine injuria alterius, sed nimis inordinatè res temporales, sive acquirendas, sive retinendas expetendo: quæ propriè avaritia est, divina, ac cœlestia negligens, ut terrena possideat: prohibetur Matth. 6. *Nolite soliciti esse in crastinum.* Laborant hoc vitio, qui toti sunt in eo, ut necessaria sine ulla mensura procurent. Qui necessaria cum immoderato affectu possident, ex quo sequitur inquietudo, anxietas, & amaritudo. Qui res curiosas, & non necessarias desiderant, vestes, libros, apparatum cubiculi.

*Cons.* 2. Remedia hujus vitij esse: 1. Agnoscere malitiam avaritiæ: *avaro nihil est scelestius.* Eccles. 10. 2. Rerum visibilium brevitas, quæ si quotidiano usu non insumantur, vel per vim eripiantur, ipsâ suâ corruptibilitate putrescunt: Si verò ipsæ se non subtrahant, possessor vitam deserens eas nolens, volens, relinquere cogitur. 3. Bona temporalia nec capacitatem mentis explent, nec aviditatem exsatiant, licet sint copiosissima. 4. Christi, & Sanctorum exempla, ad omnium rerum contemptum invitant. 5. Spes in Domino collocanda, ac de ejus suavissima providentia confidendum. 6 Recedendum à consortio cupidorum, qui solo corpore, non

mente temporalia neglexerunt, abundantiam & splendorem divitum amant, & nihil in cibo, potu, indumento refugiunt, nisi ob cujus admissionem riderentur. 7. Debemus mundo mortui esse: at si prodigium, aliquem mortuum è sepulchro surgere, opibus, aut curiositatibus repleri: Simile prodigio sit mundo mortuum secularia concupiscere, opes, & curiositates, omnémque superfluitatem.

*Cons.* 3. Indicia extinctæ avaritiæ esse. 1. Si divitias ex consilio Christi libenter in pauperes distribuam. 2. Si nec obolum ad proprias necessitates sublevandas custodiam: sed in benigna præsidum cura, ac in Domini providentia confidam. 3. Si superflua respuam, necessaria sine anxietate concupiscam. 4. Si occurrentes necessitates, ac indigentias hilariter, & æquanimiter sustineam, 5. Si pro necessitatibus ultra mensuram nō soliciter. 6. Si gratis dem, quod gratis accepi. 7. Si religiosus sum, ne ordinis instituta, ad paupertatem pertinentia, ullo prætextu labefactari sustineam. Accusabo me, odio habendo lapsus, proponendo superflua resecare, necessaria sine cordis adhæsione tenere, & ad penuriam sustinendam paratus esse. Postulabo à DEO, ut illum solum quæram.

## MEDITATIO CCVII.

## Feria 5. Domin. 5. post Pentecost.

### *De Ira.*

ASpiciam prohibitum à Domino (Matth. 5. malum Iræ, quæ furor brevis dicitur, & insania à D. Bernardo epist. 322. Petam illam intelligere, & evitare.

*Cons.* 1. Iram esse immoderatum appetitum vindictæ, quo expetitur punitio alterius ex solo desiderio vindictæ, aut ultra delicti mensuram, aut per seipsum, aut per alium, non habentem ad id facultatem, aut omisso ordine debito punitionis, & modo. Oritur ex triplici causa: aut ex vera injuria, vel contumelia alicui illata: aut ex injuria præsumpta, quam sibi, vel suis conjunctis aliquis illatam existimat: aut ex injuria ab eo ipso, qui excandescit, conficta, sine ulla ratione, sed solùm, ut irascendi ansam accipiat. 1. Gradus iræ est, ex vera, aut existimata, aut ficta injuria ita excandescere, ut proximus percutiatur, aut vulneretur, aut iratus ex furia seipsum percutiat, vulneret, mordeat. 2. Est, cùm quis à proximo læsus in verba contumeliæ prorumpit, & lædentem, aut ignorantem, aut fatuum, aut stultum vocat, & si non manum ad vulnus, at linguam ad convitia dissolvit. 3. Non contumelias parit, sed

sed amaras querimonias, & temerarias detractiones eorum, qui nos injuriâ affecerunt, quibus nihil in proximo, interdum in præside, nihil non laceratum, & conscissum relinquitur. 4. Est eorum, qui nihil superiorum faciunt, sed tristitiâ vultûs, & profundo quodam silentio conceptam intus indignationem ostendunt. 5. Est eorum, qui sub externis signis lenitatis, magis, ac magis, tum proximi, tum sui ipsorum iram accendunt, & cùm possent leni, ac modestâ responsione scintillam contentionis exstinguere, risu, & cachinnis magnum iracundiæ ignem accendunt. 6 Est, in quem labuntur illi, qui præ indignatione se sequestrant, solitariíque degunt, quo tempore egrediendum esset ad opus commune, vel absconditi in angulo domûs delitescunt, & à cibo abstinent. 7. Est, in quo sunt ij, qui semel irati per multos dies, & menses, & annos indignationem conservant, & vel leviter offensi nullâ sustinent ratione placari. 8. Est Præsidum, qui in correctione subditorum verbis, aut factis mensuram lenitatis excedunt: hi si causam puniendi habent, facultatem seipsos, & totam domum turbandi non habent.

*Cons.* 2. Remedia contra iram esse: 1. Considerare mala iræ: quia, ut ait Tertull. lib. de Patient. *Sol super iram nostram si occi-*

derit, periclitamur. 2. Malos, imperfectos, procaces tibi obloqui, te persequi, injuriam inferre: tuam autem virtutem à bonis laudari, & honorari: sufficit enim testimonium bonorum, & conscientiæ adversus eos loquentium iniqua. 3. Luc. 6. dicitur: *Dimittite, & dimittemini.* 4. Damnum factum à Domino esse ob bonum tuum: quis medicinam à sapientissimo medico respuat? *Dimitte, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei.* 5. Occasione iracundiæ datâ animi commotionem intus comprimere, & eam nec verbo, nec gemitu, nec signo exire permittere: ut enim flamma compressa extinguitur, sic ira silentio & dissimulatione cohibita sensim commoritur. *Turbatus sum, & non sum locutus.* 6. Si aliquando contumeliæ in te jactatæ judicas respondendum, ne proximus tuo silentio majori indignatione efferveſcat, responsio tua sit blanda, ac mitis, quæ teipsum ad compassionem & amorem delinquentis, illum verò ad tranquillitatem inflectat. Responsio mollis frangit iram. 7. Si adversus aliquem iratus fueris, eodem die ante prandium, aut ante solis occasum, te eidem reconcilia. 8. Contumelias, & injurias beneficijs, & charitatis operibus vince, quibus & teipsum, & tibi adversos emollies, & amore conjunges. 9. Cùm aliquod opus, negotium-

ve ag-

ve aggrederis, priùs cogita, quæcunque adversa possùt accidere, & ea apud temetipsum æquanimiter passurum constitue. 10. Non obliviscaris, si multa toleras, non pauca esse, quæ alij in tua conversatione sustineant. 11. Causas iræ amputa geminas, concupiscentiam rerum terrenarum, & opinionum, sensuumque diversitatem. 12. Nec injustis, nec justis ex causis adversus proximos irascendum; quia ira, ex quacunque causa sit, intellectum obscurat, consilium obnubilat, honestatem turpat, & mentis puritatem contaminat. *In potestate posuit nostra Deus, qualiter in die judicij judicemur. Dimittite, & dimittetur vobis.* August serm. 102. Temp.

*Cons.* 3. Indicia prostratæ iræ sunt actus contrarij iræ, puncto 10. explicati. Statuam ad remissionem meorum peccatorum injurias, & contumelias patienter sustinere, eas tanquam à Domino suscipere, nullum signum impatientiæ exteriùs nec verbo, nec opere prodere. Pulchritudinem mansuetudinis agnoscere, & eam præstare postulabo.

## MEDITATIO CCVIII.

### Feria 6. Domin. 5. post Pentecost.

### *De Invidia.*

ASpiciam inferni furiam seipsam rodentem, invidiam, quâ ipsi mali spiritus torquentur. Petam illud vitium intelligere, & evitare.

*Cons.* 1. Invidiam esse tristitiam de alienis bonis, seu odium felicitatis alienæ, quo aversamur aliena bona, quia in ijs nos superat, qui à nemine cupimus in bonis superari, prohibitam ab Apostolo ad Galat. 5. *Nec efficiamini invicem invidentes.* Gradus invidiæ 1. est, ex bonis alterius tristari, & quia illi data sunt, irasci, in quo gradu fuit Cain, Gen. 4. 2. De malis aliorum lætari, quorum invidiâ quis tãgitur. 3. Bona aliena præterire, & silentio contegere, & si *quid* imperfectum, aut quod speciem mali habeat, interpretari malè, & ut opinio elevetur, non sine exaggeratione patefacere. 4. Manifestam virtutem suorum proximorum calumniari, & eam pro vitio haberi velle. 5. Justorum bona opera, & labores, quibus ipsi invidi flagellantur, impedire, & quæ ipsi invidi, aut nolunt, aut non possunt facere, ne ab alijs, qui laborare volunt, & possunt, perficiantur, adniti; impediuntur autem detractionibus, falsis testimonijs, imò & proprijs laboribus, quos nullo modo susciperent, nisi ut strenuè laborantes impedirent. ad Philip. 1. vers. 17.

*Cons.* 2.

*Cons* 2. Remedia contra hoc vitium pene insanabile. 1. Agnoscere mala invidiæ, quæ soli invido nocent, alteri, cui invidetur, nihil nocent. 2. Si proximus bona amitteret, non propterea fierent ipsius invidentis. 3. Non putare se bono zelo facere, cùm proximorum bona elevamus. 4. Cogitandum nihil magnum esse, nihil excellens ex ijs, quæ mundus admiratur: solam virtutem esse æstimabilem, quam mihi nemo invito tollet. 5. Excitandum perfectionis desiderium, amórque æternæ patriæ, qui amorem terrenarum rerum expellat. 6. Reluctandum eidem vitio interiùs, & exteriùs: interiùs quidem motum invidiæ gaudio de bono proximi turbando: exteriùs verò bona manifesta proximi laudando, mala tacendo, dubia in bonam partem interpretando, opere pios conatus proximi adjuvando.

*Cons.* 3. Indicia extinctæ invidiæ esse: 1. Si de alienis bonis non doleam. 2. Gaudeam ex animo. 3. Gratuler, & auscultem. 4. Prædicem. 5. Adversa proximi ægrè feram. 6. Defectus ab eorum oculis, qui emendare nequeunt, abscondam. 7. Si sola æterna, & semper duratura concupiscam. Accusabo me de lapsibus, odio habendo invidiam, ex qua secundùm hominem nullum bonum accipio, mortem animæ incurro, corpus

macie

macie vexo. Pugnabo contra eandem modis supradictis. Postulabo perfectam charitatem, quâ proximùm propter Deum diligã.

## MEDITATIO CCIX.

## Sabbato Domin. 5. post Pentecost.

### *B. Virgo Refugium contra vitia.*

ASpiciam Divam à vitjis hâc septimanâ consideratis, omnibusque alijs alienissimam. Petam ejus auxilio ab ijsdem liberari.

*Cons.* 1. Quomodo vitium quintuplex gulæ, luxuriæ, avaritiæ, iræ, invidiæ, fœdum, & deforme rationi contrarium, defectus voluntarius à perfectione hominis, à lege æterna præscripta, & pulchra regula, à Deo ad acquirendum summum bonum inventa, & data, vel absolutè prohibeat, vel impediat? adeóque à B. Virgine ex toto abfuerit, quæ nunquam ab amore Dei summi boni deviavit: partim propter agnitionem summi boni, partim quia fomite caruit.

*Cons* 2. Quomodo dicta vitia splendorem, & imaginem gratiæ in me infecerint, amicitiam Dei fecerint refrigescere, Deum disgustârint, animam debilitârint, Dei affectum à me alienaverint, ad mortem disposuerint, & quis scit, an non mortem attulerint.

*Cons.* 3. Renovabo proposita totius septimanæ,

ptimanæ, præsertim circa illa vitia, in quibus me sentio magis debilem. Orabo Divam tanquam Mediatricem, per virtutes vitijs oppositas, ut in filio Evæ mutet nomen gulosi, &c.

## MEDITATIO CCX.

## Dominica. 6. post Pentecosten.

### *De Acedia*

ASpiciam vitium Acediæ, somnum vitiosum, prohibitum à Domino, Marc. 13. Petam illud intelligere, & evadere nundinas diaboli. Matth. 13.

*Cons.* 1. Acediam esse tristitiam de bonis divinis, ac spiritualibus, qua propter adjunctam difficultatem mala nostra censemus, & præ incuria ac negligentia ex ipsa tristitia nascente negligimus; & duplex est: altera peccato mortali conjuncta, quâ quis ea, quæ sunt spiritualis profectûs, abominatur, & ardenter, quæ sunt animæ graviter noxia, amplectitur; altera verò est onus animæ, & ex multitudine peccatorum levium, aut passionum immoderantia, distractionum, curarum, procedit, unde spiritualia exercitia universa judicat tristia, & molesta, & cum fastidio ac nausea exercet. Acediam comitantur: odium bonorum spiritualium, rancor contra inducentes ad virtutem, torpor

in

in exercitio virtutum, evagatio mentis curiosa, verbosa, inquieta, pusillanimitas, & desperatio; ideo S Climacus de Acedia inquit: *Est mater desperationis.*

*Conf.* 2. Remedia contra vitium Acediæ: 1. Assidua oratio, quâ petam è gelu pigritiæ educi. 2. Novissimorum, & acerbæ pœnæ pigris præparatæ meditatio. 3. Considerandum, quàm invisa sit DEO hypocrisis; est autem hypocrita, quicunque in aliquo teporis gradu consistit. Dividet tales Dominus. Matth. 24. 4. Idiotæ, annis minores cælum rapiunt, virtutem obtinent, & senex, literatus, aliorum Magister, magis indies per socordiam à virtute discedet. 5. Periclitantur tepidi, ne in pristina peccata cadant, aut in majora labantur. 6. Considerandum tempus breve, quod ad proficiendum concessum est, nec omittenda occasio lucrandi gratiam, quæ se nunc ingerit. 7. Ideo non ab Acedia vinci, quia laborem & afflictionem virtutis metuimus, quæ tamen torpendo non excutitur, sed pro leviori fugienda, multò major & molestior incurritur. 8. Considerandum quanta beneficia acceperim, quantis debitis adstringar, pro quorum minimo nunquam respondere potero; omnia in me collata beneficia debita sunt. 9. Virorum spiritualium vitam, moresque, fervo-

rem,

rem, & diligentiam videre, & teporem erubescere. 10. Quærere adjutorium eorum, qui me à somno Accidiæ excitent. 11. Non desistendum à cœpto, imò aliquid novi ad me vincendum adjcere. 12. Præsentissimum Accidiæ remedium est, ubi callum obduxit, novam vitam incipere, ab omni tepore alienam. *Dixi, nunc cœpi.*

*Cons.* 3. Indicia victæ Accidiæ sunt. 1. Peccata etiam levissima timere. 2. Debita professionis opera cum omni perfectione facere. 3, Agilem esse ad opera supererogationis. 4. Bene statuta diligenter observare. 5. Consortia tepidorum aversari. 6. Virtutem non ordinariam tantùm, sed eximiam ac heroicam sectari. 7. Semper se ut tepidum, & ut muneri minimè satisfacientem respicere, Sic *Adam*, ut ait Bernard. serm. de S. Andr *non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem*: ut illam consequar, hunc à Sanctissimo petam cum D. Aug. *O amor, ô charitas, Deus meus, accende me!*

## Meditatio CCXI.

## Feria 2. Domin. 6. post Pentecosten.

### *De Vitio inanis gloriæ.*

AUdiam Psalmistam Psal. 3. dicentem. *Ut quid diligitis vanitatem?* & Apost. ad Gal. 5. *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi:* quia causa

*causa infidelitatis Iudeorum inanis gloria*, inquit D. Chrysost. in cap. 5. Joann. Petam hoc vitium agnoscere, & evitare.

*Cons.* 1. Inanem gloriam esse immoderatum appetitum laudis humanæ, oppositum appetitui moderato laudis, quo quis bonorum operum approbationem à Deo quærit, cui soli placere studet; est autem laus inanis, & gloria vana, quam de re, quæ non est, aut de virtute, quàm non habes, aut de rebus vanis, nec laude dignis, aut à solis hominibus, prout fallibiles sunt, aut propter seipsam, & non propter Dei gloriam, aut proximorum salutem captare contendis. Ingreditur vana gloria mentem sub aliquo prætextu; quia oportet hominibus placere, ut eos Domino lucremur: deinde hoc deposito velo falsam dulcedinem objicit, pulchrumque, ac homine dignum laudari suadet. 1. Ejus gradus est, opera bona, & studia spiritualia ad captandam hominum laudationem inflectere. *Ventum seminant, & turbinem metunt.* Oseæ 8. 2. Cùm inani gloriâ possessus ad honorem evectus, mirè sibi in eo placet, & ut nominatus sit, inepta multa præter ordinem facit, ædificat turrim Babel. 3. Invitè personam authoritatis deponere, & successori cedere cum tristitia, aversione ab illo, temerarijs de illo judicijs. 4. Post deje-

dejectionem è dignitate labi in inobedientiam, contentiones, seminationes discordiarum.

*Cons.* 2. Remedia contra vitium inanis gloriæ esse: 1. Cùm vana gloria non vera, sed vana sit, non est digna labore, & amore nostro. 2. Maxima mala hæc inducit, fur est, omnibus divitijs meritorum spolians. 3. Nihil ex nobis boni habemus, sed ex Deo; sicut autem ridiculi sunt pauperes, qui in alienis vestibus gloriantur, ita omnino stultum est de bonis à Deo datis tanquam tuis gloriari. 4. Communia solùm oculis aliorum ostendenda, specialia bona libenter abscondenda. 5. Occasiones laudum humanarum ac gloriæ fugere, & vilioribus intendere. 6. Omnia, quæcunque fecero, sive magna, sive parva actuali intentione propter divinam gloriam, & laudem exequi.

*Cons.* 3. Indicia vitæ inanis gloriæ esse 1. Defectus proprios, dum ædificatio aliud non petit, detegere animosè. 2. Bona opera, quantùm possibile, ab oculis abscondere. 3. Inter laudes erubescere, ac dolere. 4. Laudem non cupere, & prudenter sermonem de tuis laudibus abscindere. 5. In exercitijs ac ministerijs minùs plausibilibus libenter occupari. 6. Dum Deo places, hominum dicta & opiniones pro nihilo habere. 7. Si alios

supra

supra modum laudari audiens talem laudem non appetam, imò, ut vilem rideam. Accusabo me de lapsibus in hac materia commissis, eos detestando; quia merita bonorum operum vilissimo laudis humanæ pretio vendidi, & bona opera in peccata converti, apud Deum laude spoliatus, & labore: pugnabo contra hoc vitium, propter Dei gloriam bona inchoando, prosequendo, perficiendo, à Deo solo laudem expectando, coram hominibus bona opera, quantum licet, abscondendo. Petam lucem ad cognoscendam vilitatem humanæ laudis, & dignitatem gloriæ Dei.

## MEDITATIO CCXII.

## Feria 3. Domin. 6. post Pentecost.

### *De vitio Superbiæ.*

ASpiciam superbos à Deo dispersos, sicut ædificatores Babel, & humiliatos, quibus Deus specialiter resistit, Jacob. 4. Petam istud vitium agnoscere, & evitare.

*Cons.* 1. Superbiam esse immoderatum appetitum excellentiæ, seu altioris gradûs, quàm personæ congruat, si cum divinæ providentiæ lege, aut cum ipsius personæ meritis conferatur. Gradus ejus est 1. quo quis bonum, quod habet, à semetipso se habere præsumit, ut Nabuchodonosor Dan. 4. 2.

Quo

Quo aliquis bona sua quidem à Deo profecta cognoscit, non tamen gratis data, sed pro meritis accepta, unde ingrati Deo gratias non agunt. 3. In quo dona Dei, & sine meritis data intelliguntur, sed majora esse, quàm sint, judicantur; unde se solos, aut suam familiam divitem, alios homines pauperes censent, & inde contemnunt, quibus dicit Job 12. *Ergo vos soli estis homines, & vobiscum morietur sapientia?* 4. Eorum, qui licet non majora dona æstiment, quàm ipsa sint: Tamen ideo se inaniter efferunt, & alijs præsidijs se non egere putant, seque alijs meliores, & dignos, quibus se alij subijciãt. 5. Eorum, qui nihil dignum laude moliuntur, sed tamen eo ipso, quòd non peccant, inflantur; quia magnos peccatores umbra quâdam virtutis excedunt. 6. Est eorum, qui peccata sua defendunt, & correctionem subire detrectant, & impeccabiles haberi volunt, cùm arguuntur, vel dicunt perfrictâ fronte: Non feci, aut bene feci, aut bonâ intentione feci, aut consilio prudentũ motus feci. 7. Est præsumptio, quâ superbè majora viribus præsumuntur, cum quibus sunt ij, qui talentum moderatum abscondunt, & eo ipso, quòd summum non est, cum eo negotiari, & aliquid lucrari erubescunt. 8. Est eorum, qui de rectè factis se jactant,

& dum

& dum sibi deesse laudatores vident, se ipsos immoderatè collaudant, scientiam ostentant, sine causa virtutem, quam habent, signis, ac verbis prædicant, in omnibus volunt exaltari, & excellētes apparere. 9. Ambitio, quæ est appetitus immoderatus honoris.

*Conf.* 2. Remedia contra vitium superbiæ esse. 1. Considerare mala superbiæ: *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur cor*, Prov 16. 2. Nôsse te ipsum, & tuam vilitatem, quâ circumfluis. 3. Luciferi, & superborum Angelorum ruinam pertimesce, quos superbi omnes sequuntur. 4. Occasiones superbiæ devita, libenter cum humilibus conversare, humilia ministeria ama. 5. D. Bernard. serm. de David. hæc quinque remedia affert: 1 divinas comminationes expavescere. 2. Promissiones expectare. 3. Diligere Deum. 4. Exempla Sanctorum. 5. Orare adversus superbiam.

*Conf.* 3. Indicia exclusæ superbiæ sunt. 1. si cognoscam me nihil, nisi mala habere à me, bona autem à DEO. 2. Si Deo intimo devotionis sensu me subdo, & omni creaturæ pro reverentia ejus. 3. Si sublimia non appeto. 4. Vilipendi patior. 5. Nesciri amo. 6. Absque mentis contradictione adversa & abjecta suffero. 7. Si me omni honore & bono, imò & vitâ ipsâ indignū æstimo. Confitebor lapsus

superbiæ, detestando hoc vitium diabolicũ, quod cor excæcat, ne meam vilitatem agnoscam; affectum corrumpit, ut alijs melioribus præponi cupiam, corpus deformat, ut signa elationis ridicula alijs, non sentiam: arrogantem, elatum, præsumptuosum, & ambitiosum facit. Petam à DEO gratiam impugnandi superbiam, meditando ea, quæ mei cognitionẽ afferunt, mea bona abscondunt, imbecillitatem, ac defectus ad confusionem meam revelando, actibus humilitatis internis, & externis insistendo. Postulabo humilitatem, quâ me Deus intra terminos cõtineat.

## MEDITATIO CCXIII.

### Feria 4. Domin. 6. post Pentecost.

### *De sex stultitijs, quæ committuntur in bello cum vitijs.*

ASpiciam sex errores, quibus abducuntur homines ad perdendam victoriam contra vitia ex Hugone Card. Petam eos agnoscere, & evitare.

*Cons.* 1. Errorem 1. esse arma onerosa, quæ certanti obsunt, uti arma Saulis Davidi 1. Reg. c. 17. Ea sunt oratio, jejunia sine mensura. 2. Error, non armari ante pugnam v. g. prostratus gladio impatientiæ vult primò sumere clypeum patientiæ, cùm dictum sit Eccl. 2. *Fili, accedens ad servitutem Dei,*

sta

*sta in justitia, & in timore, & prapara animam tuam ad tentationem.*

*Cons.* 2. Errorem 3. relinquere periculosiorem locum, & se munire in minùs periculoso, v. g. infestatus luxuria munit se eleemosyna relictis jejunijs, oratione, castigatione; avarus jejunio, relicta eleemosynâ. 4. Non jugulare initia Ps. 136. Parvulos non allidendo ad Petram. Cant. 2. Vulpeculas non capiendo.

*Cons.* 3. Errorem 5. Reijcere arma in conflictu; dixit Philosophia Boëtio: *Talia tibi contuleramus arma, quæ nisi priùs rejecisses, invictâ te firmitate tuerentur:* Id faciunt, qui veniente contumeliâ patientiam *abijciunt.* 6. Pugnare totis viribus contra auxiliares copias nostras, tanquam hostes, cùm sint amicissimi v. g. contra omnia adversa in unum collecta, cùm tamen & mala, & mors, & paupertas à Deo sint, Eccl. 11. Pro quibus gratiæ habendæ Deo; nos hæc infestamus, & exadverso hostes proprium sensum, & voluntatem fovemus.

## Meditatio CCXIV.

## Feria 5. Domin. 6. post Pentecost.

### *De alijs sex stultitijs, quæ committuntur in bello adversus vitia.*

ASpiciam alios sex errores, quibus abducuntur

cuntur homines ad referendam victoriam à vitijs. Ex eodem Hugone. Petam eos intelligere, & evitare.

*Conf.* 1. Errorem 7. cominus cum hoste pugnare, quò fiat fortior, cùm dicatur: *Fugite fornicationem*, 1. ad Cor. 6. 8. Velle contraria non curare contrarijs, sed similibus, ignem extinguere non aquâ, sed igne: Iram irâ, cum scriptum sit: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Ad Rom. 12.

*Conf.* 2. Errorem 9. clypeo perforato se tegere, hoc est, malorum exemplo se tueri, à quibus discere deberemus fugienda, non imitanda. 10. Sumere animos ex casu aliorum, hoc est, majorum exemplo malo.

*Conf.* 3. Errorem 11. Repugnare, cùm securiùs sine ictu vincere possimus, v g. tantùm sufferendo, juxta illud Exod. 14. *Vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis.* Et Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* 12. Errorem: Se ipsum hostili gladio transverberare, ut Saul directo ictu in latus. Lib. 1. Reg. 31 Dæmon ictum applicat, sed non ultra procedit, nisi tu volens in gladium irrueris: igitur subtrahe cor.

## MEDITATIO CCXV.

### Feria 6. Domin. 6. post Pentecost.

### *De reliquis decem impedimentis in bello contra vitia.*

R Aspiciam

Aspiciam illecebras, abundantiam copiarum, delicias, quæ ante hominem ceperunt, ut eum tentarent. Petam agnoscere obstacula victoriæ, & evadere.

*Cons.* Ut stultitia militum impedit victoriam in bello temporali, ita & in spirituali. 1. Porrò hæc stultitia est; si milites non sint in acie bene dispositi, sed ita loco dissiti, ut se invicem adjuvare non possint: Ita in tentationis conflictu stultitia est, si vires habeat distractas, aliud voluntas velit, aliud appetitus inferior, huícque potiùs intellectui serviat, quàm illi.

2. Stultitia est: Si miles ab *Imperatore*, & à se ipso dissentiat; sic, si ab amore Præsidium, & proximorum me segregem, quorum rationibus, exemplis, adhortatione in tentatione juvandus sum, non mirum, si tentatione vincar.

3. Stultitia: Exercitum imparatum esse, arma necessaria non sumere, & in loco periculoso, ac minimè munito sine timore manere; sic imperitia est in spirituali bello, si me negligentem, & imparatum inveniat.

4. Adversarijs viam aperire, & cum hostibus fœdera jungere, qui irruentes, & proditorem, & proditos, aut in servitutem redigũt, aut interimunt. Sic stultum est tentationi januam consensûs aperire, & cum hoste

anima

animæ, id est, cum peccato fœdus inire.

5. Si milites laboriosè ac periculosè cum hoste luctantur, quem possent sine suo periculo subijcere: Si enim hostes siti, fame, aut morbo laborent, stultum est cum illis confligere, cùm sine sanguine victi esse possint; sic stultum est importunas aliquas tentationes, quæ solo contemptu vinci possent, molestiâ corporis, fractione capitis, & gestibus, signísque externis velle fugare.

6. Stultitia est: Si milites non utantur contrarijs in bello, quæ possunt conatibus adversariorum obsistere, ut, v.g. si hostes castra incendunt, non extinguas; si murum diruerunt, non restaures; sic spiritualis miles carne ardente concupiscentiâ, si ieiunio, cilicijs non extinguat, stultus: Stultior, si convivijs, mollibus vestimentis, illecebrosâ conversatione foveat.

7. Oneribus, quæ cursum, & pugnam impediunt, ad bellum procedere, & arma ponderosa supra vires gestare: sic delirant, qui exercitia spiritualia supra vires accipiunt.

8. In ipso conflictu arma abijcere, & hosti se spoliandum, feriendum, occidendum offerre: talia faciunt non perseverantes in resistendo, sed desperabundi, si non prima resistentia fugerunt tentationem.

9. Non resistere in locis aptioribus; qua-

lia faciunt occupationes sacras relinquentes, & secularibus se tradentes.

10. Sisara inermi capite interijt: sic imprudentes impetuntur, juxta illud August. Epist. 82. *Initium sine providentia, & finit cum pœnitentia.*

## MEDITATIO CCXVI.

## Sabbato Domin. 6. post Pentecost.

### *B. Virgo Refugium contra vitia.*

ASpiciam Divam à vitijs hâc hebdomadâ consideratis, & erroribus immunem, quia plenam gratiâ, in regno virtutum residentem. Petam ejus beneficio ab ijsdem liberari.

*Cons.* 1. Quomodo vitia sint turpiora nihilo, quia multa vult Deus nunquam esse, quæ tamen, ut sint, velle potest: sed peccatum esse, non potest unquam velle: cùm ergo vitium sit contrarium voluntati Dei, quæ est summa sanctitas, & pulchritudo, nó est possibilis major deformitas, & turpitudo, quàm sit vitij. Excandescam hìc contra fontes vitiorum hactenus consideratos.

*Cons* 2. Quomodo Diva ijs caruerit, quæ & fomite, & peccato originali libera semper extitit, adeóque fuit in regno rationis ejus pulchra semper tranquillitas, imperium mentis supra potentias inferiores imperturba-

turbatum, potentiarum inferiorum rationi sine repugnantia obediens vis, conformitas rationis ad nutum Dei, passiones omnes, earúmque actus fuerunt ut mare sine undis, & aër sine ventis, ut cœlum sine nube, non motus in sensibus sine voluntate rationis, non ratio sine nutu divino, nulla tepiditas, nulla inanis gloria, procul omnis superbia, procul omnis error.

*Cons.* 3. Repetendo totius septimanæ proposita, præsertim, in quibus majorem difficultatem sentio. Petam à Diva gratiam executionis.

## MEDITATIO CCXVII.

## Dominica 7. post Pentecosten.

### *Cavendum à Sathana, adhærendum Christo.*

VIdebo me ex castris Babyloniæ, Luciferíque tyrannide translatum ad castra Christi, Domini mei hæreditarij. Petam ei gratus obsequi in omnibus.

*Cons.* 1. Quàm bene mihi præcipiatur, ut caveam à lupo infernali; propter falsitatem ejus, & nocendi appetitum: finis enim Sathanæ est, avertere nos à Deo: quod tripliciter agit, vel aperto conflictu Fideles persequendo, in carceres, & mortes mittendo: Vel occultè, idque vel per se, suggestionibus

suis, quæ aliæ non sunt, quàm quas ipse i
se habuit, ante lapsum suum, præsumptio-
nis: à lapsu, desperationis: ante diluvium,
ne crederent homines Deo: à diluvio, ut dif
replerent omnia: ante legem, ut vitiosissime
viverent: à lege, ut superstitione, & schismat
omnia vitiarent: nunc nos trahit, quasi fra-
ctis corporibus, ad molliora, oppugnatum
ultimis tẽporibus inexploratis modis fidem,
& bonos mores, eò usque, ut mallet centies
mori, quàm ut homo exhiberet minimum
bonum charitatis Deo suo, ut ait Dominus
S. Brigittæ, lib. 1. c. 54. Tertiò oppugnat nos
per naturam nostram vitiatam, gratiæ op-
positam, ut fusè refert Thomas à Kempis
lib. 3. cap. 54.

*Cons* 2. Quòd charitatem & patientiam
non possit diabolus imitari. Utráque arma-
eus Christus Dominus nos ad se vocat juxta
D. Aug lib. de vera Relig c. 16. *Omnia, quæ
habere cupientes, non rectè vivebamus,* (Chri-
stus Dux noster) *cavendo vilia fecit: omnia
que vitare cupientes, à studio deviabamus ve-
ritatis, perpetiendo docuit: non enim ullum pec-
catum committi potest, nisi dum appetuntur ea,
que ille contempsit, vel fugiuntur ea, que ille
sustinuit.* Mirabor, quòd cùm sciant homi-
nes diabolum tam tetrum esse, tamen eum
sequantur: tam callidum, tamen non cau-
tiùs

tiùs agant: tam esse ferocem, & non magis horreant. Ad me reflexus disquiram, quid sit, quo me ille magis attraxerat, ne ampliùs illi subijciar in æternum.

*Cons.* 3. Quomodo homines spiritu sathanæ seducti divitias appetebant; Christus autem pauper esse voluit: honoribus, & imperijs inhiabant: Rex fieri noluit: Carnales filios magnum bonum putabant: conjugiũ prolémque contempsit: Dolores corporis execrabantur, flagellatus est: contumelias horrebant; omne genus earum sustinuit: Mori metuebant; morte multatus est ignominiosissimâ. Tota igitur vita Christi in terris disciplina morum fuit, ad quam amplectendam nos ipse hortatur apud D. August. Hom. 34. ex 50. *Hoc à me discè, quod propter te factus sum.* O JESV, principium viarum DEI, esto viaticum, & præbe nobis viam ad Regnum DEI.

## MEDITATIO. CCXVIII.

### Feria 2. Dom. 7. post Pentecost.

### *De inevitabili necessitate mortificationis volentium adhærere DEO.*

ASpiciam virtutis regnum in edito colle, juxta illud Job. 28. *Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.* Petam mortificatione, ut Phœnix renasci.

*Cons.* 1. Ordinem ad perfectionem esse Timorem Domini, unde oritur compunctio cordis, ex ea contemptus rerum, exinde humilitas, & sui abnegatio, & deinceps viciorum exstirpatio, studium virtutum, puritas cordis; quâ obtinetur charitas, & per eam perfectio. Bene itaquè ait D. Aug. serm. 13. de Verb. Apost. *Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis* (non solùm vetitas) sed etiam *illas concupiscentias carnis, quibus non consentire magna laus est, quas non habere perfectio est: spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere, calcare jacentes, & mortuas, transire ad vivas, & cũ ijs cõfligere.*

*Cons.* 2. Hoc proficienti in Christiana perfectione certum esse, quòd sive interna mentis, sive externa corporis disciplina, sine jugi mortificatione parum valeat, & diu durare non possit: quia infirmitas carnis fervore, ignavia solicitudine cordis, prava consuetudo conatu in contrarium restituitur, Dei beneplacitum subjectione affectûs quæritur, unde recta oriatur intentio, quæ impossibilis est durante affectu inordinato: ex rectitudine autem intentionis procedit trãquillitas imperturbabilis, ex tranquillitate puritas mentis, ex puritate lux, qua Deus semper & ubique videatur.

*Cons.* 3. Hinc inferri, quòd non respiciendum,

dum, quid alij faciant mali, sed quid boni ego facere debeam, secundùm vocationis, & virium, tam spiritualium mẽsuram, quàm corporalium. Lugere præterita, spernere vana præsentia, meditari futura. Quod ne tristis, amarus, turbulentúsque faciam: sed lætus, dulcis, & tranquillus, excitabit me dignitas mortificationis, cujus Spiritus est à Deo: ad Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis:* immortificationis autem spititus est ex diabolo, *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Utilitas, quâ satisfacimus, meremur: quòd si labores pro perituris divitijs, aut honorihus sustinentur, cur non pro æternis? Exempla denique Christi, Sanctorúmque. Cùm duobus modis habeatur mortificatio, vel infusa à Deo, ideo eam petam: vel usu, & exercitio, ideo me in ea exercebo, offerendo eam Patri æterno, in unione Passionum, & laborum Christi.

## MEDITATIO CCXIX.

## Feria 3. Domin. 7. post Pentecosten.

### *De odio sui, paradoxo Evangelij præcipuo.*

INtuebor amorem proprium corporis peccati caput: quia non tantùm homo homini; sed ipse homo sibi lupus est, inordinatè

se amando. Petam hoc paradoxum intelligere, & à me ipso mihi cavere.

*Cons.* 1. Quantum ego malum sim, quem adeo odisse Deus jubet. Matth. 16. Marc. 8. Luc. 14. Joan. 12. Ubi *abnegare* me, & *denegare*, & *odisse* animam meam in hoc mundo jubeor: quia qui plus nocet omnibus, ab eo magis cavendum est: ego inordinatè me amando plus mihi noceo, quàm nocere mihi possit Deus, totâ suâ omnipotentiâ: amando enim me inordinatè, labor in culpam, quam Deus, qui infinitè abest à malitia, operari non potest. Itaque si culpam timeo, si mereri volo, si perfici in me dilectionem Dei, & proximi, odisse me debeo. *Prima hominis perditio fuit amor sui: si enim se non amaret, Deo esse semper subditus vellet*, ait D. August. serm. 74. de Diversis.

*Cons.* 2. Quomodo in Evangelio Dominus *in verbis Doctor, Consummator in factis* (ut ait D. Cypr. lib. de lapsis) *docens quid fieret, & faciens quodcunque docuisset*, cùm docuerit nos odium nostri, illud in se exercuit, *etenim Christus non sibi placuit*, inquit Apostolus ad Rom. 15. Sed quantum contemptus fuit, præsertim in Passione sua: in capite, ut tolleret superbiam, in oculis, ut velum propriæ amoris levaret: in facie, ut ruborem: in auribus, ut curiositatem: in odoratu, ut peccati

graveo-

graveolentiam: in gustu, ut epulas: in lingua, ut ejus lapsus in vincto corpore, ut ejus libertatem: in manibus, & pedibus, ut eorum abusus: in corde, & latere, ut ejus pravitatem, in perseverantia in Cruce, ut pertinaciam, in toto corpore, ut eius corruptionem: in anima, ut ejus labes: in sanguine septies fuso, ut ejus bullorem: in honore denique, & fama contemptus est, ut eorum inordinatam eliminaret appetitionem.

*Cons.* 3. Non sum melioris conditionis, quàm Christus: ipse se exinanivit: & ego me amem hostem Dei? *Si perit homo amando se, profectò invenitur negando se*, ait Augustin. serm. 47. de diversi. Actiones mortificationis proprij amoris sunt: 1. In adeptione cujuscunque boni, sed præsertim in victoria amoris me: ita de meipso diffidere, ut tamen Deum ad vincendum mihi certissimè affuturum esse confidam. 2. Orare Deum assiduè, ardenter, & confidenter, ut me à meo proprio amore expediat, & suo divino amori ex toto submittat. 3. gnem charitatis iteratis affectibus magis ac magis accendere, qui ignem mei amoris extinguat. 4. Quidquid egero, vel omisero, non ob meam utilitatem, aut commoditatem, sed ad divinam voluntatem expellendam, per intentionis rectitudinem semper agere, vel omittere. 5. Si volo

me non malè diligere, odio sancto meipsum prosequar, quo mihi sensibilia bona adimã, & invisibilia ac cœlestia cõquiram. 6. Assuescam meipsum agnoscere, non supra alios, sed infra omnes, aut certè unum ex alijs cogitare, & nihil singulare me habere præsumere. 7. Nec singularem amorem, timorem, aut reverentiam alicuius erga me exigam, sed ceu alij tractari concupiscam. 8. Contemptum, confusionémque, quâ, si humilis sum, me dignissimum reputabo, quantùm potero, non fugiam. 9. Defectus naturales, quibus culpa non subest, patienter, imò & libenter sustinere, nec de illis apud homines erubescere. 10. Culpas meas, quæ offensionem in auribus audientium non generent, apud proximos humilitatis gratiâ revelare. 11. Hominibus placere, aut displicere pro nihilo ducam. 12. Corpus castigare, sensus cohibere, & passionibus acriter imperare. 13. Affectum erga honores, erga res, quibus utor, erga propinquos, & amicos, & erga omnem rem creatam, si immoderatus sit, & non propter Deum acceptus, animosè comprimere. 14. Occupationes pias, & bonas, nõ sine spiritûs libertate suscipere. 15. Cor omni amaritudine liberum & spiritûs cœlestis suavitate repletum in adversis successibus habere.

MEDI-

## MEDITATIO CCXX.

## Feria 4. Domin. 7. post Pentecost.

### *De subigenda propria voluntate.*

VIdebo voluntatem propriam, dæmoniũ voluntarium, semper DEO resistentem. ut solent rebelles subditi contra Dominum. Petam subigere eam Domino meo Regi.

*Cons.* 1. *Admonitionem hanc* (Luc. 9. *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*) *universa Ecclesia, universum corpus, universa membra per officia propria distincta, & distributa, audire debent,* inquit D. August. hom. 47. de divers. Igitur omnes abnegare se debent; atqui *abnegatio sui est totalis recessus à proprijs voluntatibus,* inquit D. Basilius hic; Et ratio est: quia ex nostra corruptione nihil prope cernimus, quin affectu inordinato illud appetamus; unde relinquitur mortificandam esse voluntatem; nisi enim semper purgetur, non nisi vepres, & spinas ad comburendum progerminat. quod verum est etiam in amore spirituali non bene mortificato, ut loquitur D. August. apud Bern. Rosignol. lib. 2. cap. 18. *Amor spiritualis generat affectuosum, affectuosus obsequiosum, obsequiosus familiarem, familiaris sæpe generat carnalem.*

*Cons.* 2. Quod Spiritus Domini docuit

Eccli. 18. vers. 30. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere*, ab appetitibus tuis, quódve optat voluntas tua, & desiderium tuũ: id præstitit Dominus meus, dum ait Joan. 5. *Non quæro voluntatem meã, sed voluntatem ejus, qui misit me. Filius unicum dicit: Non quæro voluntatem meam, & homines volunt facere voluntatem suam? superbia facit voluntatem suam, humilitas voluntatem DEI*, ita D. August. hìc.

*Cons.* 3. Actiones mortificatæ voluntatis propriæ. 1. Non solùm mala fugere, sed & bona, non propter meum commodum, sed ad divinam voluntatem faciendam prosequi. 2. Modum in rebus appetendis *tenere*, ut minora bona minùs, majora magìs, media propter virtutem, hanc propter animæ puritatem, & ad Dei conjunctionem appetere. 3. Studiosis operibus, quibus intendo, ita voluntate adhærere, ut paratus sim ea sine ulla tristitia relinquere, cùm eorum dimissionem magìs gratam Domino judicavero. 4. Si aliquid mihi utile, aut proficuum aspexero, non priùs illud obtinere nitar, quàm id Domino gratum esse judicavero. 5. Eligere magìs subesse, quàm præesse: felicitatem putare, alterius arbitrio vivere, & infelicitatem, meo proprio sensu, & arbitrio gubernari. 6. Si aliquid oratione postulavero,

vero, curare in ipso actu orandi, ut intentio dirigatur non propter me, aut propter commodum amici, sed propter DEVM, quia ipse ita vult postulari.

## MEDITATIO CCXXI.

### Feria 5. Domin. 5. post Pentecost.

*De subigendo proprio intellectu.*

VIdebo ignes fatuos, qui viatores in præcipitia, & lacunas abducunt, quod præstat intellectus humanus sibi innixus. Petam intellectum subijcere principijs Evangelij.

*Cons* 1. Quantùm cæcutiat intellectus humanus circa seipsum; *Scimus, quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus*, inquit D. Greg. hom. 10. in Ezech. Ideo principijs Evangelij, si errare non vult, subijciendus, Magistro D. JESV: quem rogabo, ut mihi det intellectum suum; tam enim profundæ sunt veritates Evangelij à Christo revelatæ, ut sapientissima Virgo, si verba ejus penetrare vellet, observaret, & ponderaret in corde suo; quia qui proprio sensu utitur, spoliat se cœlestium aromatum sensu.

*Cons.* 2. Actiones mortificati intellectûs sunt. 1. Ignaviam intellectûs pellere, & res ad salutem, officiúmque peragendum necessarias, diligenter addiscere. 2. Inutilia non investigare, quæque communem vitam agen-

tibus

tibus utilia sunt, ea mihi ad perfectionem properanti inutilia judicare. 3. Utilia bonâ intentione scire, & ex majorum auctoritate investigare, & debito modo, ac tempore mihi parare. 4. Quæ non didici, non docere, ne in errorem inducam, sed magis me interrogantes ad doctiores remittere. 5. Omnes actiones meas intellectûs consideratio præcedat, hinc cognitum bonum faciam, malum fugiam. 6. Vitam, & mores aliorum non judicare, sed Deo ac Præsidibus judicanda, & inspicienda relinquere. Optabo, & petam: Da mihi hunc intellectum, &c.

## MEDITATIO CCXXII.

## Feria 6. Domin. 7. post Pentecosten.

### *Quæ Scientia cavenda, & quæ amanda.*

COnstituam me coram JESV Magistro discipulus, ille loquatur, ego attendam, & quia simul Dominus est, flectam genua, Deumque internè, & externè adorabo, & petam cavere, ne vel unicum doctrinæ salutis verbum mihi pereat.

*Cons.* 1. Cavendam scientiam carnalem, quæ est *superba*, & ambitiosa, quæ à principio discendi ad primas sedes, cathedras, pulpita, prælationes aspirat. Est *invida* laudis alienæ, condiscipulorum ingenio, & profectibus mœrens,

mœrens, tarditate gaudens; laudi provectiorum invidet, subtilitatem, & diligentiam æqualium contemnit, minorum imperitiam irridet, sola ab omnibus laudari studet. Est *curiosa* nimis, nihil quærens, nisi, quæ intellectûs intemperantiæ satisfaciant, ostentationi ac plausui deserviant, non, quæ proximorum saluti proficiant. Est *iniqua*; totam mentem occupat, & desiderium, tempus orationi, meditationi subducens. Est *arrogans*, procax, inverecunda, seipsam exaggerans, novitates consectans; Magistros parvi pendens, aut ut minùs subtiles, aut nimis scrupulosos accusans Est *libertatis amans*, observantiæ inimica, hostis virtutum, monitorum senilium aversatrix, institutionum, ut ne sit observans, est interptetatrix. Est *terrena, animalis, diabolica*, venenum virtutum, pestis cœtuum Deo sacrorum, initium rixæ. mater contentionis, origo superbiæ, fons hæresis, patrona omnium vitiorum. Hujus ope dæmon decipit ignorantes, persequitur bonos fovet impios.

*Cons.* 2 Scientiam amandam, quæ ex armis præcipuis est, quibus imitatores Christi utuntur ad pugnandum bella Domini, & est scientia Sanctorum humilis, ac modesta, sui contemptum, proximorum conversionem, Dei laudem concupiscens; diligenter studet,

ut,

ut, quæ suâ voluntate optat semper latere sub modio, Dei voluntate apta sit poni super candelabrum. Est *charitate plena*, profectu condiscipulorum exultans, illos reputans, laudans, amans, illorum supra se excellentiâ exultans. Est *sapiens*, illa legendo, libris evolvendis inquirens, non quæ luceant tantùm, sed quæ prosint, quæ deceant statum, & proximos juvent. Est *discreta*, & plena prudentiæ. Post Obedientiam & orationis studium, seipsam constituens, non prædatur tempus obedientiæ, orationis, suo contenta. Est *ingenua*, ac verecunda, non se extollens, non alta de se sentiens, non terminos transgrediens à majoribus constitutos. Est *circumspecta*, non libertatem, non privilegia, non exemptiones affectans, sed semper attendens primùm quidem pudica, deinde pacificâ, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.

## Meditatio CCXXIII.

## Sabbato Domin 7. post Pentecost.

### *B. Virgo perfectæ sapientiæ Sanctorum Magistra.*

Aspiciam B. Virginem remotissimam à scientia carnali, & perfectissimam scientiæ Sanctorum Magistram, Petam ejus esse Discipulus.

*Conf.*

*Conf.* 1. Quomodo Beatissima Mater excelluerit in cavendo dæmone, & adhęrendo Deo. 2 Qnomodo excelluerit in perfecta mortificatione, & odio sui. 3. Quomodo excelluerit in subigenda propria voluntate, & intellectu. 4. Quàm remota fuerit à scientia carnali, mundana, diabolica. 5. Quantùm amaverit scientiam Sanctorum, & quàm feliciter ad eam pervenerit.

*Conf.* 2. Defectus meos hìc commissos, quos detestabor, & ut magis aversèr, petam magis intelligere. 5. Mala, in quæ præcipitantur abutentes scientia. 1. Est irreligiositas. Qui, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glovificaverunt. 2. Ingratitudo, nec gratias egerunt. 3. Superbia. 4. Vana gloria. Ibid. ad Rom. 1. 5. Luxuria. Tradidit eos Deus in sensum reprobum. Ibid, ita refert Augustin. Lib. 5. Conf. 3.

*Conf.* 3. Propositâ hâc septimanâ facta, & ut ea exequar, Divæ Virgini supplicabo.

## Meditatio CCXXIV.

## Dominica 8. post Pentecost.

### *Quomodo ad scientiam Sanctorum perveniatur.*

Aspiciam Dominum Jesvm, lucem mundi, & Patrem filiorum lucis, Prudentiam suos edocentem. Petam ejus doctrinæ ampliùs particeps fieri.

*Conf.*

*Conf.* 1. Quòd perveniatur ad hanc scientiam, si quæratur non ob vanam mundi gloriam, sed ad majorem Dei, animarumque salutem. 1. Si aliquid jam partum, humilitatis, & modestiæ sapore condiatur. 3. Lectiones, quibus quæritur, & disputationes, studiumque ab oratione incipiendum, ut scientiarum Domini præsidium habeatur. 4. Oratione interrumpantur, ne intellectus, considerationibus absorberi solitus, arefaciat affectus. 5. Oratione finiantur, ut fons lucis, qui illuminavit, habeat gratiarum actiones, tum ut eidem, ut debentur, labores nostri offerantur, & per eos animarum salus exposcatur. 6. Præter istas breves orationes habenda sunt alia tempora meditationis, & orationis, in quibus ante Dominum Creatorem creaturæ imperfectæ ac ignorantes se fistant, ut ab eo, qui dedit essentiam, scientia quoque impetretur humiliter. 7. Si cubieulum ametur, silentium servetur, invidiæ commilitonum, ambitiones & contentiones fugiantur, alijs cedas, eos humiliter verbis ac factis majores existimes, eis te submittas. 8. Si in exercitationibus literarijs, ita ingenij subtilitas, & loquendi acrimonia teneatur, ut sui contemptus, & animi modestia non deseratur. 9. Si animi puritas, unicum sapientiæ instrumentum habeatur: sic

Rude-

studebant Sancti tanquam semper victuri, sic vivebant, quasi cras morituri. Quia ad summam scientiam hanc pervenerunt, D. Sylvester, sumptione Sanctorum per visum de manu B. Virginis, & S. Edmundus Cantuarien. cui Venerabile Sacramentum columba in os detulit, & in fractione panis oculi Discipulorum aperti: audiam invitantem me Dominum: *Qui est insipiens, declinet ad me*: quæ verba S. Cyprianus de Venerabili interpretatur.

## Meditatio CCXXV.

## Feria 2. Domin. 8. post Pentecost.

### *De subigendo judicio proprio.*

Videbo virgulam in obliquum crescentem, quæ ut erigatur recta, in contrarium reflectenda est, & ut judicium meum perversum ordinetur, inclinādum est in contrarium Petam illud flecti ad nutum Dei.

*Cons.* 1. Tria esse impedientia proximè virtutem, & sanctitatem. 1 Est cupiditas inordinata cujuslibet boni externi. 2. Boni corporis proprij. 3. Boni propriæ libertatis, atque judicij.

*Cons.* 2. Verba Domini de se loquentis Joann. 6. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, &c.* Si non fecit voluntatem suam, igitur neque secutus est judicium suū proprium,

proprium, à principio conceptionis suæ ad finem vitæ, in rebus quantumvis arduis. Ideo natus est in loco ab alio sibi designato, ivit in Ægyptum similiter alterius imperio, & ex eodem inde redijt, in electione Discipulorum, ait ipse Joan. 17. *Pater, quos dedisti mihi.* Denique in vita pro nobis relinquēda, & adhuc in Venerabili, alterius arbitrio se reliquit.

*Cons. 3.* Actiones mortificationis propriæ judicij sunt. 1. Nulli doctrinæ facilè assentiri, quam non sapientes Catholici, & Fideī Ecclesiæ Fideles aliquando docuerunt. 2. Institutiones à tota congregatione approbatas, magnâ veneratione suscipere, & si quos videro eas refutantes, ut monstra, & animæ pestes abominari. 3. Majorum decreta nunquam in examen adducere, sed illa, ut tradita simpliciter intelligere, & ut congrua, ac usui accommodata, tum opere, tum sensu retinere. 4. In rebus ad meam vitam & mores pertinentibus, nunquā meipsum regere, sed aliorum judicio gubernari. 5. Res externas alicujus momenti nunquam sine consilio præveniente disponere. 6. Ea, quæ minoris momenti sunt, si nullum sequatur incommodum, potiùs ex aliorū judicio, quàm ex meo perficere. Quia majoris virtutis est subijci alteri, cujus præsertim defectus agnoscimus,

MEDI-

## MEDITATIO CCXXVI.

### Feria 3. Domin. 8. post Pentecost.

### *De subigendis passionibus.*

VIdebo hominem ab undecim passionibus, quasi totidem feris raptari in præceps. Petam modum has passiones frenandi.

*Cons.* 1. Duo esse juxta Philosophum. 6. Ethic. propter quæ passiones nostræ usque adeò effervescunt, ut hominem bruto similiorem reddant, *delectabile, aut triste:* contra quas incantatrices sapientiâ mihi opus est, & prudentiâ cœlesti. 1. Amorem cohibere ab amicis, rebusque visibilibus, & ad invisibilia transferre. 2. Odium eliminare, & ejus genimina, injurias, & proximi detractiones in meis peccatis collocare. 3. Desiderium à terrenis abstrahere, ad cœlestia erigere. 4. Fugam moderari, quâ non bonos, nec excellentem virtutem, sed imperfectorum ignaviam averser. 5. Delectationem etiam in rebus licitis comprimere, & nunquam propter seipsam cupere. 6. Tristitiam immoderatam ab adversitatibus conceptam abijcere. 7. Spes vanas irridere, ac de divino auxilio confidere. 8 Non timenda non timere, & puerilem erubescentiam eruere. 9. Audaciam temerariam comprimere. 10. Iram reprimere, & ultra rectæ rationis mensuram

non

non excandescere. 11. Desperationem nullo modo admittere.

*Cons.* 2. Quomodo Deus passiones rationales, irascibiles, & concupiscibiles regat in nobis. Rationalem vim animæ Spiritus sanctus splendore divinitatis suæ perlustrat ad cognoscendam suam in omnibus laudatissimam voluntatem. Irascibilem verò confortat ad resistendum omnibus inimici machinamentis, & ad vincendum omne malum. Concupiscibilem autem vim animæ inflammat, ut ardenter toto corde, totâ animâ, totisque viribus Deum amet. Ita Dominus Lib. 4. Vitæ S. Gertrud. cap. 61.

*Cons* 3. Actiones mortificatarum passionum sunt. 1. In rem aliquam illicitam, passionem, sive prosecutione, sive fuga ire non sinam. 2. In ea bona, quæ superfluè quæruntur, aut mala pœnæ levia, quæ sine necessitate vitantur, affectum non permittam moveri. 3. Bona necessariò quærenda, & mala necessariò vitanda, cum tranquillitate ac moderate quæram, & sine ulla perturbatione, quantùm mihi à natura permissum fuerit, & à gratia concessum evitabo. 4. Bonis præsentibus sine nimia lætitia uti, & malis prementibus sine nimia tristitia me submittere. Petam has animæ ægritudines, quæ ad januas mortis conducunt, vitiorumque

sunt

sunt seminaria; in me sanari, & sanctificari, sicut erant sanctæ Passiones in Christo.

## MEDITATIO CCXXVII.

## Feria 4. Domin. 8. post Pentecost.

### *De ordinandis cogitationibus.*

ASpiciam muscas suavitatem mellis auferentes esse cogitationes non mortificatas. Petam eas virtuti subijcere.

*Cons.* 1. Quanta sit deformitas cogitationum non mortificatarum, de quibus ait Cassianus Collat. 14. cap. 11. *Omnis cogitatio, non solùm turpis, sed etiam otiosa, & à DEO quantumcunque discedens, à perfecto viro immundissima fornicatio reputatur.*

*Cons.* 2. Triplex cogitationum esse genus. Immundas, otiosas, necessarias. Primæ duæ ascendunt de corde malè affecto, quasi fumus contagiosus de abysso; quarum nihil reperitur in corde Christi sanctissimo, Deo Patri velut Magneti semper unito. *Una cogitatio felix est, cogitare de Domino,* inquit D. Hieronymus, *de reliquis,* ait idem, *nolo sinas cogitationem crescere.* in Psal. 93, Epist. ad Eustoch.

*Cons.* 3. Actiones ejus sunt. 1. Assiduis precibus à Domino efflagitare, ut cor meum à malis & ineptis cogitationibus emunder. 2. Principijs cogitationum obstare, nam serò

medicina paratur ijsdem provectis. 3. Cogitationes meas ad ruborem & humilitatem manifestare arbitro conscientiæ meæ. 4. Cor meum, & cogitationes meas, quòd Deo pateant, considerare. 5. Bonis semper cogitationibus cor occupatum habere, quæ contrarias intrare non sinant. 6. Impuris cogitationibus custodiâ sensuum, & fugâ malorum repugnare. 7. Curiosis, & otiosis cogitationibus me amore proprij profectûs, & desiderio divinæ familiaritatis opponere. 8. Cogitationibus de rebus necessarijs recordatione divinæ providentiæ, ac summi Patris me ceu filium amantis, obsistere.

## MEDITATIO CCXXVIII.

## Feria 5. Domin. 8. post Pentecost.

### *De cultu corporis, & asperitate.*

VIdebo corpus animæ instrumentum à Deo datum ad virtutem exercendam. Petam illud cultu debito exornare, & asperitate ad virtutem adaptare.

*Conf.* 1. *Servi Christi, quia mundioris vitæ instituta sectantur, corpora castigare volunt,* inquit Lib. de Fide ad Pet. cap. 5. D. August. Utar igitur ejus tesserâ; *Moriar, ne moriar,* Lib 1 Conf. cap. 5.

*Conf.* 2. Ideo vestimenta non debere esse nimis subtilia, sed potiùs aliquantulùm dura, &

ra, & crassa, quæ corpora non ad otium, sed ad honestos labores nata cooperiant. 2. Non leviter, & pueriliter corpori aptata, sed tali modo, ut mentem seriam, & gravem ostendant. 3. Non sordida, nec nimis munda, quæ ad immoderatam curiositatem deflectant. 4 Omni tempore curandum esse; ne omnia in hoc genere amictûs corporalis sint commoda, ut pro amore Domini, in hoc, sicut in cæteris, aliquid patiamur. Et hæc ad cultum corporis spectant.

*Cons.* 3. Asperitates corporis ideo assumi, teste D. August. tract. de utilit. jejunij: *Nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur:* idcirco actiones ejus sunt. 1. Cilicium ex setis animalium contextum, vel ex alia materia asperiore compactum aliquot saltem diebus hebdomadæ induere. 2. Flagris, & funibus, vel alio, quod dolorem inferat, corpus proprium cædere. 3. In lecto semper alieno ab omni mollitie, subinde in nuda tabula cubare. 4. Ab alimentis suavitatem, à potu niniam frigiditatem, quæ delectat, amovere. 5. Jejunijs, inediâ, genuflexionibus, & stationibus in oratione protelatis corpus affligere, frigúsque & æstum, & corporis fatigationem ex itinere, aut labore libenter sustinere. 6. Quidquid aliud carni molestum occurrit, ut gemmam pretiosam assumere. Do-

minus meus semel tantùm legitur supercervical dormivisse, cæterum non habuit, ubi caput reclinaret, præsertim in Cruce. Circa vestitum autem quantas passus est divexationes, quantos in corpore labores, & dolores! Quidquid pœnarum supra culpam tulero, cedet in augmentum meriti.

## MEDITATIO CCXXIX.

## Feria 6. Domin. 8. post Pentecost

### *De mortificatione Tactûs.*

VIdebo Dominum meum crudelissimis manibus asperrimè tractatum, vulneribus rotundis, angularibus, & oblongis dilaniatum. Petam gratiam me circa tactum mortificandi.

*Cons.* 1. Majus virtutis studium ad majorem cum Deo unionem vergit: tantò igitur major mortificatio tactûs requiritur, quantò magis DEVS, qui Spiritus est, abhorret ab omni corporeo.

*Cons.* 2. *A licitis abstinemus, ut quæ commisimus illicita, nobis condonentur*, inquit D. Bernardus serm. 4. Quadr. Et D. Greg. ait: *Qui commisit illicita, à licitis abstinet.* Hom: 34 in Evang. idem aget, qui sanctè odit animam suam.

*Cons.* 3. Actiones ejus sunt 1. quæ minùs honesta sunt, ita quoad usum hujus sensûs cogita-

cogitare, ac si mihi essent impossibilia: Ac potiùs omninò ea non cogitare, sed à momentanea etiam, si potuero, apprehensione repellere. 2. Me ipsum adhunc in partibus honestis corporeis sine manifesta necessitate non tangere. 3. Alterius manum, aurem, caput, vel brachium, nisi evidens necessitas adsit, nullo modo contingere. 4. In vestibus, & lecto soli necessitati providere. 5. Ea, quæ coram me sunt, ad curiositatem non tangere, sed, nisi necessitas aliud postulaverit, manum quietam continere.

## MEDITATIO CCXXX.

### Sabbato Domin. 8. post Pentecost.

### *B. Virgo mortificationis Magistra.*

VIdebo B. Virginem moribus Filio DEI simillimam, & alteram imaginem Christi, Petam eam imitari.

*Cons.* 1. Fructum Redemptionis in B. Virgine magis redundantem, fuisse causam Mortificationis perfectæ magis, quàm in quocunque alio Sancto: juxta D. Bernardū: Epist. 174. *Quod vel paucis mortalium* (ut Hieremiæ, Joanni Baptistæ, &c.) *constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* Minimi nævi plica sunt, quæ ab amplexu dilecti arcent.

*Cons.* 2. Quàm feliciter B. Virgo assecuta

sit scientiam Sanctorum, judicium propriu
subegerit, passiones habuerit domitas, c
gitationes ordinaverit, corpus cultu decen
ornaverit, & asperitate ad omnem virtute
adaptaverit, &, ut verosimile est, Unigenitu
suum non nisi interjectâ telâ lineâ attigeri

*Cons.* 3. Proposita hujus septimanæ i
memoriam reducendo; de lapsibus mea
cusando: veniam petendo: & gratiam pi
niorem emendationis atque imitationis
Virginis. Addendo: *Ave maris stella, &c.*

## MEDITATIO CCXXXI.

## Dominica 9. post Pentecosten.

### *De mortificatione motionum corporis.*

VIdebo corpus nostrum templum Dei
Spiritui sancto consecratum. Peccav
non converti in speluncam latronum.

*Cons.* 1. Quomodo perfectionem Chri
stianam profitens eniti debeat, ut omni
etiam corporis motiones ordinet, vel ideo,
quia *sumptio D. IESV Eucharistici exigu*
*extremam mundiciem*, juxta D. Dionysium
Areopagitam, de cœlest. Hierar. cap. 3. Sicut
igitur è templo etiam venditio columbarum
eliminanda, sic è corpore, quidquid inordi
nati motûs est, profligandum. S. Ignatius
Fundator Societatis JESV in Bulla Cano
nizationis

nizationis dicitur, habuisse Modestiam divinam. Quot gemmis replentur cistulæ Aurifabri in statua argentea, tot replet Deus solatijs, qui se in minimis spoliant, amore Dei.

*Cons.* 2. Ordinari corpus 1. si membra corporis ita regantur, ut unumquodque suam solam actionem faciat, & à motibus cæterorum mẽbrorum penitus supersedeat. 2. Si quodlibet membrum decenter, & prout congruit personæ operantis, & statui, suam actionem præstet. 3. Si loca, & tempora cuique actioni convenientia considerem, & extra cujusque locum, & tempus illam non assumam. 4. Cùm laxandi animi gratiâ severitatem depono, ita hilariorem faciem, & risum admittete, ut tamen semper modestiæ, & circumspectionis meminerim. 5. Hæc non tantùm aliis associatus, verùm & solus, & absconditus propter præsentiam Domini universa considerantis, & Angeli mecum adstantis observare.

*Cons* 3. Verba D. Bernardi de cœna Domini, & S. Cyrilli lib. 4. in Joan. cap. 17. *Si quis vestrûm non tam sæpe modò, non tam acerbè sentit iracundiæ motus, invidiæ, aut cæterorum hujusmodi, immodestiæ, &c. gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo.* Et coram Venerabili me resolvam juxta Cassianum Coll. 12. cap. 8.

*Talis quisque inveniatur in nocte, qualis in die, talis in lecto, qualis in oratione.*

## MEDITATIO CCXXXII.

## Feria 2. Domin. 9. post Pentecost.

### *De mortificatione Linguæ.*

AUdiam de Domino JESV dici Matth. 12. *Non contendet, neque clamabit:* quin & videbo eundem vera semper loquentem, inter opprobria tacentem, pro blasphemis, & crucifixoribus orantem. Petam ejus exemplo linguam meam refrenare.

*Cons.* 1. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir,* ait D. Jacobus cap. 3. Et Tertull. lib. de Patient. addit: *Iam nec fatue quidem dicere sine judicij periculo licet.* Et quia virtutis laus in actione sita est.

*Cons.* 2. Actiones mortificatæ linguæ sunt, 1. Detractiones proximorum etiam de rebus leviſſimis, quæ nullius momenti apparent, fugere. 2. Mendacia jocosa, & officiosa, quamvis ex illis magnum speretur emolumentum, declinare. 3. Duplicitates sensuum, ambiguitates, obscuritatésque sermonis deponere. 4. Rixas, & contentiones, sive pro indaganda veritate, sive pro aliquo negotio gerendo, prudenter abijcere. 5. Omnem jactantiam verborum, arrogantiam, ac laudem, in proprio ore fœtentem, vitare. 6. Quæ

secreta

secreta esse oportet, nemini, nisi ex causa, & in concessis eventibus revelare. 7. Scurrilia, & nugatoria, & statui spiritualis vitæ minimè congrua, loqui erubescere. 8. Otiosa, & vana, otiosis & vanis hominibus loquenda relinquere. 9. Quæ me deceant, quæ audienti conveniant, quæ materiæ congruant, per prudentiam, ad loquendum quærere, & modum in sermone tenendum custodire. 10. In loco ad loquendum non destinato tacere. 11. Erga alios, quibuscum loquar, & erga res divinas, quas exponam, reverenter me habere. 12. Ita linguâ tacere, ut intùs vana non cogitem, & cùm opus est loqui, propter amorem silentij, utilem sermonem non omittam, sed loquar, vel de DEO, vel propter DEVM.

*Cons.* 3. Juvabunt ad linguæ custodiam: 1. Silentij utilitates considerare. 2. Cogitare sermones meos à DEO audiri, 3. Consortia eorum, loca, & tempora, quibus lingua laborat, vitare. 4. Cùm ex domo itur, bono contra linguæ vitia proposito, me munire: & divinum auxilium ad id postulare. 5. Viros prudentes in loquendi modo imitari. 6. Nihil indeliberatè aut temerè effutire. 7. Bonas operationes pro vitijs & lapsibus linguæ Domino offerre.

## MEDITATIO CCXXXIII.

### Feria 3. Domin. 9. post Pentecosten.

### *De mortificatione Oculorum.*

VIdebo constitutionem hominis interioris à compositione exterioris, præsertim oculorum, ut ait Tertull. Lib. de resurrect. carnis. *Facies intentionum omnium speculum est.* Petam eos moderari.

*Cons* 1. Virtus requirit passiones sedatas. Igitur sensus moderatos, & inprimis oculos. *Non licet intueri, quod non licet concupiscere,* inquit D. Greg. Lib. 21. moral. cap. 2. Unde mihi major incumbit necessitas oculos spiritualiter eruendi.

*Cons.* 2 Dominus JESVS quater tantùm oculos sublevasse legitur. In monte docens Beatitates. In panum multiplicatione. In suscitatione Lazari. Et in cœna. Idem verò oculi toties sunt illacrymati, velati, sanguinei, emortui, & eversi, ideo Dominus ait S. Brigittæ: Lib. 1. cap. 11. *Propter reverentiam oculorum meorum, qui erant pleni lacrymis, & sanguinolenti, debent abstinere oculi tui à delectabili visu.*

*Cons.* 3. Usus mortificationis oculorū. 1. Fœminas, juvenes, præcipuè formosos, & comptos, sine manifesta necessitate non videre. 2. Comœdias, & alia similia spectacula

à profa-

à profanis hominibus data, non aspicere 3. Choreis, tripudijs, equorum cursibus, taurorum agitationibus, hastiludijs, torneamentis, & alijs ludis theatralibus non adesse. 4. Libros impuros, aut vanos, vel ad solam curiositatem editos, præsertim vulgares nō legere. 5. Divitum gazas, vasa aurea, & argentea, gemmas, & lapides pretiosos, secularium ornamentis & usibus applicatos, curiosè non contemplari. 6 Hominū nullam, præcipuè virtute non insignium imagines, ad vanitatem & superbiam effictas non considerare. 7. Palatia, ædificia superba, quæ Christus videre contempsit, amœnos hortos, viridaria, & alia hujusmodi ad fastum, & oblectationem potentum elaborata, non solicitè lustrare. 8 Cùm aliquò eundum, sive domi, sive foris subsequentes, vel hàc, seu illàc transeuntes leviter, & sine aliqua necessitate non aspicere. 9. Alterius conclave ingressus, quæ sunt in mensa, aut alio loco, curiosè non scrutari. 10. Oculos mihi solùm ad necessaria & utilia videnda concessos, solùm in res necessarias & utiles videndas intendere, ut esca venatica plus placet præ domestica; sic, qui se visu vincit, magis placet DEO.

## MEDITATIO CCXXXIV.

### Feria 4. Domin. 9. post Pentecosten.

### *De mortificatione Auditûs.*

VIdebo Domini JESV aures, de quibus ipse loquitur: *Aures autem adaptâsti mihi*, valde mortificatas, propter opprobria quæ ijsdem excepit. Petam eum imitari.

*Consi* 1. Qui propter Deum eligit afflictiva, magis placet Deo, quàm qui exercet opera devotionis: quia majoris amoris indicium est, graviora pati propter alterum. Quare si propter minimum opus datur merces in cœlo, quantô major dabitur pro opere mortificationis, exempli causa, auditûs? Si mortificationem dictat Spiritus sanctus. Igitur actiones ejus à Spiritu Dei sunt.

*Consi* 2. Actiones ejus: 1. Si coram me aliquid obscœnum, aut impudicum, aut minùs honestum, vel certè, quod etiam longissimè aliquam impuritatem oleat, aliquis proferre attentet, maximam mei statûs, ac personæ injuriam reputare. 2. Qui talia loqui audent, non tantùm fugere, & detestari, sed eos etiam viles, fatuos, & infames existimare. 3. Amatoria carmina, versus aliquid impuritatis habentes, licet scitè compositos, & cantilenas, à quocunque occinantur, penitus reijcere. 4. Nugas, scurrilitates, verba joculatoria,

culatoria, & narrationes ridiculas, & alia risum, & cachinnos provocantia non audire, nec, ubi hæc dicuntur, assistere. 5. Rumoribus rerum inutilibus, quæ ad statum meum non pertinent, nequaquam intendere. 6. Detractionibus, & obmurmurationibus proximi, etiamsi levissimi tantùm eorum defectus dicantur, nullo modo aures meas præbere. Laudationes meas, & omne genus adulationis, quod me, aut mea efferat, audire contemnere. 8. Quæ occulta sunt, & ab alijs me non vocato ad consilium tractantur, non auscultare, nec me consortio secretè loquentium genere. 9. Nihil audire velle, si non necessitati, aut utilitati, aut charitati aliquo modo serviat. 10. Verba Dei, à quocunque dicantur, frequenter, & humiliter audire, devotè in mentis sinu recondere, & in animæ meæ profectum convertere.

## MEDITATIO CCXXXV.

## Feria 5. Domin. 9. post Pentecost.

### *De mortificatione Gustûs.*

ASpiciam Dominum JESVM fame, & siti afflictum, felle, aceto, & myrrhâ potatum. Petam amore ejus, gustum mortificare.

*Cons* 1. Regnum cœlorum, in quod laborando conscendendum, quodque ab ijs obtinetur, qui in illud vim faciunt, non esse

escam,

escam, & potum; sed escam, & potum esse materiam ad obtinendum magis regnum cœlorum, quò ampliùs in ijs me mortificavero. S. Pachomius dicere solitus: *A quo Tibi servio, tu vôsti Domine, quod nunquam satiatus sum pane, & aquâ.* Et S. Agnes dixit: *Martyrij genus est, delicias habere, & delicijs non uti.* S. Nicolaus Tolentinus abstinebat à pomis P. Alvarez Soc. JESV in hospitio unicum ovum appositum de industria in terram labi permisit, ut ipse etiam in hoc mortificaret. Dominus, ait D. Gertr. Lib. 4. cap. 22. *Ideo sibi fel datum, ut citius moreretur, sed non bibit, ut plus pateretur,* Tardius corrumpentur, citius resurgent, facilius cœlum subibunt, qui se in gustu mortificârunt, ait Tertull. in illud: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* 1. Thessal. 4.

*Cons.* 2. Actiones ejus sunt: 1. Sumptionem cibi præcedat oratio, & directio cordis, quibus petam & velim alimenta necessaria non pro voluptate, sed pro explenda Domini voluntate, & pro naturæ necessitate percipere, & ut corpus consuetâ refectione roboratum possit menti servire, & divinis obsequijs attendere. 2. Saltem dum bene valeo, nihil speciale ad manducandum petere, sed communibus contentum esse. 3. Ex oblatis viliora eligere, ad majorem gustûs abne-

abnegationem. 4. Quæ soli delectationi prosunt, manducare erubescere. 5. Communes cibos nunquam ad satietatem capere, sed ita e mensa surgere, ut tantillùm esuriam 6 Ex quocunque esculento, quod mihi ministratum est, in signum gratitudinis aliquid parum relinquere, quod Domino in acceptissimum Sacrificium delibem. 7. ita comedere, ut non totus comedam, sed mente alicui piæ commentationi, vel his, quæ leguntur, intendere. 8. Si penè finitâ refectione quasi nihil comedissem, nova fames insurgat, adversarij dolum agnoscere, & subitâ relictione mensæ, aut cessatione comedendi illum illudere. 9 Adolescens, aut juvenis vinum sine evidenti necessitate non bibat, nihil tamen inconsulto modetatore suo. 10. Pretiosa vina, & suavia, & delicata penitus non requirere, nec de cibis aut potibus quidquam loqui . 11. Communem aquam, aliúmve potum, juxta cujusque regionis cõsuetudinem, quo omnes utuntur, in usum accipere, sciens, quia nunquam intestina perforabit 12. Horis cœnæ & prandij tantùm bibere, si verò interdiu bibendum sit, potu solùm ad necessitatem uti. Si hæc gravia sunt; amore DEI languet, qui in gravamine propter DEVM susceptо, patiens est.

MEDI-

## MEDITATIO CCXXXVI.

## Feria 6. Domin. 9. post Pentecost.

### *De mortificatione Odoratûs.*

VIdebo Dominum JESVM in Calvario inter cadavera gravi odore vexatum. Petam amore ejus mortificare odoratum meum.

*Conſ* 1. Fœtorem ignis æterni, aut purgatorij, quem toties promeritus ſum; deinde odorem ſuavitatis, quam accipit Dominus meus in minima, v. g. odoratûs mortificatione. Egóne hunc guſtum DEO negem? Plus myrrhæ, plus meriti. Quódve magis naturæ repugnat, majoris eſt gloriæ. Dominus meus minima patientiæ in pretio habuit, & acetum, quo potandus erat, è ſordido inſtrumento, ſpongiâ projectâ inter feralia inſtrumenta, ſumpſit, voluítque patientiæ voluptate ſaginari. Nemo melius agit, quàm qui moribus Chriſti mortificati eſt ſimilior.

*Conſ.* 2. Actiones mortificationis Odoratûs ſunt: 1. Linteola, interulas, & ſimilia odoribus perfuſe, aut non admittere, aut ſaltem in meum uſum non aſſumere. 2. Reliquiaria, quæ mecum geſto, ob prætextum venerationis Sanctorum odorum ſuavitate non replere, ſed odoramentis relictis eas decenter deferre. 3. Modicas cordis aut cerebri imbecil-

imbecillitates assiduâ bonorum odorum gestatione non curare, sed alijs remedijs, quæ minimè lasciviam redoleant, necessirati meæ providere. 4. multò minùs curiositatis, aut oblectationis gratiâ vestes, aut locum, ut suave quid redoleant, permittere, ne me aut pudicum minùs, aut certè minùs cautnm esse prodant. 5. Cùm necesse fuerit ad animarum salutem, aut ad aliquod pium opus gerendum graveolentiam sustinere, eam fortiter perferre, nec propter hanc molestiam ministeria charitatis omittere. Denique nihil tam parvum est bonâ intentione factum, ex quo specialis non sequatur profectus, neque ullus quidquam tam parvum negligit, unde non incurrat meriti detrimentum, ait Dominus S. Gertr. Lib. 4. c. 50.

## MEDITATIO CCXXXVII.

## Sabbato Domin. 9. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo excelluerit in mortificatione sensuum.*

ASpiciam B. Virginem in motionibus corporis, usu linguæ, oculorum, auditûs, gustûs, odoratûs, moderatissimam, Filióque Dei, ac sui simillimam. Petam eam imitari.

*Cons.* 1. Quàm profundè B. Virgo penetraverit, sequentes veritates. Præstare, ut Deus amet me amore ardentissimo, quàm

ut

ut ego amem me ipsum. Sat lucri est in odio mei amor Dei, Si minimâ sensuum mortificatione mihi accrescit gratia, gloria, Deique amor æternus, quid amplius requiro? Scivit etiam in hac vita esse terminum merendi, & miserendi, finitis nundinis, clausâ eleemosynarij januâ, Spes omnes accisas esse. Itaque omni occasione usa est, qua in abnegatione sui, & amore Dei cresceret; sicut enim cursor eò vicinior est metæ, quò magis à prima distat linea; sic vicinior Deo quisque est, quò à se fuerit remotior.

*Cons.* 2. Proposita hujus septimanæ, quibus statui sensus meos cohibere ab omni peccato, vanitate, superfluitate; necessitati & virtuti eos applicare, nihil ex nimietate desiderij, neque ex præcipiti affectu, sed ex electione cum tranquillitate cordis omnia agere. Postulabo remissionem lapsuum per sensus unquam admissorũ: Gratiam abundantem, ut eos cohibeam, intercedente D. Virgine, ad cujus pedes proposita deponam.

## MEDITATIO CCXXXVIII.

### Dominica 10. post Pentecosten.

*Qui censeantur esse in via purgativa, qui in illuminativa.*

VIdebo in publicano adumbratũ quemvis peccatorem, ad gratiam redeuntem,

in

in quo charitas quasi actor Dei zelat, & pœnas ab hoste Dei sumit, atque à Filio parricida satisfactionem exigit. Petam intelligere, quinam censeantur esse in via Purgativa, quique in Illuminativa.

*Cons.* 1. Status viæ purgativæ obligat ex natura sua, & intentione agentis, ad statum gratiæ, & luctam contra omnia vitia, etiam levia. Proponendo sibi ante oculos. 1. Lapsus. 2. Eorum causas. 3. Media, quibus utraque tollantur. 4. Applicando manum operi.

*Cons* 2. Spectant ad viam purgativam sex hominum status. 1. Peccatores etiam miraculosè conversi, ut Paulus. 2. Conversi jam pridem, sed adhuc vitiosi, vel quia initio parum se purgârunt, quod contigit aut ignorantiâ sui, aut pigritia, aut defectu Magistri, aut quia non indigere se putarunt, aut quia præpropere sunt occupati in exterioribus, aut quia relapsi in vitia occasione, & ignavia propria, aut si non graviter lapsi, multis tamen annis quibusdam imperfectionibus pertinaciter, importunè, magna cum impuritate divini amoris, afflictionéque animi oppugnantur. 3. Provecti, dum suscipiunt novas occupationes, præsertim vitæ activæ, ne levis imperfectio causa sit lapsûs gravioris, diu igitur, seriòque purgandi. 4. Innocentes pro occultis, pro venialibus, in cautelam

telam in futurum. 5. Provecti, cùm tentantur, permittente divinâ Providentiâ, & agitantur difficultatibus, sicut incipientes, ut sint soliciti in omnibus, parati ad omnia, ijsdem eos uti armis oportet, quæ incipientibus salutaria præcipuè esse solent. 6. Via purgativa humilitatis gratia exercenda est, exemplo Christi, publicè baptismum pœnitentiæ suscipientis.

*Cons.* 3. Naturam viæ illuminativæ esse, præter peccata venialia deliberata insuper auferre eorum causas subtiliores, ut sint affectus noxij, passiones & perturbationes, etiam sine peccato, non dico gravi, quod spectat ad primam viam, sed veniali. denique studere virtutibus: quia privatio virtutis propinqua nimis est vitio. Unde ab hac via excluduntur. 1. Qui omnia mortalia, nullum veniale vitare volunt, qui status mortalis est ratione periculi. 2. Qui nolunt ab aliquo peccato veniali abstinere: quia hi nolunt proficere, & facilè labuntur lethaliter. 3. Excluduntur, aut vix admittuntur, qui volunt vitare venialia, sed affectus inordinatos nolunt excludere: hi enim proprij amoris nube cæci, tantùm speculativè, non practicè proficiunt: Quia nunquam ad tertium charitatis gradum, qui est puritatis, ascendunt, quàm diu nolunt deputare affectus. Admitun-

mittuntur ad viam illuminativam. qui cum gratia Dei absolutè volunt vitare peccata venialia, quæ de industria fiunt: vellent & subreptitia, sed rebellione carnis, & infirmitate spiritûs prædíti saltem ea minuunt, se ipsos mortificant, custodiunt, utiliter occupant,& ex peccatis ipsis proficiunt, atque in virtutibus se exercent. Hinc intelligam, in qua via sim. In quacunque fuero, bene me cum publicano humiliavero: quia nimis absum ab exemplari meo D. JESV Eychariſtico, qui cum sit *cibus fortium*, August. in manual. Petã ab eo roborari in via Domini.

## MEDITATIO CCXXXIX.

## Fer. 2. Domin. 10. post Pentecosten.

### *Incitamenta ad tentationes alacriter ferendas.*

ASpiciam militem Christi sudore, & pulvere decorum, complacentem sibi in infirmitatibus Petam scire tẽtationis bonum

*Cons.* 1. Coronam appetens potest certamen, tentationem, instrumentum acquirendæ coronæ appetere. Ad hoc circumspiciendum, quòd in quaque tentatione sit, quod in prima primorum parentum, ubi quatuor fuerunt: serpens suggerens, mulier annuens, vir comedens, lignum pulchritudine suâ alliciens. Lignum significat bonum temporale,

serpens

serpens diabolum, mulier sensualitatem, vir rationem. 1. ergo in tentatione est suggestio, quæ peccatum non est. 2. Auditio suggestionis, quæ si non involuntariè accipiatur, inducit jam peccatum minus, jam majus, pro majori aut minori negligentia resistendi. 3. Consensus in delectationem peccati. Cùm igitur tentatio appeti posse dicitur, de suggestione sola id accipiendum est, de qua fructus decerpitur, si diligenter resistatur; qua in re bella spiritualia superant pugnas temporales, quod in his vinci possit resistens, in spiritualibus, quando resistit, non potest.

*Cons.* 2. Tentationes superandas esse: quoniam à Domino tentatione probamur. Milites hujus seculi solent quidlibet audere, ut victoriam obtineant, si sciant se à suo Rege probari, qui illos ad magnam dignitatem ut evehat, primis periculis exponit. Et si adversus hostes magnum odium concipiant, quia ab ipsis spoliati, & vulnerati fuerunt, eorúmque vilitatem agnoscant. Si Regi, quem unicè amant, rem gratissimam se facturos arbitrentur. Si magnum sibi auxilium, & validissimos socios ad hostes superandos advertant. Si denique cumulatissimam prędam vincentibus destinatã sperent

*Cons.* 3. Quomodo hæc omnia me ad victoriam cujusque tentationis verissimè pos-

sint

sint accendere: Nam Dominus, etsi non tentet, ut nos cognoscat, aut in malum impellat, teneat tamen, ut homini tentato, quid ipse sit, ostendat, aut eundem alijs, aut ut ejus peccata & errata puniat, aut illi gloriã cõferat.

## MEDITATIO. CCXL.

## Feria 3. Domin. 10. post Pentecost.

### *De alijs incitamentis appetendæ tentationis.*

ASpiciam militem Christi gloriantem de felicitate tribulationum: ad Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* Petam intelligere causam hujus felicitatis, eámque consequi.

*Cons* 1. Tentationibus resistendum; quia hostes nostros resistentiâ prosternimus, juxta illud: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* 2. Tentationum victoriâ Deum in nobis magnificamus, quia ei Fideles existimus. 3. Tentationum victoria nos Sanctorum coronam obtinemus, teste S. Jacobo: *Quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

*Cons.* 2. Hominem ad tentationum victoriam à Deo, Angelis, & Sanctis iuvari. Deus quidem intelligentiam docet, voluntatem in Spem erigit, fortitudinem subministrat, remedia suppedicat, vires adversarij ligat, impugnationem extenuat, & tandem tentatio-

nis

mis bellum in pacem convertit. Pugnat pro nobis Dominus JESVS stans ad dexteram Dei; pugnat Diva, quæ caput serpentis ab initio contrivit; pugnant Angeli, qui adhuc in cœlo draconi restiterunt, ejusque nunc laqueos detegunt, & arcent; pugnant Sancti, quos Advocatos habemus, subsidia cœlitus suppeditando.

*Cons.* 3. Quomodo succurrat ipsa Ecclesia pro Filijs interpellando; subveniant, quibus tentationes aperimus, dando ad pugnandum arma, & ad vincendum remedia, adsunt & proximi, æquales, ac inferiores, dum bono exemplo ad victoriam movent, vel casibus, ac pœnis ob sua peccata perferendis à similibus avocant.

## MEDITATIO CCXLI.

## Feria 4. Domin. 10. post Pentecost.

### *Tentationibus resistendum ab utili.*

VIdebo cornucopiæ utilitatum, quas ex victoria tentationum extrahit anima victrix. Petam eas agnoscere, & assequi.

*Cons.* 1. Quod anima tentatione illuminetur, & erudiatur, ut se, suámque infirmitatem ac profectum agnoscat, tum ut discat, quomodo alijs afflictis & tentatis medeatur. 2. Tentatio purgatâ præteritis peccatis, quæ sicut delectatione contraxit, ita diligenti re-

pulsu

pulsu earum culpam imminuit, & pœnam; purgat à vitijs, quibus dū resistitur, minuuntur, purgat à præsumptione, cùm sciat homo, quòd victus occumbat, si de virtute sua præsumat: purgat à jactantia, quia videns à Domino se ereptum, in Domino gloriatur: purgat à stultitia, quia tentatio facit hominem cautè incedere, & omnem labendi occasionem devitare.

*Cons.* 2. Tertium utile, quòd tentatio hominem examinet, an Deo gratus, & fidelis existat. Cùm in regno bellum exoritur, statim patet, quæ urbes Regi fideles, quæ perduelles, & ob conspirationem cum hoste infideles. 4. Tẽtatio à peccato præservat, sicut sal carnem à putredine. 5. Tẽtatio propriam fiduciam, filiam superbiæ pellit, qui enim tentationes sentit, manifestè experitur, quàm impotens sit ad resistendum: sicut rudis, Doctoris argumento ligatus; de se ipso diffidit, & Magistri opem exposcit, ita pius tentatione pulsatus exclamat: *Domine, vim patior, responde pro me.* Isai. 3. 6. Tentatio sanctum fervorem imminutum colligit, ut hostibus circumdatus resistat. 7. Tentatio à superbia animam liberat, & eam ignorantem se humiliat. 8. Amorem nobis conciliat erga eum, à quo amati sumus, Deum.

*Cons.* 3. Tentatio est causa verarum divi-

tiarum, seu virtutum. Filij Israël persecutio ne crescebant. Exod. 2. item Ecclesia. 10 Virtutes jam adeptas notificat; nemo se in pace novit, militis vires prælium ostendit. 11. Animam vincentem magnificat. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo.* 12. Deum glorificat: *Invocabo me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Ad Hebr 4. 13. Christo nos assimilat, qui sponte in hac vita tentationes sustinuit. Matth. 4. Hæc omnia tentatio victa operatur. Tentatio autem vincens, contraria.

## MEDITATIO CCXLII.

## Feria 5. Domin. 10. post Pentecost.

### *De fine belli contra vitia.*

ASpiciam finem turbulenti belli adversus vitia, esse serenam pacem. Petam eam consequi.

*Cons.* 1. Tribus modis solet pacis lux post belli tenebras exoriri. 1, quia hostes mutato voluntate inimicitias deponunt. 2. Quia altera pars belligerantium subijcitur imperio Victorum, & ab armis cessare compellitur. 3. Quia a victoribus in nullo parcentibus populus victus magnâ severitate extinguitur. Amicitiam cum vitijs inire non licet. Exod. 23. & 34. Itaque primum signum pacis non erit. Vitia etiam ita subijci non

possunt

possunt, ut vivant nobiscum: restat igitur una assequendæ pacis via, si extinguatur.

*Cons.* 2. Quomodo Num. 33. dicatur: *Disperdite omnes habitatores terræ illius, confringite titulos, & statuas comminuite, &c. alias erunt clavi in oculis, & lanceæ in lateribus.* Extinctis autem ijs possumus, secundùm consuetudinem eorum, qui pace fruuntur, de promovendis bonis cogitare, & vitijs evulsis virtutes plantare.

## MEDITATIO CCXLIV.

## Feria 6. Domin. 10. post Pentecost.

### *De optimo vitia superandi modo.*

Videbo me in armamentario bellico, & præligam Sapientiam, quia *melior est Sapientia, quàm arma bellica.* Eccli. 9. A qua petam artem optimam vitia superandi.

*Cons.* 1. Vnum genus armorum; & victoriæ est, non esse victum: quando tentationes luctantur cum milite Christi, ipse autem virtute destitutus tantùm non consentit, periculosus est hic cõflictus, sicut enim ex ignorantia sequitur error, sic ex defectu virtutis vitium committitur.

*Cons.* 2. Alterum pugnæ genus multò præstantius per studium virtutis, videlicet per triplicem virtutis gradum. 1. est, in tentatione nihil vitij interni, externíque admit-

tere, oppositi virtuti. 2. Est; exercere actus internos,& externos virtutis oppositū vitio, quo tentor. 3. Exercere ejusdem virtutis actus heroicos,internos,& externos Quia externi sine internis non valent, cùm etiam à mente captis exerceri possint. Et rursum quia interni sine externis, non tam diu durant, non fiunt cum tanto conatu, non habent tantam vim ad habitus acquirendos virtutum, non omnes potentias ad perfectionem adaptant.

*Cons.*3. Auxilia præstandi & exercendi hanc doctrinam desumi à scientia definitionis virtutis, ejus materiæ actionem, & incrementorum ad eam, aut occupando tentationem per propositiones conditionatas, vel contraire tentationi digressione, ut ille in Thebaide vexatus spiritu fœdo, vexavit se labore, & confusione.

## MEDITATIO CCXLIV.

## Sabbato Domin. 10. post Pentecost.

### *B. Virgo Refugium in tentationibus.*

VIdebo B. Virginem ut castrorum aciem ordinatam, aut turrim illam, è qua pendent mille clypei. Petā protegi ejus præsidio.

*Cons.*1. Causas, propter quas in tentationes labimur, esse quatuor: oritur enim tentatio

tatio vel ex subtractione gratiæ, vel quòd Deus sinat tentari à dæmone, & carne, culpâ nostrâ, vel occasione, vel permissione. Nullam harum causarum reperimus in B. Virgine, plena donis & fructibus Spiritûs sancti, & gratiâ, & discretione, unde astutias serpentis discrevit, ita ut nunquam ab eo, vel leviſſimè decipi potuerit.

*Conſ.* 2. Præcipuam causam lapsûs esse instabilitatem animi, & ignaviam, ut ait D. Chrysostomus Hom. (Nemo laeditur, nisi à se ipso) contra quam me armabo præsidio B. Virginis, ferventissimæ Ancillæ Domini, ut vel præserver à lapsu, vel à tentatione.

*Conſ.* 3. Relapsum multò teterrimum, & tentationes eum suadentes his similibúsque rationibus præcavendum. 1. *Nihil indignius, quàm agere, quorum proximè pœnituit: Recipere Christum gloriosè, & sequenti die in Crucem agere*, ait D. Chrysost. Hom. 2. ad Ephes. An non sunt hæc magni odij, & contemptûs manifesta signa? 2. Timendum, ne Deus non ignoscat; *voluntariè enim peccantibus*, ait Apostolus, ad Hebr. 10. *non relinquitur pro peccatis hostia*, quia in plura labentes, ingrati Deo speciali gratia privantur: sole autem gratiæ subtracto, fomes peccati plus operatur, unde in peccata fit relapsus: peccati verò recidiva plùs nocet, quàm recidiva

febris. 3. *Melius erat illis non agnoscere vi*
*justitiæ*: 2. Pet. 2. denique ait D Augus
Psalm. 83. *Si canis reversus ad vomitum h*
*ret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?* Sa
tabo B. Virginem Hymno consueto: *A*
*maris stella.*

## MEDITATIO CCXLV.

## Dominica II. post Pentecosten.

### *Dominus IESVS præest Regno virtutum.*

VIdebo Dominum virtutum undique a
ijs cinctum, & petam adaperiri mihi au
rem ad intelligendum regnum virtutum,
linguam ad illud impetrandum.

*Cons.* 1. Verba Domini Joan. 8. *Vos de*
*supernis sum*, quæ interprete Augustino, *hæc*
*ea virtutes, quibus nihil superius. Vos de hac*
*sum estis*, id est, ut ait Origenes, *sursum cor*
*non habetis*, aut, ut loquitur D. Chrysost. *hic*
*Nihil spirituale intelligentes, terrena sapitis.*

*Cons.* 2. Nihil Deo gratius esse, quàm
quis regno virtutum inseratur, & Christum
imitetur, juxta illud D. Chrysost in Ps. 11
*Virtus mater gloriæ*: Quia per quod opus
Deus maxime innotescit & honoratur, illud
est majori gloriæ Deo: ut si Deus creare pos
set alterum Deum sibi æqualem per omnia
satis inde constaret potentia Dei infinita re

liquæqu

liquæque perfectiones Divinæ; sed non potest alter esse Deus, ideóque, ut nihilominus, quàm maximè Deus innotesceret, fecit opus, quo non potest majus, naturam humanam assumendo. Itaque per Christum maximè honoratur Deus. Ergo, qui Christo imitatione propior fuerit, nihil Deo gratius faciet. Nihil sibi melius; quia nemo Christo est par in quærenda gloria Dei: igitur, qui propiùs accedet ad Christum D. propiùs accedet semper ad majorem Dei gloriam. Unde similior erit Christo Domino, & deinceps Deo, quia Christus est Imago Dei. Non ambulabit in tenebris, habebit lumen vitæ, illuminationem mentis practicam, puritatem cordis, æstimationem & fervorem rerum Dei, salutem, meritum, omne bonum.

*Cons.* 3. Quia *Virtus de illo exibat.* Marc. 5. qui non est de hoc mundo, sed de supernis virtutibus, earúmque Rex, ut etiam ad me in sumptione sanctissimi Sacramenti deriventur dona virtutum, orabo adaptari præparatione debitâ.

## Meditatio CCXLVI.

### Feria 2. Domin. 11. post Pentecost.

*De instrumentis virtutum.*

Videbo Dominum in monte, circa quem jacent omnis generis instrumenta virtutum. Petã ea obtinere.

*Conf.* 1. Instrumenta virtutum, unde cœlestia consequi possumus, sunt 1. Cognitio virtutis clara, cum distinctione à vitijs eam mentientibus. 2. Appretiatio ejus, seu æstimatio super omnia alia creata. 3. Postulatio ab ejus donatore Deo. 4. Diffidentia sui. 5. Desiderium virtutis. 6. Intentio actualis operandi ex fine virtutis. 7. Robur mentis in quærenda constanter virtute. 8. Particulare Examen de ea, & oppositio vitio. 9. Frequentatio actuum virtutis internorum, & externorum. 10. Non omittenda occasio exercendæ virtutis. 11. Vita ad leges ordinata. 12. Custodia legum statûs proprij.

*Conf.* 2. Quomodo Regem virtutum flectere possim ad eas mihi elargiendas. 1. Salvatorem pro ijs glorificabo. 2. Peccati contra eas indulgentiam postulabo. 3. Easdem virtutes desiderabo, & petam. 4. Instrumenta pro ijs exercendis memoriter tenebo, ut exerceam earum actus. 5. Petam gratiam exercendi, quod proposui.

## MEDITATIO CCXLVII.

## Feria 3. Domin. 11. post Pentecost.

### *De remedijs contra obices Virtutum.*

VIdebo valla, & macerias ex spinis confectas, tentationes variè ortas, quibus dum

dum non resistimus, aut resistere nescimus, virtutum arcem non obtinemus. Petam remedia contra hos obices.

*Cons.* 1. Dæmoni, & ejus moribus resisti debere Fide, juxta illud 1. Pet 5. *Cui resistite fortes in Fide.* Ideo, cùm Satan venerit, utendum argumentis ex Scriptura sacra, exemplo D. JESV, Matth. 4. *Vade satana: scriptum est enim. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Deut 6 2. Rejiciendus contemptu: *Vidi satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Luc. 10. 3 Explosione: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, corruisti in terram, ad infernum, in profundum laci.* Isai. 4 4. Instantia cum S. Michaële: *Quis, ut Deus?* Apoc. 12. Et *imperet tibi Deus.* Judæ Epist. 5. Reprehensione cum Ezechiele cap. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, perfectus decôre, in deliciis paradisi fuisti. &c. Repleta sunt interiora tua iniquitate, elevatum est cor tuum, peccâsti, perdidisti sapientiam tuam, &c.* 6. Maledictione. Matth. 25 *Ite maledicti,* seu, experiamini nunc illos cruciatus, quos die judicij rebelles Deo spiritus sentietis. 7. Gaudio de ejectione ejus: *Projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & satanas, qui seducit universum Orbem, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum eo, &c.* Apoc. 12. *Et audivi*

*vocem magnam in cælo dicentem: Nunc est salus & virtus.*

*Conf.* 2. Reijciendus satan veritate, ut si pro dæmonibus tanta feciſſet Deus, quanta pro me, ó quantò meliores eſſent! vel humiliatione: *Nos quidem digna factis recipimus*, Luc. 23. Vel imperio, ut: In nomine DEI diſcede, ò ſpurciſſimè ſpiritus. Habet B. Brigitta, quòd dæmon ad nomen JESV & MARIAE cohorreſcat, ad aquam benedictam fugiat; vel juſtâ vindictâ, ut: Tace dæmon, proximâ communione gratias agam, quòd ſis in inferno; Benedictus ille, qui ita tuam punivit malitiam; denique reponam memoriæ illud D. Jacobi: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* cap. 4. Hæc veritas accuſabit me coram DEO, ſi conſenſero tentationi.

*Conf.* 3. Originem, propter quam vitia fiunt, eſſe amorem alicujus boni apparentis, vel odium apparentis mali. Unde qui à virtute non vult deficere, bene diſcernat malum, vel bonum apparens à vero. Optimè hæc diſcernit, qui afflictionem ſui quærit: Quia, ſi ab inordinato appetitu procedunt illa apparentia bona, vel mala, cum afflictione ordinetur appetitus, igitur affligendo ſe diſcernet inter bonum verum, vel apparens. Hæc eſt doctrina D. Petri: *Qui passus*

*deſinit*

desinit à peccatis. 1. Pet. cap. 4. At qui appetitus inordinatos mortificat, patitur.

## MEDITATIO CCXLVIII.

## Feria 4. Domin. II. post Pentecost.

### *De quatuor signis eversæ tyrannidis vitiorum.*

VIdebo regnum vitiorum quadripartitū, in peccata, in malos habitus, in passiones, & in tentationes. Petam explere illud Apostoli: *Odientes malum.* Ad Rom. 12.

*Cons.* 1. Signa diminutionis peccatorum esse octo. 1. Nunquam deliberatè peccare. 2. Nec indeliberatè venialia gravia. 3. Nec levia contra multas species. 4. Nec contra paucas. 5. Nec levia periculosa. 6. Nec Dei cultum concernentia. 7. A lapsu tantocyus dolere. 8. Zelare in alijs idem.

*Cons.* 2. Signa exstirpatorum habituum pravorum esse quinque. 1. Si minor sentiatur ad peccatum inclinatio. 2. Si major facilitas ad resistendum. 3. Si aversio ab antiquis affectibus. 4. Si positiva difficultas ad facta olim peccata. 5. Si moralis impotentia.

*Cons.* 3. Signa refrenatarum passionum esse quinque. 1. Nunquam ab ijs pertrahi ad offensam Dei, vel proximi. 2. Neque ob perturbationem, vel inclinationem ab ijs abduci. 3. Rarò, & quasi speculativè ab ijs

excitari. 4. Si insurgentes mox reprimantur. 5. Naturalibus passionibus tantùm ad bonum uti.

*Cons.* 4 Signa victoriæ tentationum esse quinque. 1. Si ad peccatum nos non pertrahant. 2. Si nec ad periculum. 3. Si rarò nostrâ culpâ oriantur. 4. Si neque in vehementi occasione. 5. Si eas magis sensus abhorreat.

## MEDITATIO CCXLIX.

### Feria 5. Domin. 11. post Pentecost.

### *De Regni virtutis præstantia, & quatuor indicijs obtentæ virtutis.*

ASpiciam Regnum Virtutum velut metam bonorum, & honorum, generisque humani beatitatem. Petam in amorem ejus exardescere.

*Cons.* 1. Quòd Virtus sit qualitas, & habitus animæ, ad bene operandum inclinans, & efficiens, ut homo bene vivat, nec possit eo malè uti: quia quando malè agit, non sequitur virtutem, cujus regula est recta ratio, lex sancta, & consilia Dei. Incitant ad virtutem. 1. Deus, qui imponit nomina rebus convenientia: Sed virtutibus dat nomen boni, nomen divitiarum, thesauri, beatitatis: sunt igitur virtutes propria hominis vera, & pretiosa bona, nobis promissa: 2. Pet. 1. 2. ad

Cor. 4.

Cor. 4. Veræ hominis divitiæ, & thesaurus, faciúntque verè beatos Psal. 118. *Beati, qui ambulant in lege Domini.* Sunt virtutes divinæ vestes, quibus anima ornatur. Est virtus vera & sola nobilitas, & consanguinitas Christi. Apoc. 3. Ipsa virtus discernit inter Luciferum & Seraphinum, Cain & Abelem, Judam & Petrum, malos & bonos, imperfectos, & perfectos, mancipia inferni & cives cœli.

*Conf.* 2. Actiones virtutis in genere sunt: Frequentare ejus actus, optimâ intentione, perfectè, Cujus signa sunt. 1. Omnia ex motivo supernaturali agere. 2. Agere sine peccato meritum corrumpente. 3. Multiplicatis intentionibus agere. 4 Agere plenâ diligentiâ: Ita B. Aloysius ad omnem pene actum dicebat: *Propter te Domine.*

*Conf.* 3. Indicia adeptæ virtutis esse. 1. Si vitia virtuti opposita sint extincta. 2. Desiderium vehemens in virtute crescendi. 3. Facilitas ac voluptas in bene operando, atque conformitas vitæ cum vita Christi, & Sanctorum. 4. Si passiones & affectiones videantur moderatæ. Cujus rei signum est, si perfectiùs & faciliùs agantur præcepta, & consilia, si majori constantiâ, si in magis arduis, si omni, quo potest, tempore, hoc manifestum signum bonorum est habituum.

MEDI-

## MEDITATIO CCL.

### Feria 6. Domin. 11. post Pentecost.

### *De alijs signis obtentarum Virtutum.*

VIdebo hominem, sive divnâ vi, sive multo usu ad vitijs prorsus contraria inclinatum, totúmque virtuti addictum, ut ingens calor omne frigus depellit. Petam signa obtentæ Virtutis agnoscere.

*Cons.* 1. Signum profectûs in virtute est propositum universale vitandi quodcunq; peccatum deliberatum veniale, non labi ex consuetudine, non esse in exercitio, aut saltem desiderio virtutum languidum: languidi enim non censentur proficere, quia deficiunt.

*Cons.* 2. Virtutes aliæ, ut Modestia exterior, facilius, aliæ difficilius exercentur, ut Abnegatio judicij proprij, conformitas cum voluntate Dei. Itaque in facilitate exercitij Virtutis attendendum, unde, an ex natura sit, ut solent facilè operari, non tentari: an ex resistentia, quod est virtutis, an sit ex actu virtuti accessorio, ut sunt lumina, pax, facilitas, delectatio: an sint actus virtutum substantiales, quos si quis exercet constanter proficit, licet certus non sit de profectu.

*Cons.* 3. Specialis profectus agnosci potest inter

inter tentationes, passiones, imò & lapsus veniales: ut si quis graviter in puritate tentatus, vel non labitur, quod est virtuosi: quò enim quis gravius tentatus resistit, perfectiùs possidet virtutem: vel simul in alia virtute non advertenter proficit, ut in obedientia, in qua nullam habet difficultatem, in puritate autem habet, sed tamen vincit, quantumcunque afflictus. hic vir est,

*Cons. 4.* Notanda tentationum origo, decursus, & exitus, ut, si levissima, vel nulla quasi de causa oritur immediatè frequens, acris tentatio concupiscentiæ, in homine inferiori. Quam deinde dæmon, rebus peslimis imaginationem replendo, inflammet (quod idem est de ira, vindicta, tepore) signũ est debilitatis. Quòd si nulla causâ alia data ab imaginatione incipit tentatio, vehementiusque crescit, illa est à dæmone vexare permisso jam utcunque fortem in virute. Ita Sancti carne, blasphemiisque impugnati ad fovendam humilitatem, meritumque augendum.

*Cons. 5,* In progressu attendendum, quomodo excipiatur tentatio, & quomodo ei resistatur: qui enim cadunt animo, affliguntur, turbantur, grave malum putant tentari, vacillant, franguntur, valde imperfecti sunt. Contra, qui prævident tentationem, vigiles

expe-

expectant, acceptant à Deo diffisi sibi, confisique DEO, animosè cum fructu & merito resistunt: hi sunt in virtute provecti.

*Conf. 6.* In exitu duo considerandа sunt: vel enim tentatus victus est, vel vicit. Imperfecti, si fortè superent, statim superbiunt, suisque confisi viribus periculosâ securitate sopiuntur: quòd si superentur, dejciuntur animo, ut vix resurgere velint, abjectis propositis bonis, consuetísque exercitijs. Contrà provecti si vincunt, omnia Deo tribuunt, minusque securi vivunt, causas & occasiones, unde impeti possint, indagant: quòd si vincantur, animosiùs resurgunt, & lapsi humiliores, cautiores, vigilantioréque efficiuntur, jacturam fervore compensant, uno tantùm modo victi, pluribus de causis victores evadunt, humilitate, fervore, &c.

*Conf. 7.* Ex ipso virtutum exercitio cognoscitur ejus profectus. Si nihil præcogitando eam exerceat: si non tantùm ardua, sed minima æstimet: imperfecti enim contemnunt minima, hunc ergo contemptum superare, & virtutum honestatem, ubicunque inveniatur, magni facere, paritérque amplecti, signum solidæ probatæque virtutis est. Præterea, si puriore fiat intentione: quia virtus perfectior, purior intentio. Denique major profectus, majorem cum Deo communica-

tionem

tionem adfert: videndum igitur, quomodo ea, quæ ad Deum spectant, peragam: ex unione enim cum DEO majori, virtus sine fine crescit.

## MEDITATIO CCLI.

## Sabbato Domin. II. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo in his ex-celluerit*

ASpiciam B. Virginem omni armaturâ fortium instructam, utpote Virtutum Reginam, cōtra omnes hostilitates munitam. Petam sub ejus auspicio bella Domini gerere.

*Conf.* 1. Si unquam tentata fuit Virgo SS. (quemadmodum legimus tentatum Christum D.) sic fuisse tentatam, ut verum esset, quod de D.V. loquitur S. Aug. Lib. de nativ. & grat. c. 36. *Perfectè vicit peccatum.*

*Conf.* 2. Memoriâ repetendo tentationes meas, an & ego perfectè vicerim peccatum? Si vici, quid retribuam Domino? quòd si victus, quas ob causas? resurgam fortiùs, & instrumenta virtutum contra earum obices assumam, quibus sensi me maximè juvari.

*Conf.* 3. Debilitatem meam, qui ampliùs, quàm septies labor. Itaque recurram ad B. Virginem, ut scapulis suis obumbret mihi, orando secundo, vel tertio modo,

*Sub tuum præsidium.*

MEDI-

## MEDITATIO CCLII.

## Dominica 12. post Pentecosten.

### *De amore Dei, & proximi.*

VIdebo Dominum JESVM ab amore DEI ad hominum dilectionem impelli, ut æneus globus resilire solet ex mole oppositâ, quâ impetijt. Petam geminam hujus Samaritani charitatem assequi.

*Cons.* 1. Charitas erga Deum est virtus, qua Deum propter se ipsum, bonitatémque suam diligimus. Unde sunt rationes duæ, ob quas summè amandus est Deus. 1. Quia summè amabiles propter se, & attributa infinita, præsertim propter Bonitatem, & Pulchritudinem. 2. Quia summè amat, præsertim homines. Adde, quòd amor ipse sit origo & fons omnium affectuum. Atqui Deus est charitas. Actum amoris tria faciunt præstantissimum. 1. Bonitas supernaturalis, quam sumit à Deo, & superat omnium hominum & Angelorum actus naturales, omnésque dolores, & mala, etiam possibilia. 2. Augmentum gratiæ, quod etiam minimo actui amoris Dei debetur. 3. Augmentum gloriæ æternæ, quæ actum amoris consequitur. Actiones charitatis sunt. 1. Affectu copulari & conjungi Deo, tanquam summo bono. 2. Velle Deo bona ejus, attributa videlicet,

delicet. 3. Gaudere de bonis Dei. 4. Desiderare, ut omnis creatura illum adoret, illique serviat. 5. Dolere de omnibus peccatis, quia sunt injuria Dei. 6. Proponere omnium mandatorum custodiam, imò & consiliorum, & inspirationum. 7. Lætari de omni eo, quod Deo placet, sive adversum sit, sive prosperũ. 8. Tristari de eo, quod ei displicet, & adversatur. 9. Postulare instanter charitatem.

*Cons.* 2. Charitas erga proximum est virtus, quâ proximos omnes diligimus propter Deum. Incitant ad eam. 1 Hominis conditio, quia omnes fratres sumus. 2. Præcepti dilectionis utilitas, necessitas, suavitas. 3. Efficacissimum exemplum Dei, Christi, Angelorum, qui omnes diligunt nos. Actiones charitatis erga proximum sunt: 1. affici erga homines, ut sunt capaces beatitudinis, propter Deum. 2. Velle illis omnia bona in ordine ad gratiam, & gloriam. 3. Velle illis eatenus bona corporis, quatenus illis ad salutem conferunt. 4. Lætari de profectu spirituali eorum, & dolere de malis eorundem. 5. Cupere malis eorum remedium adferre. 6. Neminem temere judicare, neque contemnere, sed quemvis juxta ejus qualitatem magni ducere. 7. Nemini obloqui, sed laudare, defectus benignè excusare, aut modestè dissimulare, & ab eorum oculis, qui remedium

medium adferre non possunt, abscondere. 8. Omnes proximos juvare, verbo, opere, exemplo. 9. Inimicos diligere, benefacere his, qui oderunt nos, & paratos esse pro eorum salute vitam fundere.

*Cons.* 3. Samaritanum infundentem vinũ, & oleum, ad vulnera illius descendentis in Hiericho, sed melior est panacæa confecta ex melle & lacte sub lingua D. JESV: Cant. 4. quia *postquam Sacerdos suâ linguâ super Hostiam verba consecrationis finivit, ibi est mel divinitatis, & lac humanitatis,* inquit S. Antoninus Tom. 6. cap. 2. num. 20. Opusc. 58. cap. 11. Et Isaias Regis morbum ficubus appositis curavit. D. Thomas ait, quòd ficus bis dictæ dulces, Corpus Christi DEI & hominis significent.

## MEDITATIO CCLIII.

## Feria 2. Domin. 12. post Pentecost.

### *De documentis ad consequendum dilectionem DEI.*

VIdebo, quomodo, ut lux Solis omnes stellas, oceanus omnia flumina, immensus ignis omnes igniculos absorbet, sic DEVS, qui charitas est, omnes ad se trahit amores. Petam similiter attrahi.

*Cons.* 1. Insipientium opiniones, & tepidorum murmurationes esse contemnendas.

Non

Non illos, sed illorum dicta, sensus, definitiones, pro nihilo reputanda. 2. Fugienda non magna tantùm, sed etiam peccata levia, nec unquam scienter faciendum, quod imperfectionem agnoscam. 3. Quotidie bis se ipsum excutere, & mala cogitationis, verbi, operis, & bona: Quod ineptum, quod non fervidum in eis cognoscere, & emendare. 4. Mortificationem sensuum, tam exteriorum, quàm interiorum, & corporis discretam afflictionem assumere, & passionum moderationem procurare.

*Cons.* 2. Nimium amorem erga rem creatam quamcunque devitandum, & cor purum à rebus visibilibus custodiendum. 6. De humilitate, & subjectione sic existimandum, ut nullum opus magnum mihi fore proficuum sperem, quòd non humilitas condiverit, obedientia dictaverit. 7. Ne sim in operibus meis, aut exercitijs singularis, sed ea efficaciora mihi ad capessendam perfectionem judicanda, quæ communis usus congregationis approbat, & majorum instituta præscribunt. 8. Conversatio cum hominibus admodum moderata sit: Angelorum, & Sanctorum colloquio ad perfectionem juvabor.

*Cons.* 3. Externas occupationes à charitate demandatas magnâ libertate spiritûs incipien-

incipiendas, sine ulla spiritûs anxietate peragendas, magnâ spiritûs tranquillitate perficiendas esse. 10. Negotiorum multitudinem, quæ vires corporales, aut spirituales excedant, nequaquam admittendas; non plus filiorum, quàm lactis; non plus negotiorum, quàm virium. 11. Orationi, & contemplationi semper insistendum, ne orationis tempora ulla mihi negotia surripiant. 2. Hæc demum sit jugis occupatio, Deum aut extra me, aut intra me præsentem intueri, & puris desiderijs, ardentibus alloquijs, & ignitis amoris affectibus ad eum aspirare.

## MEDITATIO CCLIV.

## Feria 3. Domin. 12. post Pentecost.

### *Quomodo Christus D. excelluerit in usu charitatu.*

VIdebo Angelos ad pedes Domini JESV procidentes, præ admiratione dilectionis eius, erga Deum Patrem, & nos. Petam infinitam Christi in Deum, & nos charitatem assequi.

*Cons* 1. Charitatem Christi in DEVM, quando se obtulit à quadraginta diebus DEO Patri in templo. Quando dixit se in ijs esse debere, quæ sunt Patris. Quando zelabat pro domo Patris. Quando speciale aliquid

aliquid facturus primùm cœlos suspiciebat, Ipse denique dixit, cibum suum esse, facere voluntatem Patris semper.

*Cons.* 2. Infinitam charitatem Christi erga nos; quia nobis natus, datus, nobis vixit, laboravit, passus est, & pro nobis animam suam dedit, quâ charitate non datur major.

*Cons.* 3. Charitatem Christi erga inimicos. Fugit in Ægyptum, ut inimicis suis benefaceret. Arguit vindictam volentes contra Samaritanos: Quia venit ignem charitatis mittere. Accipit osculum a Juda. Satiatur opprobrijs, orat pro inimicis, idemque nobis suadet, & nomen Dei Filij promittit.

## MEDITATIO CCLV.

## Feria 4. Domin. 12. post Pentecost.

### *De fructibus perfectæ dilectionis.*

SVspiciam fructus duodecim perfectę dilectionis, dulces eos habenti. Petam eos assequi.

*Cons.* 1. Fructum perfectionis 1. qui est puritas mentium: perfecta enim charitas, perfecta lux pellit & mortalium tenebras, & venialium umbras. 2. Fructus est abjectio temporalium: charitas enim perfecta plenus thesaurus omnes mentis recessus implet. 3. Quies appetituum: perfecta enim charitas prudentissimus gubernator rempublicam

nostram

nostram regit, & ad tranquillitatem redigit. 4. Circumspectio verborum: charitas enim carbo ignitus, oris sordes exurit, & labia purificat.

*Cons* 2. Fructum. 5. Qui est munditia cogitationum: charitas enim perfecta exteriorum quidem operum bonitatem quærit, & minimas ab eis imperfectiones removet: sed majori curâ cogitationes custodit, & phantasias fœdas, amaras, suspicios as amovet. 6. Impatientia desideriorum, vel incrementa: charitas enim perfecta ignis est, quę nunquam dicit, sufficit, & semper nova opera addit veteribus, & cùm fatigata putatur, tunc dicit: Nunc cœpi: aliæ cupiditates lassantur, hæc nunquam. 7. Solicitudo virtutum: charitas enim, ut mater solicitissima, omnes virtutes ad opus & labores suscipiendos excitat, & occasionem earum exercendarum quærit, oblatam ingenti gaudio amplexatur. 8. Pulchritudo operum: ita enim charitas opera perficit, ut non solùm vulgo placeant, sed & Deo, & Angelis grata, & ex omni parte perfecta videantur.

*Cons.* 3. Fructum 9. Qui est sustinentia adversitatum: nam charitas est giganteæ fortitudinis, onera adversitatum alijs importabilia expeditè portat, nec eis premitur, nec obstatur, nec fatigatur. Imò etiam cum hi-

laritate

laritate sustinet. 10. Collectio internarum virtutum; charitas enim ut magnes memoriam, intellectum, voluntatem ad Deum trahit, nec à Deo divelli patitur. 11. Concordia voluntatum; facit enim charitas, ut hoc voluntas divina in suo genere præstet voluntati nostræ, quod in suo animo præstat corpori nostro. 12. Transformatio in Deum, quod fit virtutum Dei quâdam imitatione, & omnis immunditiæ abjectione. *Talis quisque noſtrûm est, qualis ejus dilectio, terram diligis, terra eris, Deum diligis, Deus eris,* inquit August, Tr. 2. epist. 1. in Joann.

## MEDITATIO CCLVI.

## Feria 5. Domin. 12. post Pentecost.

### *De Amicitia.*

ASpiciam vinculum veræ amicitiæ de manibus Christi mihi porrigi; Petam usum ejus intelligere.

*Cons.* 1. Amicitia est mutua duorum benevolentia, in Virtute fundata, & bonorum communicatione conjuncta, vel est virtus, quâ homo decenter comiter, & suaviter se habet cum illis, quibuscum vivit, & conversatur.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Amicorum ope ad cœlestia promovemur. 2. Amicitia est imago patriæ cœlestis, in qua Angeli se mutuò di-

ligunt, & suavissimè conversantur. 3. Est utilissima, & suavissima; ab amico enim fideli habemus in dubio consilium, in afflictione refrigerium, in mœstitia solatium, in necessitate, sive spirituali, sive temporali subsidiũ.

*Conf.* 3. Actiones 1. amicos perfectos, vel studiosos eligere. 2. Eos non aliam ob causam, sed ob virtutes in eis relucentes diligere. 3. Debitam cum ijs mensuram conversationis tenere, sine offensione aliorum. 4. Amicis capacibus arcana aperire, & ab eis directionem exquirere. 5. Amicorum defectus blandè corrigere, vel dissimulare, vel ferre patienter. 6. Tempore adversitatis eos maximè complecti, in prosperitate eis gratulari, & immoderatam eorum lætitiam bonis consilijs reprimere. 7. Nihil inhonestum ab eis postulare. 8. Libenter eos juvare, & ab ijs juvari. 9. idem cum ijs velle, licet judicia dissentiãt. 10. Absentes prudenter defendere. 11 In communi cum ijs conversatione decorum servare. 12. Ita amicitiam temperare, ut immoderata non fiat, alios offendat, non nimis distrahat; alias cessaret esse vera amicitia: quia procederet ab affectu inordinato, à tepiditate, à dæmone, à propria malitia, adeóque esset pessima: *Quid nequius, quàm quod excogitavit caro, & sanguis?* Eccl. 17. vers. 30.

MEDI-

## MEDITATIO CCLVII.

### Fer. 6. Domin. 12. post Pentecosten.

*De documentis ad fraternam charitatem, eiusque gradibus, fructibus.*

ASpiciam Dominum IESVM fraternam charitatem ad perfectionem deducentem examore DEI, ut solis radij reflexi perficiuntur. Petam eam assequi.

*Cons.* 1. Documenta ad fraternam charitatem. 1. Fratrem non ut carnem, & sanguinem, sed ut imaginem Dei aspicere. 1. Eundem non ut alienum, sed ut mihi conjunctissimum cogitare, cujus prosperitas & adversitas mea est. 3. Fratrem molestum, & adversum non ut nocentem, sed commodantem habere. 4. Malevolentiam erga fratrem in corde non pati, sed pro eo preces DEO offerre. 5. Familiaritas nimia cum quovis, etiam sancto, tinea charitatis est, non charitas, 6. Si immoderatè fratrem amavero, ne de ejus donis magis credam meæ cæcitati, quàm aliorum veritati. 7. Est temporales omnes despicere res; earum enim amor sæpe fratres turbavit. 8. Vincere propriam voluntatem, eámque fratrum voluntati subijcere 9. Abnegare proprium judicium, nec meis definitionibus insistere: hæc enim origo discordiæ. 10. Charitati & con-

cordiæ nihil præponere, sicque sua negotia peragere, ut fraternam charitatem non lædant. 11. Nulla causa justa iram adversus fratrem admittendi. 12. Si me non diu victurum cogitavero, molestias fratrum leniter feram.

*Conf.* 2. Fraternæ charitatis gradum 1. esse, quô amicos & inimicos ita diligimus, ut nec opere, nec verbo, nec desiderio ullum eis malum inferamus, ullámve injuriam. Gradum alterum fraternæ charitatis esse, quô tam amicos, quàm inimicos, beneficos, & maleficos, ita complectimur, ut omne bonum eis desideremus, & oblatâ facultate, bona temporalia, & spiritualia impertimur. Sicut enim læso proximo læditur Christus, sic quod fit minimo propter Deũ, fit Christo. Fraternæ charitatis gradum 3. esse, quô ita amicos, & inimicos amamus, & tantâ solicitudine eis mala cavemus, bona procuramus, ac si nobis ipsis, vel bona procuranda, vel mala cavẽda essent. Desiderabo hos gradus, & cavebo, ne peccatum fratri permittã, neque potens remedium adhibere dissimulem, unde latiùs serpat, & convalescat, nisi in fraternam charitatem velim delinquere.

*Conf.* 3. Fructus charitatis proximi. 1 Neminem temerè judicare: non præsidem: quis enim te constituit judicem judicis? ille di-

vino

vino lumine regitur, quid tu huic tuum judicium opponis? non æquales, inferiores ve, nec enim horum judex es; & ab omnibus omnia velle, est, ut pes videat, oculus ambulet, desiderare: *Excusa*, inquit Bernard: *Intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta surreptionem, puta calumniam, dic, vehemens fuit tentatio, quid de me illa fecisset?* 2. Fructus nemini obloqui verbo, contumeliam aut injuriam irrogando, sed absentium honorem tueri, præsentium corda dulci & prudenti sermone lenire. 3. Fructus est, omnes opere & exemplo juvare. *Quid tuos aliud, quàm te opinaris.* Tertull. lib. de Pœnit.

## MEDITATIO. CCLVIII.

### Sabbato Domin. 12. post Pentecost.

### *B. Virgo Magistra [illegible] Charitatis.*

VIdebo in B. Virgine sicut in speculo, ut ipsa de se apud D. Brigittam loquitur, lib. 1. cap. 22. repræsentatam, & expressam charitatem. Petam eam assequi.

*Cons* 1. Inter alias virtutes, quibus B. Virgo ibidem S. Brigittæ dicit, excelluisse se, fuisse charitatem; *Habui*, inquit, *præcipuam charitatem, pro qua sic appropinquat Deus mihi, ut qui videt Deum, videat me, & qui videt me, videre potest Deitatem & humanitatem in*

*me quasi in speculo: anima enim & corpus meum puriora sunt Sole, & mundiora speculo. Non est dulcedo, quæ non est in me:* adeò eam Deitas in se concluſit ſive quòd exiſtentibus in gratia ipſe Spiritus ſanctus ſecundùm ſubſtantiam detur, ſive quòd Virgo Chriſtum in utero habuerit, in quo erat unita divinitas, & humanitas.

*Conſ.* 2. Quomodo utramque charitatem Dei & proximi exercuerit in Filio Dei, & ſuo, & in omnes corde, verbo, & opere, & adhuc in cœlis, exerceat.

*Conſ.* 3. Præpoſita hujus ſeptimanæ facta, eámque ad S. altare pedum B. Matris deferam benedicenda, & exercenda, ut vivam amore, & amore moriar.

## MEDITATIO CCLIX.

## Dominica 13. poſt Pentecoſten.

### *De Abſtinentia.*

VIdebo Dominum meum à propoſitis ciborum cupedijs abſtinentem, pane, piſce, aquâ contentum, imò & 40. diebus ac noctibus inter beſtias ſponte jejunum. Petam eum imitari.

*Conſ.* 1. Abſtinentia eſt virtus, quâ voluptatem in uſu ciborum ſitam refrenamus, & debitum modum in eorum ſumptione conſtituimus.

*Conſ.* 2.

*Conf.* 2. Incitamenta ejus sunt: Christus Dominus perpetuô abstinentiam colens, parcissimè cibis utens, qui extra tempora nunquam legitur comedisse, sed bene serò manducabat, cibum vilem, & modicum, sæpiùs esurijt, sæpiúsque sitijt, ejus potus frigida petita à Samaritana, myrrhatum vinum, acetum, & fel. Oblatos cibos postposuit convertendæ Samaritanæ. Nunquam legitur comedisse carnes, nisi Agni Paschalis, quod fecit in typo & figura. Ludolph. part. 2. cap. 53. Ad suum convivium, quod bis instituit, panes adhibuit hordeaceos, & pisces, cibos facilè parabiles, & solùm miraculum facit in multiplicatione, non mutatione qualitatis. Viator Christus multùm jejunavit ductu Spiritus S. glorioſus autem propositam piscis assi non integri partem cum favo melis comedit. In hac abstinentia exercuit Discipulos, & turbam, de qua ait D. Chrysost. Hom. 54. in Matth. *Nullæ procurandæ mensæ solicitudine tenebatur* Præterimitationem Christi invitat, ad abstinentiam ejus finis, quia ordinatur ad tollenda vitia, virtutes acquirendas, tentationes superandas; propterea, quòd spiritum elevet, rationem illuminet, confortet voluntatem, & copulata orationi abstinentia multa bona à Deo impetret, eámque Deus in hac vita

suis, suorúmque Angelorum consolationibus Matth. 4. remuneretur. Denique *in famentium multorum societate cibis distendi crudelitas videtur*, ait D. Laurent. Justinian, Lib. 20. de Discipl. Monach.

*Conf.* 3. Actiones ejus sunt: 1. Cibos ab Ecclesia vetitos pro tempore, non sumere. 2. Jejunia Ecclesiæ servare, & ex consilio aliqua suscipere. 3. Horam consuetam refectionis tenere. 4. Lautiora & pretiosiora aversari. 5. Communes cibos libenter assumere. 6. Quantitatem solùm necessariam admittere. 7. Ante refectionem, cibi cogitationem excludere, in actu edendi aviditatem cohibere. 8. Ex quantitate, qualitate, & numero esculentorum ea omnia detrahere, quæ sanitati corporis, & puritati mentis officerent, juxta illud: *Sanitas est animæ & corpori sobrius potus*, Eccli. 31. cujus fortè defectu tot hodie leprosi Christo occurrerunt. Dicebat S. Bernardus serm. 25. inter parvos. *Tria sunt, quæ faciunt sanctum, victus sobrius, actus justus, sensus pius*: Addam ego quartum, Evchariſtiæ esus.

## MEDITATIO CCLX.

## Feria 2. Domin. 13. post Pentecost.

### *De Beneficentia.*

VIdebo D. JESVM visceribus misericordiæ

diæ indutum, qui pertransijt benefaciendo. Actor. 10. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Beneficentia est affectus voluntatis operi conjunctus, quo propter Deum conferimus beneficia in omnes, in quos possumus.

*Cons.* 2. Incitamenta ad eam sunt: 1. fraterna charitas sine beneficentia exigua est, aut nulla. 2. Beneficentiæ opera sunt hostiæ Deo acceptissimæ, habentes pro mercede ipsum Deum. 3. Omnis creatura nos ad beneficentiam invitat: nihil enim est in natura, à quo beneficium non accipimus, 4. Exemplum Christi, qui nobis beneficentissimè donavit conceptionem suam, vitam, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juvẽtutem, mortem, resurrectionem, ascensionem suam, & missionem Spiritûs sancti, ut conceptio ejus emundaret meam, vita ejus instrueret meam, mors ejus meam destrueret, resurrectio ejus meam præcederet, ejus ascensio meam præpararet, Spiritus eius adjuvaret infirmitatem meam. Adeò Christus ubique fuit beneficus, & utilis, loquens & tacens, tangens, & attrectatus, dormiens & vigilans, sedens & stans, denique peregrinus inter homines versans omnes male habentes curavit, Matth. 4. & 8.

*Cons.* 3. Actiones ejus sunt; 1. Beneficia

temporalia & spiritualia, doctrinæ, consilij, & exempli, pro facultate omnibus domesticis & externis, cognitis, & incognitis elargiri. 2. Hæc eadem, cùm petuntur, statim, sine mora, bilariter, & libenter dare. 3. Si proximo utilia, vel ad ostensionem amoris necessaria sunt nostra obsequia, ea gratanter ingerere. 4. Ignorantes, & nihil de nobis cogitantes. cùm Deo gratum fore putatur, operibus puritatis afficere. 5. In gratiam, & utilitatem aliorum aliquam incommoditatem sustinere, & pro salute eorum spirituali, etiam vitam temporalem exponere. 6. Pro beneficijs exhibitis nihil hic compensationis expectare, sed à Deo. 7 Ita dare, quomodo vellemus accipere. Glorificabo salvatorem pro hac virtute. Peccati contra eam postulabo indulgentiam, eandem virtutem expetam.

## MEDITATIO CCLXI.

## Feria 3. Domin. 13. post Pentecost.

### *De Castitate.*

VIdebo Dominũ JESVM in turture figuratum; quia *vox turturis prædicatio Castitatis*, inquit D. Bernardus; serm. 59. in Cant. At teste D. August. serm. 17. de temp. & 33. ex 50. *D. IESVS Castitatis auctor, & primus ejus Magister*, Petam Domini prædicationem capere.

*Cons.* 1. Castitas est virtus, quâ ab impuris carnis voluptatibus abstinemus: vel quâ corpus à carnali concupiscentiæ pollutione custoditur, & mens ab omni impura concupiscentia munda servatur.

*Cons* 2. Incitamenta ad eam sunt: 1. honor corporis quia per Castitatem à conditione bestiarum educitur ad similitudinem Spirituum beatorum. 2. Est honor animæ, quæ in illa, ut in cælo habitat, per incontinentiam in cœno habitatura. 3. Præmium ejus in cœlo, nomen melius à filijs & filiabus. 4. Quia S Ignatius M. ep 11. suadet in Castitate permanere propter honorem carnis Dominicæ. 5. Propter reverentiam Sacratissimæ Eucharistiæ. 6. *Exerce te in Castitate, quoniam hic sanguis nil magis diligit, quàm in Christo Virgines*, inquit S. Paschas. de Venerab. cap. 21. 7. *Dominus noster Iesus ideo per casta Virginis membra venit ad terras, ut ostenderet Deum Castitatis esse auctorem.* inquit D. August. serm. 13. de temp. Ideo à vitio contrario avertit Samaritanam. Joan. 4. Et adulteram, 8. Et Discipuli eo ipso, quòd à Christo ad se sequendum vocabantur, impellebantur tanto animo ad Castitatem, ut, suas, quas habuerunt, uxores, perpetuum desererent, & continentiam perpetuam inviolatè tererent. In alijs virtutibus non sta-

tim eos perfecit, in hac prima vocatione perfectos reddidit.

*Conf.* 3. Actiones ejus sunt: 1. Omnem illicitum congressum carnis ignorare. 2. Ab illicito & licito carnis opere abstinere. 3. Desideria carnis opprimere, nec eis consentire. 4. Non immorari in cogitationibus carnis, sed eas ut carbonem statim eijcere. 5. Turpes motus efficaciter comprimere, & tactus, ac aspectus horum causas vitare. 6. Ita corpus jejunijs, vigilijs, asperitatibus domare: & animam sanctis meditationibus occupare, ut hæc passio nec in vigilia, nec in somno nos infestet. Laudabo Dominum pro hac virtute. Petam veniam, quidquid contra eam contingit, eandem postulabo,

## MEDITATIO CCLXII.

## Feria 4. Domin. 14. post Pentecost.

### *De Circumspectione.*

VIdebo D. JESVM in serpente figuratum Joan. 1. v. 25. Semetipsum non credentem ijs, qui eum secuti erant, ut me doceret, circumspectionem. Petam eum imitari.

*Conf.* 1. Circumspectio est attentio mentis sedula ad ea, quæ circumstant bonum; & ad ejus impedimenta.

*Conf.* 2. Incitamenta ad eam sunt: 1. malitia diaboli, qui tanquam leo circuit. 2. Homi-

Hominum vel fragilitas, vel malitia, ideo dicitur: *Cavete ab hominibus.* Matth. 10. 3. Omnia sunt plena periculis, & non inuitio solùm, sed etiam in virtute periculum est 4. Dominus mittens Discipulos, ut oves inter lupos jubet illos esse prudentes sicut serpentes, simplices sicut columbas. 5. Exemplo Christi, qui semetipsum non credebat quibusdam, tametsi crederent in Christum, eò, quòd ipse sciebat, quid esset in homine.

*Conf.* 3. Actiones ejus sunt: 1. Finem bonum intendere, & erga eum affici. 2. In electione, & multò magis in executione, passinem, præcipitationem, & obstinationem fugere. 3. Circumspectio extrema fugit. 4. Proportionata fini eligit. 5. In dubijs consilium omnium audire, sed paucorum & prudentiorum sequi. 6. Festinare lentè, maturè decernendo agenda, & opportune exequendo decreta. 6. Maturitas non sit tarda, nec tempus loquendi, aut tacendi, quod oportet, & errandi periculum dimittatur. 8. Ad substantiam & modum operis, ne in aliquo deficias, advertendum. 9. Non omnibus fidendum, nec arcana sua passim revelanda. 10. procul odoratur bellum circumspectio, ac pericula, &, si potest, illa fugit, sin minùs, orationibus, aliisque meditationibus se præmunit. 11. Nequaquam omni spiritui credit,

sed

sed probat, an ex Deo sit. 12. Ubi timendum, timet, ubi nil formidinis, audet, nec omnia bona, sed statui congrua præsumit. 13. Opiniones vulgi contemnit, & dicta trepidorũ: & solùm Dei beneplacitum conscientia attestationem, & bonorum approbationem requirit. 14. Nec omnia credit, nec omnia discredit, sed quæcunque se offerunt, ex præscripto rationis judicat. 15. In æstimatione rerum externâ specie non fallitur, sed intima penetrare conatur. 16. Non est facilis in credendo, ne sit levis, nec in concedendo, ne pœniteat, nec in judicando, ne erret, nec in promittendo, ne fallat, nec in conversando, ne sit occasio contemptûs, nec in irascendo, nam id insaniæ est indicium.

## MEDITATIO CCLXIII.

## Feria 5. Domin. 13. post Pentecost.

### *De Clementia.*

VIdebo Dominum JESVM super ingratos & malos beneficia clementissimè pluentem, Luc. 6. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Clementia est virtus, quâ ad moderatè puniendum miteſcimus, & pœnas infligendas delinquentibus moderamur.

*Cons.* 2. Incitamenta ejus: 1. Deus magna flagitia hominum minoribus castigationibus punit. 2. Christus Dominus nescivit ab

ullo

ullo vindictam sumere, sed debitoribus, imò & inimicis ignoscere, adulteram accusatam absolvit: reis pœnitentiam suasit. Mulierem in civitate peccatricem pœnitentem suscepit. Clemens erga nolentes se recipere, contra tentantes se, erga negantem se Petrum, derelictus ab omnibus Discipulis in Passione, hanc injuriam à Resurrectione nunquam ijs objecit. 3. Fragilitas humana, ignorantia, passio, vis: ad peccatum impellentia elevant malitiam.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Pœnas debitas moderatè remittere. 2. Defectus non nimis enormes interdum dissimulare. 3 Severitate uti in homines procaces, & malignos, qui aliter in officio non possunt contineri. Ita Christus flagello ejiciebat è templo.

## MEDITATIO CCLIV.

## Feria 6. Domin. 13. post Pentecost.

### *De Constantia.*

VIdebo D. JESVM præeligentem perdere vitam, quàm in semel cœpto virtutum cursu constantiam. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Constantia est virtus, quâ bonorum operum impedimenta, sive ex cordis mobilitate, sive ex causis extrinsecis provenientia superamus, & in bono stabiliter permanemus.

*Cons.*

*Conf.* 2. Incitamenta. 1. Constantia sanctorum Martyrum & Confessorum, qui propter acerbissima mala à Deo non recesserunt. 2. Per constantiam primi parentis lapsum corrigimus, & famam utcunque resarcimus. 3. Non sufficit bonum inchoare; amittitur enim, à quo per instabilitatem recedimus.

*Conf.* 3. Actiones ejus. 1. Statũ perfectionis semel arreptum nunquam mutare. 2. Modum nos continendi à majoribus, & Deo acceptum, nisi ab hoc ad alium vocemus semper tenere. 3. in hoc aut alio officio, locóve à præside designato sine inquietudine manere. 4. Superfluos discursus, & non necessarias visitationes atque negotia fugere. 5. Cogitationes & desideria in uno Deo fixa habere 6. Ab his, quæ Deo placent, ob nullam difficultatem cessare. 7. In desiderio proficiendi, & virtutem agendi nunquam intepescere.

## MEDITATIO CCLXV.

## Sabbato Domin. 13. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo in his Virtutibus excelluerit.*

VIdebo B. Virginem Virtutibus Abstinentiæ, Beneficẽtiæ, Castitatis, Circumspectionis, Clementiæ, Constantiæ sociatam, & ornatam, Petam eam imitari.

*Conf.* 1.

*Cons.* 1. B. Virginis Abstinentiam, præsertim in peregrinatione, & commoratione in Ægypto, & aliàs. Amorem Dei, de qua ait D. Bonavent. in Psalt. min. *Mater novi amoris.* Et Richard. à S. Laur. lib. 2. p. 102. Eam appellat *collum Ecclesiæ, nectens caput cum membris*, propter charitatem erga omnes. Beneficentiam, propter quam à D. Bonav. eodem loco dicitur *medicina mundi*, à S. Epiph. Hæres. 78. *Causa vitæ, sicut Eva causa mortis, Bonum generis humani* ab Apollinari; in Tragæd. Chri: pati. Bonum autem est communicativum sui. Castitatem, propter quam à Ruperto lib. 3. in Cant. dicitur *columba impolluta*. Circumspectionem, propter quam dicitur *castellum undique vallatum* à S. Anselm. hom. in Evang. Luc. 10. Clementiam, propter quam dicitur *Advocata unica peccatorum* à S. Ephrem in laud. B. Virg. *Interventrix mundi* à S. Laur. Iustin. serm. de Nativ. B. V. *Flumen clementiæ*, à S. Bernard. in med. super Salve Reg. Constantiam, propter quam à D. Bernardo & Richardo. lib. 7. à pag. 456. dicitur: *Luna plena nunquam imminuta, aut deficiens, aut suo lumine privata.*

*Cons.* 2. Quomodo Dominam meam hactenus in nominatis virtutibus imitatus fuerim, & deinceps velim, renovatis hebdomadæ propositis, & Divæ oblatis.

MEDI-

## MEDITATIO CCLXVI.

## Dominica. 14. post Pentecosten.

### *De contemptu seculi gnoma Evangelij præcipua.*

VIdebo; audiámque Dominum JESVM graviter nos ad contemptum seculi exhortantem: *Non potestis servire duobus*, terræ & cælo, vitijs, & virtutibus. Petam doctrinam ejus cum Apostolo assequi dicente ad Philipp. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora.*

*Conf.* 1. Contemptus seculi est abrenuntiatio tum effectu, & opere, tum affectu omnium visibilium propter amorem Dei.

*Conf.* 2. Incitamenta. 1. Amor seculi & amor Dei termini contrarij, qui vult esse amicus seculi, inimicus Dei constituitur. 2. Seculum *ignorantissimum* est, bonos dejicit, malos exaltat, bona fucata diligit, vera contemnit. *Immundissimum* est; quia peccata diligit. *Infidelissimum* est: quia suis amatoribus damnationem causat. 3. Exemplum Sanctorum, & præsertim Christi, qui elegit contemptibilia à nativitate, arguens sensualitatem nostram. Quæsitus ad mortem fugit in Ægyptum, ferens egestatem, ne ego omnia ex nutu velim. Latuit ad annum trigesimum lux mundi, ne ego virtute vacuus, vitijs ple-

nus,

nus, videri velim. Præ fame vellebat spicas, ne ego omnes commoditates habeam. Suis præcepit, ut renuntient 1. possessionibus. 2. Sanguini, 3. Sibi ipsis. Vocavit viles pro Discipulis, & confunderet fastum seculi Vocavit pauperes Beatos, igitur mundi contemptores beati. Ejecit vendentes, quia amatores opum DEVM inhonorare non timent. Luto accepto sanavit cæcum, cùm potiùs luto cæcus fieri debuisset: quia mos Dei est, non dare vitam, nisi per mortificationem, non opus, nisi per paupertatem, nõ honores, nisi per seculi contemptum. Ipse divitem seculi damnavit, salvavit Lazarum. Ipse dixit multos vocatos, paucos electos, propter multas excusationes seculares. Ipse docuit, nihil prodesse homini, si universum mundũ lucretur, cum animę detrimento. Nõne equũ relinquimus, ut salvemus filium? manum, ut caput? Denique Christus in passione sua verus Contemptor seculi apparet, & est.

*Cons.* 3. Actiones ejus: 1 Divitias spernere. 2. Dignitates fugere, &, si ad eas vocamur, ex sola obedientia ejus suscipere. 3. Honoribus & pompis seculi valedicere. 4. Voluptates corporis pro nihilo ducere, & tanquam res homine indignas aversari. 5. Propinquos, & amicos, si profectum animæ impediant, promptè deserere. 6. Quidquid vanitatem

sapit,

sapit, deponere. 7. Cuncta visibilia despicere, & nec minis, nec suasionibus ad minimum eorum amorem inclinari. Qui ejusmodi est, audiet in accessu ad sacratissimum Sacramentum ab Angelis sibi applaudi: *Paràsti in dulcedine tua pauperi DEVS.*

## MEDITATIO CCLXVII.

## Feria 2. Doimin. 14. post Pentecost.

### *De commiseratione, & operibus misericordiæ corporalibus.*

VIdebo totius Regni cœlorum cardines, & polos, geminam Misericordiam: Quia *omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est*, ait D. Ambrosius. in illud: Estote misericordes, &c. Petã eam obtinere.

*Cons.* 1. Misericordia est virtus, quâ dolemus de miseria proximi, eique per auxilium spirituale, vel temporale subvenimus.

*Cons.* 2. Incitamenta ad eam. 1. Misericordiâ nos maximè filios Dei ostendimus, imitantes misericordem Patrem Deum. 2. Misericordia nostris necessitatibus subvenimus, dando modicum accipimus misericordiam Dei infinitam, quæ nobis & in tempore succurret, & fovebit nos in æternitate. 3. Quia Deus juxta D. August. Hom. 15. ex 50. *Quando facit pauperes probat divites.*

*Cons.* 2. Actiones ejus, & quidem opera miseri-

misericordiæ corporalia, quomodo in ijs excelluerit Dominus meus. Pavit esurientes sæpius, & de eleemosynis sibi datis à pijs fœminis pauperes nutriebat usque ad murmurationem Iudæ. Sitientes potavit in nuptijs, & exules Christianos cum S. Clemente in Agni figura parvo ictu pedis pulcherrimum fontem, in fluvium manantem elicuit. Vestivit pauperes suis vestimentis milites pauperes à passione sua induit, & occisores suos benignissimè contexit. Peregrinos suscepit, quod opus misericordiæ singulariter dignificavit. Ægros invisit, etiam per suos Apostolos. Redemit è carcere peccati totum genus humanum, plures obsessos à dæmonibus, Barabbam, Patres è limbo, animas è purgatorio: mortuos sepelivit: quia pretium, quo venditus est instinctu Iudæ, & Synagogæ non in alium usum converti voluit, quam ut ager emeretur pro mortuis. Cæterum *perfecta est misericordia, vt ante occuratur esurientibus, quã roget mendicus* inquit D. Aug. Hom. 39. ex 50.

## MEDITATIO CCLXVIII.

## Feria 4. Domin. 14. post Pentecost.

### *de operibus misericordiæ spiritualibus.*

VIdebo D. JESVM quasi solem neque motui, neque beneficijs finem constituentem. Petam eum imitari. *Cons.*

*Conf.* 1. Misericordiam Christi universalem, purissimam, promptissimam ad petitionem cujusvis servato ordine, incepit enim ab amicis, Luc. 4. Joan. 2. Quibus & primum miraculum in nuptijs fecit. Addens tamen, ubi opus non est, nullam prærogativam amicis concedendam. Matth. 19.

*Conf* 2. Christi opera misercordiæ spiritualia. Docuit ignorantem accepto priùs à Patre & Spiritu sancto testimonio, ac missione. Matth. 3. Luc. 3. Joann. 1. Vt doceret, non licere prædicare, nisi acceptâ auctoritate ab eo, qui eam dare potest, Antequam discipulos mitteret prædicatum, secum eos ducebat, ut ab ipso modum discerent, congrua captui docebat, & sine parabolis non loquebatur eis, dicebátque summo spiritu. Dedit salutaria consilia, Nicodemo, adolescenti: virginitati tuendæ, non esse percutiendum gladio, quod consilium Petrus non intellexerat: & reliqua partim consilia, partim præcepta quatuordecim: Consilia Evangelica de virtutibus heroicis triginta, consilia seorsim data Apostolis triginta duo. ( Vide Cornel. in Evang. initio ) Solatur afflictos, in Nativitate cantu Angelico, Magos in oriente per stellam, Magdalenam, Zachæum volentem videre Christum, cæcum natum, viduam in filio resuscitato, discipulos pau-

peres,

peres, & Discipulos, qui majorem dolorem accepturi erant, ex ejus passione, assumpsit ad Transfigurationem.

*Cons* 3 Correxit peccantes. Occultas culpas occultè correxit. Indirectè reprehendit eum, qui malâ intentione, & spe quæstûs faciendi ex miraculorum patratione, sequi volebat dicens: *Vulpes foveas habent.* Et petrum volentem impedire Passionem Christi. Discipulos etiam suos acriùs reprehendebat. Delicta publica, hypocrisin Pharisæorum, incredulitatem publicè reprehendit: effecitque multas virtutes Christi correctio, humilitatem, fidem, intellectū. Christus misertus est populi ignorantiæ, illud enim væ repetitum intimum dolorem cordis significat, contristatus est super cæcitate cordis eorum: sed & super Judam turbatus est spiritu. Quàm patienter tulit injurias! quàm benignè remisit offensas! denique orabat etiam pro defuncto Lazaro, Filia Archisynagogi, Filio unico Viduæ, omniáque opera misericordiæ corporalia dirigebat in finem spiritualem: ideo ait Joan. 7. v. 23. *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci,* nimirum in corpore, & anima? Et hæc optabatur cum magna diligentia: Ibat enim per civitates & castella, pagos, villas, & oppida, ut interpretatur Theophilactus. in Luc. c. 8.

Ne

Ne semper magnas civitates quæramus, sed etiam viles atque contemptas villas adeamus, & docendas animas, & trahendas ad Deum. Et hæc operabantur incessanter: quia fatigatus coëmptos à Discipulis cibos, nec ipse suscepit, nec eos sumere jussit. Denique docet non cessandum ab ijs, esto fructus non appareat.

## MEDITATIO CCLXIX.

## Feria 4. Domin. 14 post Pentecost.

### *De discretione in sectando perfectiora.*

VIdebo D. JESVM quasi ad lapidem Lydium discernentem malum à bono, & bonum, à meliore bono, atque hoc eligentem. Petam eum imitari

*Cons.* 1. Discretio est spiritualis prudentia, quæ vera à falsis, bona, vel mæliora, a malis, ac minùs bonis discernit, illaque amplectitur.

*Cons.* 2. Incitamenta ad eam 1. Sicut Deus omnia in mundo discernit, lucem à tenebris, sic justus affectiones suas discernat oportet, juxta illud: *Spiritualis judicat omnia* 1 ad Cor. 2. 2 Discretio est oculus mentis, qui si lucidus, totum corpus lucidum erit. 2. Exemplũ Christi, qui humana divinis posthabuit. Et quia omnis virtutis laus in actione sita est.

*Cons.*

Cons. 3. Actiones ejus. 1. discernere inter malum, pejus, pessimum, & bonum, melius, optimum. 2. Adverte, quam reverentiam debeamus superiori, quam compassionem inferiori, quam societatem æquali, quid vivis, quid defunctis, quid prædecessoribus, quid successoribus, quid amicis, & inimicis, 3. Considerare, quid dandum corpori in cibo, potu, somno, veste, exercitatione, quid animæ in oratione, lacrymis, pietate. 4. Distinguere tempora laborandi, quiescendi, tacendi, loquendi, & in omnibus debitas circumstantias observare. 5. Ordinare cogitationes, ne extra Deum vagentur, affectus, ne nimis in creaturis occupentur, suspiciones, verba, facta in meliorem finem vertere. 6. Inter creatorem & creaturam discrimen statuere, hūc propter se, illam propter Deum diligere. 7. Secundùm Richardum Victorinum actiones discretionis sunt. 1. Judicatio segregans bonum à malo. 2. Deliberatio nihil inconsultè agens, & nos à supervacuis restringens 3. Dispositio cuncta ordinatè operans, nihilque confusum relinquens. 4. Dispensatio supervenienti occasioni cedens, & humanæ infirmitati condescendens. 5. Moderatio, quæ modum custodit in omnibus, & mensuram non excedit.

## MEDITATIO CCLXX.

## Feria 5. Domin. 14. post Pentecost.

### *De Docilitate.*

ASpiciam Dominum JESVM grátias agentem Patri pro Docilitatis dono. Petam ejusdem beneficij particeps fieri, ut & ego gratus dicam: *Aures autem adaptâsti mihi.*

*Conf.* 1. Docilitas est applicatio mentis solicita, & submissa ad documenta majorum, non negligens ea per ignaviam, neque contemnens per superbiam.

*Conf.* 2. Incitamenta ad eam. 1. Exempla sanctissimorum hominum, qui alios consulere, quàm suum judicium sequi maluerunt. 2. Quæ discretioni subsunt, pene infinita sunt, nec ea unus dignoscere sufficit, ergo alios libenter audiet. 3. Illi consulendi, qui sapientiâ & rerum experiẽtiâ pollent. 4. Exemplum Christi, qui prius pernoctabat in oratione, quàm eligeret Apostolos.

*Conf.* 3. Actiones ejus 1. Spirituali Magistro cunctos recessus mentis syncerè, & fidenter patefacere. 2. Faciles & paratos ad ejus monitiones nos exhibere. 3. In omnibus alicujus momenti, quantùm prudentia permiserit, ad eum recurrere. 4. Quæ præceperit, aut suaserit reverenter excipere, & exequi. 5. Cùm minus est prudentiæ, obedientiâ supplere.

plere. 6. Ubi consiliarius deest consilium à DEO exquirere.

## MEDITATIO CCLXXI.

## Feria 6. Domin. 14. post Pentecost.

### *De Fide.*

ASpiciam Dominum JESVM Auctorem Fidei, juxta illud. 1. Pet. 1. *Per ipsum fideles estis in Deo, sine qua impossibile est placere Deo.* Quæ est fundamentum salutis, & sanctitatis. Petã adaugeri in me Fidem Dei.

*Cons.* 2, Fides est virtus Theologica, quâ assentimur mysterijs revelatis propter auctoritatem Dei revelantis.

*Cons.* 2. Incitamenta ad eam. Ecclesia à Deo docta, & gubernata. 2 Ea, quæ res Fidei credibiles faciunt, ut sunt Prophetiæ, Martyria, testimonia infidelium, puritas legis Evangelicæ, & mirabilis ejus cum ratione concordia, mundi conversio, modus conversionis mirus per idiotas, inermes, vis fidei in afficiendis animis, Sanctitas ejus Doctorum, stabilitas Ecclesiæ inter persecutiones, clades persecutorum. 3 Necessitas Fidei, sine qua non datur accessus ad Deum. 4. Fidem docuit Christus, eámque priùs immisit in animos, quàm in corpora sanitatem, eandem promovit miraculis passim; auxit Fidem Discipulorum vitâ suâ exemplari, ita,

ut conversatione unius noctis tantùm cum Christo firmati fuerint in Fide; *Noctem beatam*, exclamat August. tr. 7 in Joan.

*Cons. 3.* Cùm omnis virtutis laus in actione sita sit, actiones Fidei sunt: 1. submittere mentem humanam cum magna humilitate Deo loquenti per Ecclesiam, SS. Concilia, Pontifices. 2. Assentiri omnibus Articulis Fidei propter auctoritatem ipsius DEI. 3. Considerare Deum in Sacramentis, & cæremonijs Ecclesiæ animas sanctificantem. 4. Confiteri res à Deo revelatas in conspectu Fidem oppugnantium. 5. Aperire Fidei res audioribus. 6. Hæreticos, nisi convertendi sint, fugere. 7. Aversari omnem doctrinam minùs sinceram, minùs puram. Postulabo Fidem, eámque confitebor coram universa curia cœlesti, coram hominibus, coram tyrannis cum sanguinis profusione, quòd Deus sit Unus, Trinus, Creator, Salvator, Glorificator, &c. Desiderabo, ut Christus per Fidem habitet in corde meo, intellectu, & voluntate, eam ad res Fidei afficiat, & ad se Auctorem Fidei, & Consummatorem diligendum provocet. Petam, ut Christus secundum dictamina Fidei, cogitationes, verba, & actiones meas dirigat, egóque omnia in conspectu ejus faciam, & ei solùm placere concupiscam, Odio habens duas infidelita-

tis

tis causas eorum, qui non credunt, *ne futurorum metu, & expectatione crucientur* Ita D. Chrysost. 1. in Tim. 1.

## MEDITATIO CCLXXII.

## Sabbato Domin. 14. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo in his virtutibus excelluerit.*

ASpiciam B. Virginem Lunam sub pedibus habentem præ contemptu mundi, Matrem misericordiæ, discretionis Exemplar, Docilitatis & Fidei. Petam eam imitari,

*Cons.* 1. B. Virginem plenam contemptu seculi, juxta illud: *Descendet sicut pluvia in vellus. Quid est vellus?* inquit Richardus Victor: super illa verba Psal. 61. *Nisi lana à carne recisa, & à carne sublata? O quale vellus illud Virgineum pectus, longè remotum, valde alienum à desideriis carnalibus, & sordidis corporum passionibus. Quis non gaudeat se vestirè posse de virtutum vellere Beatissimæ Virginis* MARIAE? Plenam misericordiæ utriusque operibus, quam Amadeus Hom. 4. ait *fontem misericordiæ*, & S. Germanus, Orat. de Præsent. B. Virg. *Nuditatis nostræ vestimentum*, & S. Epiph. Orat. de Laud. B. Virg. *Purpuram regiam, quæ cæli terræq; Regem vestivit:* Plenam discretione, quam Joannes Geometra in cat. ad c. 1. Luc. ait *portam perviam*

*simul, ac clausam.* Plenam docilitate, quam S. Augustin. ser. 6. de Temp. Vocat *Magistram gentium*, Rupertus lib. 3 in Cant. *Magistram Religionis ac Fidei.* S. Brigitta in serm. Angelico. c. 19 *Magistram Apostolorum*, S. Laur. Justin. serm. de Nativ. B. Virg. *Magistram virtutum.* S. Bernardus serm. 1. super Salve. *Scientiam scientiarum Sanctorum.* Plenam denique Fide, de qua ait Epiphanius, Orat. de laud. Deip. quòd sit *Mensa Fidei intellectualis panem vitæ mundo suppeditans*, & Hymnus Græcus ait eam *fulmen validum Fidei.*

*Cons.* 2. Penuriam meam harum virtutum. Revidebo proposita hujus hebdomadæ, & à Diva gratiam petam eadem observandi.

## Meditatio CCLXXIII.

## Dominica 15. post Pentecosten.

### *De Fiducia.*

AUdiam Dominum meum Pietate plenissimum suos ad fiduciam exhortantem: *Confidite, ego vici mundum.* Joann. 16. Petam innixi ejus Benignitati.

*Cons.* 1. Fiducia est expectatio firmâ divini auxilij in omnibus necessitatibus nostris, tam spiritualibus, quam temporalibus.

*Cons.* 2. Incitamenta ad eam. 1. Benignitatem Dei omnia creantis, providentis, eripientisque à tribulatione Job, Daniel, Joseph.

seph. 2. Fiducia nos roborat, & invincibiles facit, & ipsa impetrat à Deo quidquid nobis expedit. 3. Excitat fiduciam puritas cordis.

*Conf.* 3. Actiones ejus. 1. Deum in omnibus nostris negotijs præsentem, & adjuvantem advertere. 2. In necessitate Dei & Sanctorum auxilium exposcere. 3. Pro certo habere orationes nostras exaudiendas, si utilia poscimus. 4. Si Dominus auxilium distulerit, non desperare. 5. In eventibus contrarijs, desiderio nostro nullo modo confidentiam deponere. 6. Vitæ puritate nos ad divinas inspirationes, quibus fiducia creatur, exhibere. 7. Recurrere ad panem vitæ, qui ait nobiscū se esse usque ad consummationem seculi, collocando me in loco novissimo, imò spiritualiter mactando: quia *necesse est, ut cùm hæc agimus* (Eucharistiam frequentamus) *nosmet ipsos Deo in cordis contritione mactemus*. Ita D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 59.

## MEDITATIO CCLXXIV.

## Feria 2. Domin. 15. post Pentecost.

### *De Fortitudine.*

ASpiciam Dominum JESVM inter leones & tauros pingues impavidum Fortitudinis exemplar. Petam eum imitari.

*Conf.* 1. Virtus Fortitudinis appetitum irascibilem moderatur, quâ labores, mortis-

que pericula constanter suscipiuntur, ac perferuntur; sive quà homo erga terribilia, & acerba se rectè habet, ita, ut neque timendo, neque audendo à ratione desciscat, juxta sanctũ Prosperum lib. 3, c. 20. *Fortis est, quem non blanda dissolvunt, nec adversa deijciunt.* Duo igitur sunt generalia ejus officia. 1. Labores, ac pericula sustinere, ac pati. 2. Eadem pericula, cùm oportet, adire, & aggredi.

*Conf.* 2. Incitamenta. 1. Fortitudo sustinet alias virtutes, ut truncus arboris ramos, folia, flores, fructus. 1. ad Cor. 15. *Estote stabiles, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper.* 2. Deus ipse vult esse fortitudo nostra. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Hâc conservamus parta, & non habita comparamus; ardua enim audet, ut augeat, dura sustinet, ut comparata conservet. 4. Exempla Christi, qui in fortitudine hac vitam contemnente stetit coram Anna, summâ libertate respondendo, coram Caipha Filium Dei se confitendo, coram Pilato se Regem esse iteratè pronuntiando. Peccatores summâ libertate reprehẽdit, imò & populares suos, & Pharisæos. Eandem Fortitudinem in causa Dei nos docuit: pusillanimitatem in Discipulis reprehendit sæpius. Pro hac superanda nobis amabilissimam suam Pietatem objecit. Actiones ejus

sunt:

sunt: 1. Pericula mortis, & mortem ipsam animosè excipere. 2. pericula & eventus molestos ac acerbos propter defensionem Virtutis tolerare. 3. Mentem in adversis, ne terreatur, confortare. 4. Laborare ut semper exerceatur Fortitudo in bonis, licet multa obsistant, nec vincatur malis. 5. Tentationes dæmonis ferre & reijcere, nec ob eas dimoveri à præceptis, vel consilijs Evangelicis. 6. Ardua ob protectionem aggredi, & in Deo adjuvante confidere. 7. Mentis tranquillitatem in adversis conservare, & gaudere in tribulatione. 8. Pericula, & molestias, quæ omnes vires nostras excedunt, sine anxietate vitare, & nos, si absque scandalo possimus custodire.

## MEDITATIO CCLXXV.

## Feria 3. Domin. 15. post Pentecost

### *De gaudio spiritûs.*

ASpiciam Dominum IESVM exultantem in Spiritu sancto, veri gaudij Auctorem, Luc. 10. Petam ejus fieri particeps.

*Cons* 1. Quòd gaudium sit affectus voluntatis de præsentia Dei in bonis per gratiam.

*Cons* 2. Actus gaudij spiritualis 1. Lætari de assistentia per essentiam, præsentiámque omnem divinam, de unione hypostatica, de præsentia Christi in sacratissima Eucha-

ristia, de inspiratione Spiritûs sancti, quâ movemur ad usum rectum Sacramẽtorum, de gratia nostra, & proximorum, de gloria æterna, cujus Spem in sinu habemus repositam. Ita Christus amator hominum gaudebat, videns plurimos per Apostolos convertendos. Luc. 10.

*Cons.* 3. Gaudium D Augustini his verbis expressum: Manual. cap. 12. *Christus Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus, & gaudium!* Quia præsentia & possessio rei amabilis certissima gaudij est causa: sed omnium amabilium Deus est Princeps, & nobis tot modis præsens. Igitur in Domino semper gaudebo. Si non volo vanè gaudere, ut ait August. 9. Confess. 4. *Volentes gaudere forinsecus facilè evanescunt.*

## MEDITATIO CCLXXVI.

## Feria 4. Domin. 15. post Pentecost.

### *De Gratitudine.*

ASpiciam Dominum IESVM gratum erga se beneficos, hinc turbam se sequentem bis illustri miraculo pascit, & confitenti se Petro: *Tu es Christus*, &c. Vicissim pronuntiat beatum Matth. 16. Petam similiter DEO esse gratus.

*Cons* 1. Quòd gratitudo sit virtus, quâ beneficia à proximis accepta cognoscimus, lauda-

laudamus, & datâ opportunitate pro possibilitate remunerare decernimus.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1 Ingrati sunt viles, abjecti, abominabiles, sui amantes. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* Prov. 17. *Iudeos nihil aquè perdidit, atque ingratitudo,* inquit D. Chrysostom: Hom. 27. in Matth. cap. 8. 2. Gratitudo majoribus beneficijs animos parat. 3. Apud Deum, & homines in pretio est, ille benefi-cos vult honorare. Et fecit Christus ab initio vitæ usque ad mortem, in Cruce grato latroni bene faciens.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Beneficium non negare, non dissimulare, non oblivisci, sed agnoscere, magnificare, memoriâ retinere. 2. Beneficium & benefactorem laudare, & opportunè publicè prædicare. 3. Amare benefactorem, & ei gratias agere. 4. Beneficium honore, reverentiâ, æqualibus, vel etiam majoribus beneficijs cõpensare. 5. Sine spe remunerationis gratum & beneficum esse in benefactores.

## MEDITATIO CCLXXVII.

## Feria 5. Domin. 15. post Pentecost.

### *De Humilitate.*

ASpiciam Dominum IESVM invitantem universum orbem ad imitandam Hu-

militatem suam: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Petam eum imitari.

*Conf.* 1. Humilitas est virtus, quâ quis verissimè sui cognitione vilescit sibi ipsi, vel modestiâ excelentiæ appetitum reprimens.

*Conf.* 2. Incitamenta 1. Cognitio sui, & Dei, quam habentes desipiunt, si non humiliantur. 2. *Fundamentum sanctitatis, semper fuit humilitas,* Ait S. Cyprianus sermon. de Nativ. Domini. Humilitas fundamentum virtutum, veritas vitæ, pax animæ, despectio terrenorum. 3. Exemplum Christi, quâ Dei humilis, quâ homini omnia sua Patri referenti: Elegit Matrem humillimam venturus in mundum. Elegit esse tributarius Cæsaris. Nascitur humillimè. In Circumcisione accipit signum pecoatoris. Subest perfectè Iosepho. Baptismo pœnitentiæ baptizatur. Agit cum publicanis. Vetat prohiberi parvulos venire ad se. Gratias agit, quòd parvulis revelatum sit Regnum Dei. Fugit in montem solus, quia innumeri sunt amatores propriæ excellentiæ. fugiúntque tantùm coronam spineam. Lavat pedes suis. Postponitur Barrabæ. Affigitur Cruci inter medios latrones, sententiâ mortis priùs humillimè exceptâ. Descendit per se ad inferos, Domitor Luciferi, nihil tam vile, ad quod non descendit pro salute nostra, & exemplo Humilitatis.

fugâ

fugâ sæpe, cùm aliter posset, se servavit, jubet bona opera celare, quod ipse in se expressit, silentium de se imperando, modestè de se loquebatur, filium hominis se nominans, Doctores interrogans, *rogavit* Petrum cum navicula à terra recedere paululum, passus se tentari à Diabolo, quæ major erat in vita, quàm si Rex à mancipio suo ad indigniſſima solicitaretur. De qua D. IESVS humilitate totâ vita exercitatâ exclamat. D. Augustinus in cap. 6. Ioann *Quid superbis homo, saltem imitare humilem Deum!*

*Cons.* 3. Actiones. 1. Se ipsum agnoscere, & dona, sive naturalia, sive supernaturalia Dei profiteri. 2. Seipsum despicere, & sibi de seipso diffidere. 3. Se ipsum reputare Dei donis indignum. 4. Non cupere ab alijs magni æstimari, honorari, laudari, sed hæc in Deum referre. 6, Desiderare contemni, & nihili haberi, nisi aliud officium proximi ædificatio, aut Dei honor requirat. 6. Proprios defectus detegere ad vilitatem. 7. Honorem vitare, & inevitabilem dolere. 8. Censere se omnibus viliorem, secundùm ea, quæ ex se habet, in alijs verò divina dona æstimare. 9. Subijcere se Deo, tanquam vas figulo, ut de illo ad beneplacitum disponat in tempore, & æternitate 10. Subijcere se Præsidibus propter Deum, & ab ijs gubernari.

nari. 11. In externis functionibus, quantùm inse est, abjectiora complecti. 12. Se ipsum in conspectu Dei, & hominum tanquam fœtens cadaver reputare, quòd omnes fugiant, & horreant. Deprecabor meam superbiam, & jactantiam, dolebo causam esse me tantæ humiliationis Christo. Petam Dominum meum ex toto imitari. Iuxta definitionem Humilitatis à S. Ignatio. factam B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. *Humilitas est continua cognitio sui non esse, & continuum gaudium in omnibus illis rebus, quæ possunt inducere nostrum contemptum.*

## MEDITATIO CCLXXVIII.

## Feria 6. Domin. 15. post Pentecost.

### *De Iustitia.*

ASpiciam Dominum IESVM perficientem voluntatem in ordine ad alios, de qua frustra tentatus fuit à petentibus vectigal dicens: *da eis pro me, & te.* Matth. 17. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Iustitia est virtus voluntatis, quæ tribuit cuique, quod suum est.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. natura, quæ corpus rectum homini dedit, ut ex corpore justitiæ rectitudinis hominem admoneret. 2. Iustitia voluntatem Dei implemus; *Indicabo tibi ô homo,* &c. apud Michæam. 3. Dominus, cui placere

placere cupimus, amator est justitiæ. 5. Exemplum D: IESV justissimi in dando Deo, quod Dei est, pro nobis satisfaciendo, & mundum ad rectitudinem revocando.

*Conf.* 3. Actiones ejus: 1. in præsidibus, zelare pro legibus, bona præmio afficere, subditorũ utilitates suis emolumentis præferre, nulli particulari affectu esse familiarem. 2. In subditis, legibus patere, cum concivibus concordiam servare, neminem malis exemplis lædere. 3. In distributionibus proportionem bonorum ad necessitatem, & diligẽtiam personarum servare, omnem prensationem & ambitionem detestari. 4. In his, quibus bona distribuuntur, necessarijs sibi cõtentum esse, nihil ultra necessitatem cum primaria aliorum admittere, non ingerere se ad dignitates, dum vocaris parere, & suæ electioni non pertinaciter resistere. 5. In omnibus nemini damnum inferre, verbo, facto signo, consilio. 6. Bene de proximo sentire, facta ejus in melius interpretari, illum honore debito afficere, excusare, defendere, in bono promovere. 7. In imbecillibus, ad statuta servanda se animare communia, cùm non possunt, à præside humiliter dispensationem petere, si adsit, si longè absit, cum timore Domini per Epikiam statutum, aut legem interpretari. Glorificabo Dominum

meum

meum ob hanc virtutem mihi datum in exemplum. Erubescam, quòd nec majoribus honorem, nec æqualibus obsequia, nec minoribus exemplum tribuo. Petam me emendare.

## MEDITATIO CCLXXIX.

## Sabbato Domin. 15. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo excelluerit in his virtutibus.*

ASpiciam B. Virginem fiducia, fortitudine, gaudio spiritûs, gratitudine, humilitate, justitia, quasi quoddam cœlum stellis exornatum. Petam Dominæ meæ esse similior.

*Consi.* 1. B. virginem ornatam Fiducia, in petitione potûs in nuptijs. Fortitudine, quã Richard. cap. 76. in Cant. vocat: *Mulierem fortem.* S. Bernard. serm. 3. sup. Salv Regin. *Omnibus firmamentis firmius firmamentum.* Plenam gaudio spiritûs, quam Joann. Geometra Hymn. 3. de B. Virg. appellat *apicem gaudij.* S. Germanus de Nativ. B. Virg. *Gaudium commune mundi;* Andreas Cretensis in Annunt. *Genitricem immensi gaudij, & auctoris lætitiæ* Damascenus orat 2. de Assumpt. *Obliteratricem unicam mœroris.* Plenam gratitudine, ut patet in Cantico *Magnificat.* Plenam humilitate, juxta illud S. Bernardi. serm. 1. super missus. *Si* MARIA *humilis non*

*fuisset,*

*fuisset, super eam Spiritus sanctus nō quievisset.* S. Ephrem. serm. de laud B. Virg. eam, ait, esse *Lilium convallium.* Plenam justitiâ: Quia MARIAM *tanquam mundum specialissimum sibi condidit DEVS, quem justitiâ & sanctitate fundavit,* ita D. Bernardus suprà.

*Cons.* 2. Quantùm distem ab his virtutibus. Gratulabor Virgini earum perfectionem, dolebo me, tam dissimilem filium Matri. Renovabo proposita hebdomadæ, & gratiam ea exequendi postulabo.

## MEDITATIO CCLXXX.

## Dominica 16. post Pentecosten.

### *De Liberalitate.*

ASpiciam D. JESVM liberalissimum, & in multiplicatione panum, & in mutatione aquæ in vinum; jussit enim hydrias impleri ad summum, & in effusione sanguinis liberali. Petam ejus fieri particeps.

*Cons.* 1. Liberalitas est Virtus, quæ appetitum bonorum utilium moderatur, eáque alacriter in propriam ac proximorum utilitatem, & pro honore Dei alijs elargitur.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Exemplum Dei, qui dat omnibus affluenter, & nemini improperat. 2. Dispensatores sumus juxta Dei voluntatem, distributiones à nobis faciendæ. 3. Divitiæ, & dona temporalia sunt talenta,

lenta, quæ ad salutem distribuimus, avarè retinemus. 4. Exemplum Christi, qui ut fuit nostri amantissimus, sic erat liberalissimus; quia liberalitas est filia charitatis.

*Cons.* 3. Actiones. 1. Libenter pecunias & bona temporalia in suum & proximi commodum, Deíque honorem impendere. 2. Quæ ad usum cõcessa, sine tædio alijs commodare. 3. Bona altiora, doctrinam, consilium, & exemplum dispertire, & talentis sibi datis uti in bonum proximi. 4. Absentibus & ignorantibus subsidia temporalia administrare. 5. Tempus vanis occupationibus præreptum bono plurimorum offerre, & diem illum, quo non fuimus utiles Ecclesiæ, aut proximis, malè insumptum putare. 6. Non ita temporalia profundere, ut insipienter insumantur, nec ita spiritualibus talentis velle prodesse, ut nostra perfectio attenuetur. Petam liberalitatem Domini JESV Eucharistici imitari, qui non cessat se totum ibidem nobis communicare.

## MEDITATIO CCLXXXI.

### Feria 2. Domin. 16. post Pentecost.

### *De Longanimitate.*

VIdebo Longanimitatem in D. JESV, qua Apostolos valde defectuosos sustinebat, & perficiebat, Luc. 22. Joann. 13. &c. Petam eum imitari, *Cons.*

*Cons.* 1. Longanimitas est diuturna patientia longo tempore mala sustinens, & eorum remedium diu dilatum æquo animo, ac firma spe in Domino exspectans.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Bona maxima non sunt brevi labore, aut dolore comparanda. *Exspecta Dominum, viriliter age*, &c. 2. Salvator nos longo tempore inobedientes exspectat, & ingratitudinem nostram longanimiter tolerat: *Quousque* inquit, *vos patiar?* Quare vilis homuncio Dominum suum non exspectet? Tolle longanimitatem bellatori, & illico timore correptus terga vertet.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Quævis mala longo tempore usque ad mortem sine impatientia tolerare. 2. Mentis ariditates, & divinorum solatiorum subtractiones, & Dominum quasi in calamitatibus nostris dormientem devote sustinere. 3. propter hæc & alia terribilia, quibus viri spirituales à Domino probantur, nunquam externa solatia quærere, nec à studio sanctæ operationis cessare. 4. Mentem Jobi in quacunque gratiæ subtractione induere. Qui dicebat: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

## MEDITATIO CCLXXXII.

## Feria 3. Domin. 16. post Pentecost.

### *De Macerazione.*

Aspiciam

ASpiciam Dominum JESVM sine omni sensibili solatio in passione ineffabiliter maceratum. Petam eum imitari, qui Joannem austerè viventem ita dilaudaverat.

*Cons.* 1. Maceratio est virtus, quâ corpus nostrum spontè castigamus, ut Castitatem custodiamus, & Christo pro nobis crucifixo conformemur.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Pro peccatis præteritis satisfacit, & cœlestia dona extorquet. 2. Aditum ad divinas consolationes parat. 3. Hâc neglectâ facilè ad illicita inclinatur caro.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Carni superflua derogare, solis necessarijs suppeditatis. 2. Exterioribus asperitatibus carnem affligere. 3. Ægritudines & corporis molestias æquanimiter ferre. 4. Carnem in servili conditione semper continere, & nil propter solam oblectationem accipere. Christo à tribus sanguis exprimitur. Ab amicis in circumcisione, à se ipso in horto, ab inimicis in Passione. Incepit macerari à sanguinis effusione in circúcisione, finit in ejus defectu in Cruce.

## MEDITATIO CCLXXXIII.

## Feria 4. Domin. 16. post Pentecost.

### *De Magnanimitate.*

ASpiciam D. JESVM Magnanimitatis Exem-

Exemplar, intendendo cœlestia bona non parcendo, nec animæ suæ, ubi oportebat. Petam ejus fieri particeps.

*Cons.* 1. Magnanimitas est virtus, quâ magna opera, & eximio honore digna propter virtutis finem aggredimur, ipsum vero honorem nec ambimus negatum, & oblatum contemnimus.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Filij, & servi magni Dei sumus, imitari eum magnum & laudabilem nimis debemus. 2. Magnis operibus magna promissa sunt præmia, qui quinque talenta superlucratus est, erit super decem civitates. 3. Magna operantes etiam in hac vita Deus miris modis auget, mentis puritate, solatijs, fiducia in arduis, securitate in morte.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. In omni mortificationis ac virtutis genere mediocribus contentum non esse, sed ad summa cum gratia Dei anhelare. 2. Homines suprema dignitate fulgentes, si per magnificas promissiones, aut terribiles minas ad virtuti contraria compellant, contemnere. 3. Impedimentis & obstaculis virtutum non frangi, sed ea fortiter superare. 4. Post magnam cum Deo familiaritatem adeptam, ad majorem aspirare, & majora obsequia moliri. 5. Difficultatibus, quæ in magnis operibus

oriri solent, non angi, sed gaudere. 6. Pro his solum Dei obsequium & gloriam exspectare, & æterna bona in patria decernenda concupiscere. 7. Dignitates non oblatas non appetere, oblatas respuere, impositas solum pro Dei gloria, & obedientiæ merito suscipere, & alijs eas libenter dimittere. 8. Munera meritis nostris minora non aspernari, sed cum magna modestia administrare, & quasi nostra honorare 9 Non solùm pusillanimitatem, quæ viribus congrua non audet, sed & præsumptionem, ambitionem, & vanam gloriam fugere. 10. Notanda indicia viri magnanimi 4. Ethic. c. 3. Vir magnanimus, spectato officio, in quo Deum repræsentat, dignum se magno honore judicat. 2. Modicè magnis honoribus, etiam à magnis oblatis, afficitur, parvos contemnit. 3. In prosperis, & adversis moderatum se exhibet. 4. Parva pericula parvis relinquit, magnis se pro Deo exponit. 5. Acceptum ab homine beneficium majori compensat. 6. Neminem mortalium, nisi ob res magnas rogat. 7. Libenter alijs est adjumento. 8. Cum principibus & opulentis, si ita Dei gloria exigat, præstat se magnum, cum mediocribus & infimis moderatum 9. Non ingerit se locis honorationibus. 10. Cunctatur in aggressu, & non multa, sed magna facit, 11. Apertè vitia odit,

odit, & amat virtutem. 12. Palàm dicit & agit dicenda & agenda. 13. Vulgi hominibus sententiam suam, & rationem gubernandi non prodit. 14. Alterius nutu, nisi præsidis, non potest vivere. 15. Non facilè admiratur: quia nihil ei magnum est. 16. Injuriarum non meminit. 17. Aliorum nimius nec laudator, nec vituperator est. 18. In molestijs non est querulus. 19. Mavult res honestas, quàm utiles, possidere. 20. Habet vocem gravem, motum tardum, orationem sedatam, non festinat, quia paucis studet, non contendit vehemẽter, quia nihil magnum æstimat.

## MEDITATIO CCLXXXIV.

## Feria 5. Domin. 16. post Pentecost.

### *De Mansuetudine.*

ASpiciam D. IESVM Mansuetudinis exemplar, velut columbam sine felle. Petam ejus fieri particeps.

*Cons.* 1. Mansuetudo est virtus iram moderans, per quam mens injuria affecta non exacerbatur, nec amaritudo cordis exteriùs indicatur, sed est homo quasi non audiens, nec habens in ore suo redargutionem.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Exemplum Dei, qui innumeris hominum peccatis provocatus non irritatur, & solitis beneficijs nos cumulare non cessat. 2. Doctrina Christi, qua

cœle-

cœlestes cives pronuntiamur: *Beati mites.* 3. Exemplum D. IESV, qui dicitur Filius David propter Mansuetudinem, quam præ alijs virtutibus cum humilitate in se imitandam proposuit: *Discite à me, quia mitis sum.* Crucifixoribus suis nihil minatus, sed pro ijs Patrē exorabat, qui alias tam severè suorum servorum in Ecclesia injurias ulciscitur. 4. Injuriâ inferens misericordiâ dignus est magis, quàm irâ, qui si malus est, æternùm illam luet, si electus, aliquando pœnitentiâ eluet. 5. Multa bona ex mansuetudine proveniunt, injuriantem vincimus, remissionem peccatorum meremur, pronuntiamur Beati, tranquillitatem acquirimus mentis, benevolentiam comparamus hominum, januam cordis veritati intelligendæ aperimus.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Injuriam nobis illatam silere, voce, & alijs signis. 2. Iram intùs cohibere, & bonis considerationibus, aut alijs medijs frenare. 3. Cor tranquillum & serenum inter injurias servare. 4 Injuriam inferentibus vultum serenum, & verba blanda reddere, ijsdem beneficia impendere. 5. Injuriæ oblivisci.

## MEDITATIO CCLXXXV.

### Feria 6. Domin. 16. post Pentecost.

### *De Modestia.*

Videbo

Videbo D. Iesum oculis continentissimũ, in medio Doctorum modestissimum, nunquam proditoris sui nomen eloquentẽ: per quam modestiam nos Apostolus hortatur: *Obsecro vos per modestiã Christi.* 2. ad Cor. 10. *Vt modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ad Philip. 4. Petam eam consequi.

*Cons.* 1. Modestia est virtus quæ externos motus & gestus corporis leves, item & jocos, nec non cultum personæ moderatur.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Coram Deo nihil perperam agendum, dicendúmve. 2. Servata modestia mirum in modum mentis profectui, & puritati deseruit. *Vbi Deus, ibi gravitas adjutrix, & sociæ pudicitiæ,* inquit Tertull. ad Vxor. lib 1. 3. Modestia magnum momentum habet ad proximi ædificationem. 4. Iubemur ab Apostolo *spiritu ambulare,* ad Gal. 5. id est, ut exponit D. Hyeron. *Spiritualibus actibus,* quos ait esse fructus Spiritûs sancti, & inter hos est *modestia,* quæ in Christo fuit perfecta. Cujus defectus arguit interiorem hominem non esse bene ordinatum, ut notavit S. Gregor. Nazianzen. in Iuliano Apostata, ideo conabor motibus meis cælo ordinatissimo esse simillimus.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Caput leviter huc, illuc non movere. 2. Oculos non circumferre vagos. 3. Non rugas in fronte. 4.

Non labia diducta, aut nimis compressa. 5. Vestes mundæ, & decenter compositæ. 6. Manus decenter quietæ. 7. Incessus nec nimis lentus nec nimis festinus. 8. Ioci sint rari, personæ, & statui congruentes, præterea & ludi. 9. Vestes nõ nimis delicatæ, nec mundæ, neq; ex adverso sordidæ. 10. Supellex, habitaculum, & reliqua neminem scandalizẽt.

## MEDITATIO CCLXXXVI.

## Sabbato. Domin. 16. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo in his virtutibus excelluerit,*

VIdebo D. Virginem velut hortum Regium refertum floribus amœnissimis, fructibúsque dulcissimis, Liberalitatis, Longanimitatis, Macerationis, Magnanimitatis, Mansuetudinis, Modestiæ. Petam ei magis conformari.

*Cons.* 1. B. Virginis Liberalitatem, quæ à Richard. lib de laud. B. Virg. cap. 3. dicitur. *Pincerna gratiarum, sicut nec maris profunditas, sic nec* MARIAE *Liberalitas potest exhauriri, indefessa enim, & sufficienter dat gratiam universis, quam facillimè inveniunt apud Deum, nisi per eos steterit.* Ita ille. Longanimitatem, quia eam appellat S. Cyrill. Alex. Homil. Ephes. habita in Nestor. *Lampadem inextinguibilem.* Macerationem in peregri-

natio-

nationibus, & tempore Passionis Domini. Magnanimitatem, de qua ait Epiphanius Orat. de laud Deip. *Ovis immaculata, quæ peperit agnum Christum.* Modestiam, in collocutione Angeli, & tota vita exercitam.

*Cons.* 2. Quàm ego scateam vitijs oppositis; dolebo infelicitatem meam, & propositis hebdomadæ renovatis supplicabo pro gratia speciali ad B. Virginem.

## MEDITATIO CCLXXXVII.

## Dominica 17. post Pentecosten.

### *De dilectione Dei, & ejus qualitatibus.*

ASpiciam Dominum IESVM ferentem manibus suis legem igneam mandatum magnum dilectionis, volentémque hoc igne omnes homines accendere. Petam incendium dilectionis in me redundare.

*Cons* 1. Charitas est virtus à Deo infusa animæ, quâ homo diligit Deum propter se, & proximum propter Deum.

*Cons.* 2. incitamenta ad eam. 1. Hoc est mandatum primum, & ultimum, diligere Deum, quia est, qui est. 2. Sum magis Dei, quam mei. 3. Pars debet magis amare Deũ, ideo manus exponit se periculo, ut tueatur caput, hominisque vitam. 4. Res, quò magis est mea, magis diligitur: Deus est vita animæ

meæ, per quem beatus fio. 5. Amor amantem moraliter mutat in amatum, igitur, si Deum diligo, deificor. 6, Quia Deus prior dilexit nos. 7. Exemplo Christi amantis Patrem suum infinitè, & me. Ut ostendit in Incarnatione, vita, & morte, ita, ut tota ejus vita fuerit non nisi charitas, laboriosa, & dolorosa. Hàc coarctabatur, donec summam dilectionis perficeret. 8. Si in altera vita non esset posita neglectoribus mãdati hujus magni pœna, si neque esset remuneratio alterius vitæ observatoribus mandati hujus, adhuc amandus esset Deus, à quo habemus omnia.

*Conf.* 3. Actiones amoris Dei sunt omnes actus virtutum, de quibus hactenus actum est, & agetur; qui utrùm ex amore Dei proficiscatur, ex qualitatibus amoris divini agnoscetur. 1. Amor divinus est dulcis, quô animæ Deus dulcescit, ad eum modum, quô mel, aut cibus suavissimus palatum inescat. 2. Est amor fortis, malum displicens ferre doctus. 3. Est amor liber, hostes contemnendo, omnia magnâ spiritûs libertate perficiendo. 4. Est amor insatiabilis, quem fames, & sitis justitiæ ad majora desideria provocat. 5. Est amor incessabilis, qui Deum contemplari atque ampliùs, & ampliùs amare non cessat. 6. Est amor insuperabilis, qui non solùm hosti resistit, eúmque contemnit, sed

quasi

quasi unum quid animam cum Deo efficit, ita ut hostem non sentiat. Sunt hæ qualitates intensissimæ omnes in D. JESV Eucharistico, ut dicat D. Thomas: p. 3. q. 51. art. 1. ad 3. *Si homo particulari lumine cœlesti amorem, quem sibi Deus ostendit, investigaret, in abyssum amoris Dei tam immensam deveniret, ut præ stupore & admiratione intellectus ejus deficeret, voluntas liquesceret, &c. Nam sicut proprium est amantium unum velle fieri cum amato, & sicut cibus fit una res corporaliter cum eo, qui illum comedit, sic Christus in sumptione Venerabilis unum nobiscum fieri voluit.*

## MEDITATIO CCLXXXVIII.

## Feria 2. Domin. 17. post Pentecost.

### *De ejus desiderio.*

ASpiciam Dominum summum omnium Regem, qui à me despicabili vult amari, ut Pater. Petam, ut hæc voluntas DEI impleatur in me.

*Cons.* 1. Quomodo amor Dei tantùm nobis præcipiatur juxta illud August. tr. 7. in Epist. 1. Joann. *Dilige, & fac quod vis.* Hic amor debet esse latissimus, qui se extendat ad omnia Præcepta, & Consilia, implenda, ad omnia illicita etiã minima relinquenda, ad diligendum amicos & inimicos, omnéque amabile in Deo, & propter Deum. Debet esse

longissimus, quia omne ævum includit. Subtilissimus, Quia ab omni creato se expedit. Profundissimus, quia omnibus se subijcit. Purus innocentiâ, alatus solicitudine serviendi, cæcus, qui providentiæ humanæ rationes despiciat, nudus, qui ab omni creatura se expediat, sagittis instructus, qui cordi desideria perfectionis infigat.

*Conf* 2. Quia meis viribus tantum bonum, & supra omnem naturam amare non valeo, desiderabo, & petam in me charitatem radicari, quæ tanquam radix aut truncus perfectionis omnes virtutes in me producat, sustineat, promoveat, omnia cogitata, dicta, facta mea ad Deum dirigat, & referat. Ideóque ab eo, qui paratus est dare, præsertim id, quod præcipit, petam amorem latissimum, extendentem se ad omne amabile in DEO. Petam amorem longissimum, quo vellem, si fuisset possibile, à puncto conceptionis, vel discretionis per totam æternitatem amâsse. Petam amorem sublimissimum, qui me à terrenis expediat, super creaturas offerat, ad resignationem & unionem cum Deo perducat. Petam amorem profundissimum, quó me ipsum despiciam, non ex ratione tantùm, sed ex desiderio Deo placendi infra omniũ pedes me ponam, omnia fugiam, quæ huic amori obsunt; omnia amplectar, quæ prosunt eidem.

MEDI-

## MEDITATIO CCLXXXIX.

### Feria 3. Domin. 17. post Pentecost.

*De ejus Actionibus.*

ASpiciam Dominum JESVM non dimidiato amore nos diligentem, & animam pro me ponentem. Petam eum imitari.

*Conf.* 1. Actionem amoris Dei, ad quam nos invitat D. August. serm. 52. de temp. *Amate Deum, nihil melius invenitis*; esse 1. quâ volo Deo omnia bona sua, omnémque perfectionem, quam habet, propter ipsum Deum, non propter meum lucrum. 2. Quà æstimo summè Deum, & omnibus rebus antepono, ita, ut propter honorem, aut beneplacitum ejus omnia creata contemnam, divitias, honores, voluptates, me ipsum, vitam, salutem. 3. Quà gaudeo, quòd Deus possideat sapientiam, pulchritudinem, omnémque perfectionem, quòd eum Angeli adorent, quòd eidem justi in terris serviant, & universa creatura gloriam ejus enarret, eique sit subjecta.

*Conf* 2. Actionem amoris. 4. Quà desidero Deum summum bonum agnosci ab infidelibus, idololatris, paganis, hæreticis, & Judæis, utque ego cum omnibus peccatoribus ad obsequium redeam, & justi in omni virtute proficiant. 5. Quà doleo de omnibus pecca-

tis proprijs,& alienis,magnis, & parvis, præsentibus, præteritis, & futuris; quia Deo displicent, & tam amabilis Gubernatoris legem infringunt, ejúsque voluntati contradicunt. 6. Quà statuam firmiter omnia ejus mandata custodire, consilia servare, inspirationibus acquiescere, & omnes ad idem adducere. 7. Quà subijcio volũtatem meam divinæ in prosperis, & adversis, in tempore, & æternitate, assurgámque, ut potero ad uniendum me Deo, summo,& æterno Bono,à quo sum,ad quod tendo,in quo mea omnia.

## MEDITATIO CCXC.

## Feria 4. Domin. 17. post Pentecost.

### *De Observantia amoris divini.*

VIdebo in manu Domini librum continentem Legis mandatum magnum, omni melle dulcius,& omni suavitate suavius. Petam hanc legem reponi inter ubera mea.

*Cons.* 1. Quomodo mihi legem amoris servandam proponat Deus, & se ipsum in præmium promittat; quia, ut ait Augustinus serm. 16. de Ver. Apost. *Omnino non me saltaret DEVS, nisi promitteret mihi se ipsum.* Ideôque 1. diligam Dominum ex toto corde meo,anteponendo eum omnibus donis ejus, nullámque creaturam præter aut contra voluntatem ejus amando, quæ ei displicent abijcien-

abijciendo, quæ placent, amplectendo. 2. Diligam Dominum ex tota anima mea, vitam hanc illi consecrando, & omnes actiones animæ, in quantum corpus animat, ut manducare, dormire, propter ejus gloriam perficiendo. 3. Diligam Dominum ex tota mente, eam in templum, & habitaculum Deo offerendo, munditiem ejus expurgatione peccatorum, ornatum augmento gratię, tranquillitatem compositione inordinatorum affectuum curando, cognitione, & amore Deo inhęrēdo. 4 Diligam Dominum ex omnibus viribus, omnes potentias animæ, membra corporis, dona, & talenta, ad gloriam DEI adhibendo. Memoriam vanis negando, sanctis cogitationibus pandendo. Intellectum aspectui DEI intra me manentis occupādo, voluntatem ejus amore, imaginationem, affectus cordis, & sensus externos ab inutilibus abducendo. 5. Diligam ex tota virtute exercendo me ferventer in bonis operibus cum possibili diligentia, ac perfectione, ut diligentiam vanorum non æmuler, sed superem. 6. Diligam Dominum ex omni fortitudine, pro amore Dei omnia mundi, & me contemnendo, impedimentis virtutum, & perfectionis resistendo, vanorum opiniones negligendo, solum DEVM Dominum meum in omnibus respiciendo, & volun-

tate, si facto non licet, pro eo vitam fundendo.

## Meditatio CCXCI.

## Feria 5. Domin. 17. post Pentecost.

### *De proprietatibus amoris Divini.*

Aspiciam Dominum, ut amatorem ardentissimum, qui in manibus suis descripsit me, nec ad momentum obliviscitur mei, ut & ego ejus recorder. Petam agnoscere proprietates divini amoris, & assequi.

*Cons.* 1. Quomodo Dominus pro beneficijs, quæ immensa confert, solùm amari desideret. In agendo nobiscum sui rationem non habebat, nam fatigatus in domum secedens, ita passus est à turba se occupari, ut non posset, neq; panem manducare; Marc. 3. Hanc charitatem docuit in bonis successibus, & malis; propter defectum charitatis vocat diabolum homicidam ab initio mundi. Joan 8. Ideo diligam eum 1. affectu cordis, omnem cogitationem, affectum, jucunditatem meam in illo collocando, non aliter, quàm infans, cui dulce Matri adhærere, molestum, vel ad momentum ab ea divelli. 2. Diligam eum amore operum, omnia agendo, & omittenda subijciendo ejus voluntati, opera quotidiana illi offerendo, & ad majora & perfectiora me extendendo, non

solis inefficacibus desiderijs inhærendo 3. Diligam eum amore unionis, statuendo in nullo me ipsum quærere, sed Domini gloriam; ab inutili memoria, & amore creaturarum me abstrahendo, & Dei cognitioni actuali, affectibúsque ejus inhærendo. 4. Diligam eum amore solicitudinis, omnem otiositatem vitando, ignaviam & torporem in divinis obsequijs abijciendo, in studia sanctorum operũ & affectus amoris incumbendo. 5. Diligam eum amore nudo ab omni creaturarum amore, puro ab omni sensuum & affectuum in mortificatione, libero, nihil divini obsequij propter homines omittendo; alieno ab intuitu commodi. 6. Diligam amore forti, dura, & adversa patiendo, & nullius detrimenti causâ ab ejus amore discedendo. 7. Diligam amore perseveranti, nunquam per peccatum ab eo me separando, & si vita per millia millium annorum esset trahenda, semper fidelis amator permanendo.

## MEDITATIO. CCXCII.

### Feria 6. Domin. 17. post Pentecost.

*De effectibus amoris Divini.*

VIdebo amorem Divinum instar arboris mirabiles virtutum fructus producentem, quos ab eorum possessore Domino JESV petam,

*Conf.* 1. Charitas Dei 1 *Patiens est.* Statuam propter Dominum ægritudines, infamias, persecutiones, ariditates mentis, consolationum subtractionem, & adversa omnia hilariter sustinere, & si hæc non eveniant, ad experimentum amoris desiderare. 2. Charitas *benigna est.* Statuam ad omnes comiter, & reverenter tanquam ad filios Dei me habere, & in illos, quoad potero, beneficia conferre, exemplis, doctrinâ, aut saltem desiderijs. 3. *Non æmulatur.* Statuam proximis non invidere, sed lætari, si proficiant, & crescant in mille millia. 4. *Non agit perperam.* Expellam omnem inconstantiam, & instabilitatem, & quæ semel agenda, vel omittenda maturè proposui, in his stabilis permanebo. 5. *Non inflatur.* Non superbiam de donis naturæ, aut gratiæ, nec de bonis operibus confidens, nec alios despiciens, aut minores meritis putans, omnibus me per humilitatem subijciam. 6. *Non est ambitiosa.* Non ambiam primas sedes, prælationes, imò fugiam. Nihilominus honestè agam, neque in opere, neque in modo deficiens semper in conspectu Domini operabor. 7. *Non quærit, quæ sua sunt.* In omnibus, quæ agam, non meam gloriam, utilitatem, voluptatem quæram, sed solam gloriam Dei intendam, & salutem animarum. 8. *Non irritatur.* Non re-

pendam

pendam malum pro malo, sed beneficijs, & orationibus malevolentiam superabo. 9. *Non cogitat malum.* Non judicabo temerè aliena dicta, aut facta, sed in meliorem partem interpretabor. 10. *Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Non gaudebo de malis afflictionibus proximi, sed compatiar, lætabor de bonis successibus. Veritatem, qua mihi defectus mei libenter aperiuntur, libenter audiam, ut eos corrigam, & emendem. 11. *Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Omnia credam, sperabo omnia, officia charitatis ob bonum fratris suscipiam.

## MEDITATIO CCXCIII.

### Sabb. Domin. 17. post Pentecosten.

### *Quomodo B. Virgo excelluerit in dilectione.*

VIdebo B. Virginem *dilectissimam omnium dilectarum*, ut eam appellat Rupertus, lib. 3. in Cant. Plenam qualitatibus, proprietatibus,, & effectibus amoris Dei; velut *agrum amplissimum DEI, quem nullus alius locus comprehendere potuit, plenum fructibus dilectionis*, ut ait Andreas Hieros. Orat. Annuntiat. Petam ab ea dilectionem Dei in me augeri.

*Cons.* 1. Quomodo B. Virgo propter amo-

rem

rem Dei dicatur *thesaurus amoris DEI Patris* à Methodio. Orat. de Hypapan. ab Anselmo: de Excell: Virg. cap. 4. *Amor* MARIAE *erga Deum superat cunctarum rerum amores.* Et D. Dyonys. Areopagit. ait: quòd ex fortissima dilectione separata sit anima ejus à corpore.

*Cons.* 2. Frigus meum in amore Dei, visis defectibus in me qualitatum ejus, & proprietatum, atque fructuum? Dolebo, & ad Divam supplex accedam, atque in amorem Dei inflammari petam, de qua ait Epiphan. Orat. de laud. B. V. quod sit *Clibanus intellectualis, ignem & panem vitæ habens* Et Andreas Cretens. Orat. 2 de Assumpt. B. Virg. ait, eam esse *columnam igneam, non carnalem quæ per lucem deducat Israelem, qui fugatur, sed spiritualem, quæ illuminet, facibus cognitionis divinæ, & in amorem Dei accendat.* Petam fieri particeps illius ignis divini, quia, ut ait D. August. Tr. 3. in Joann. *Inter filios Dei, & filios diaboli, dilectio sola discernit.*

## MEDITATIO CCXCIV.

## Dominica 18. post Pentecosten.

### *De Obedientia.*

ASpiciam Dominum JESVM factum obedientem usque ad mortem Crucis Pœnam eum imitari

*Cons.* 1.

*Conf.* 1. Obedientia est virtus, quæ promptam hominis voluntatem reddit ad implenda, quæ superior præcipit.

*Conf.* 2. Incitamenta 1. Præmia obedientibus promissa. 2. Pœnæ inobedientium. 3. Consanguinitas Christi, cujus per inobedientiam simus fratres, & matres. 4. Obedientia est Sacrificium vivum, & perpetuum. 5. Obedientia liberat ab errore in via Dei ideo ei sunt subjectæ visiones Dei, ut ait Cassianus, Coll. 2. cap. 15. Et probat Exemplo Pauli ad Ananiam missi. 6. *Virtutibus dæmones oppugnamus, obedientiâ vincimus*, inquit D. Greg. Hom. 4. in lib. 1. Reg. 7. Exemplum Christi, qui nullam legem Patris prętermisit, Consilia secutus est, semper, quæ placita erant Patri, fecit, velociter, hilariter, integrè, perseveranter, cibum suum obedientiam appellavit; denique obedientiam usque ad mortem præstitit consummatam, eandem exegit à vivis, à mortuis, ab inanimatis, *obedivit natura Præcepto Domini tam velociter, ut plus tardaverit Evangelista in dicendo, quàm natura in exequendo*, inquit D. Chrysostom. Hom. 33. in Matth 8. Ipse obedientiam præmiat munditiâ cordis, & corporis, & alijs gratijs, denique liberatione à periculis.

*Conf.* 3. Actiones ejus. 1. Mandata Superioris exequi. 2. Affectus oppositos frænare.

3. Volun-

3. Voluntatem subijcere. 4. Intellectum. Vide Medit. 59. & 15. usque ad 20. Si Deus obedit voci hominis etiam in Eucharistia, quousq; ego paralyticus non obaudiam amantissima Domini verba dicentis: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; Surge à desiderijs carnalibus, carnem attolle ad voluntatem spiritûs, redi ad paradisum, domum tuam, vel ad tui custodiam internam,* ita Rabanus hìc.

## MEDITATIO CCXCV.

## Feria 2. Domin. 18. post Pentecost.

### *De Observantia.*

ASpiciam D. IESVM vultu, moribus, sermone, cogitatione, observantissimum, & ordinatissimum. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Observantia est virtus, quâ majores ætate, aut dignitate, sapientiâ, aut virtute honoramus, eisq; officium exhibemus.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. Præceptum Spiritûs sancti, *Coram cano capite consurge* Lev. 19. 1. In omni Republica, & Congregatione bene constituta, hæc summa cura est, ut majoribus à junioribus deferatur. 3 Observantiæ obliti duplici modo hìc castigantur; qui enim majoribus & senioribus non obtemperant, mille erroribus implicantur, deinde majores facti, à minoribus contemnuntur, 4. Exemplum Christi, qui ex Obsetvantia se

defendit

defendit contra percussorem maxillæ suæ coram Pontifice.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Majores internè æstimare, & suspicere. 2. Venientibus assurgere, caput aperire, inclinare, honoratiorem locum dare, & consueta signa reverentiæ exhibere. 3. Coram illis tacere, interrogare, discere ab illis, non eos ut Discipulos, sed ut Judices eorum, quæ docemur, respicere. 4. Eorum sapienter dicta modestè commendare, sententiásque nostris utilitatibus anteferre. 5. Si ab eorum sententia discedendum sit ob manifestam rationem, non nisi reverenter id facere. 6. Si deliquerint, non duriter increpare, sed ut Patres obsecrare, & amicabiliter admonere. 7. Juvenum procacium, qui Majores subsannant, & de illis detrahunt, stultitiam compescere, & eorum errorem increpare.

## MEDITATIO CCXCVI.

## Feria 3. Domin. 18. post Pentecost.

### *De Pace.*

ASpiciam Dominum IESVM, velut terram promissionis, aut templum Salomonis, sine strepitu, plenum pacis, ad eandem nos exhortantem: *Beati pacifici, quoniam Filj DEI vocabuntur.* Petam hujus Beatitatis fieri particeps.

*Cons.*

*Conf.* 1. Pacem esse voluntatis affectum, quô subijcimur Deo, & in eo, quod bonum est, consentimus hominibus. Pax est omnium unitiva, & consensûs operativa, vel ut ait Augustinus: *Pacifici, qui motus animi rationi subijciunt, & hanc DEO.*

*Conf.* 2. Incitamenta. 1. Nobilitas pacis, & suavitas. 2. Acceptissimum Sacrificium Domino spiritus pacatus, spiritus contribulatus meretur veniam, pacatus coronam gloriæ. 3. Pacati Deum habitatorem in se habent. *In pace factus est locus ejus.* 4. Pax cum Deo, proximo, propria conscientia à Christo nobis perfectissimè donata est.

*Conf.* 3. Actiones ejus: 1. divinis præceptis se subijcere, inspirationes sequi, & proprium arbitrium ad beneplacitum Dei inflectere. 2. In prosperis & adversis æquè Dei voluntati consentire. 3. Peccata, quæ sunt seminarium discordiæ inter Deum & hominem, fugere, & sanctissimis Christi moribus assimilari. 4. Idem cum hominibus sapere, idem dicere, quibuscum vivimus, cõformari in cibo, potu, somno, vestibus, moribus, & operibus, quatenus arreptæ professioni non repugnant. 5. Ita vivere, ut nullus de nobis querelam habeat, nec justam ex nostris dictis, aut factis perturbationis causam accipiat. 6. Carnem spiritui subijcere, sensus, usus membro-

membrorum, interiora, & exterior opera ex usu rationis disponere. 7. Cogitationes, & affectiones secundùm præscriptum virtutis moderari. 8. Nosmet ipsos discutere, & aliorum dicta, & facta ad nos non pertinentia relinquere. 9. Radices omnis perturbationis, propriam voluntatem, spiritum libertatis, & placendi desiderium evellere. 10. Zizania, quæ sine damno tritici eradicari nō possunt. patienter usque ad tempus messionis tolerare. 11. Bona nullo præcepto, nullâve lege debitâ, pro vitando proximi scandalo ad tempus intermittere. 12. Animi tranquillitatem ex aliorum dictis & factis pendentem non habere.

## MEDITATIO CCXCVII.

## Feria 4. Domin. 18. post Pentecost.

### *De Patientia.*

ASpiciam Patientiam individuam Domini IESV comitem, ut ait Tertull. lib de Patient. *Vbi DEVS, ibidem & alumna ejus, Patientia scilicet.* Petam eam à Domino meo discere.

*Cons.* 1. Patientia est virtus, quâ hujus seculi mala æquo animo sustinemus, sine immoderata turbatione, aut tristitia interiore, & sine admissione inhonesti, aut minùs decori exteriùs. Mala ejusmodi sunt, quæcunque

cunque opponuntur bonis naturæ, & gratiæ, quibus ita præest Patientia, ut tristitiam & mœrorem temperare debeat, ne is nos inducat ad aliquid illicitum quærendum pro depulsione malorum. Verba item, gestus, & alias actiones afflictionis indices ita regere, ut decora sint omnia, & virili animo digna.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Sine Patientia vitam cœlestem non assequemur, tot enim hujus exilij mala nos impetunt, ut nisi eis patientiâ resistamus, faciant nos à bono discedere, aut in malum prolabi; hinc ait Apostolus ad Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria est.* 2. Patientia Dei, continuis exacerbationibus offensi, qui præstitutum semel retributionis diem patienter expectat. 3. Christi exemplum, qui mala sustinuit in corpore, & in animo calumniarum, & injuriarum alphabetum. Habitus enim est *amicus.* Publicanorum, *ambitiosus*, qui se diceret Christum Regem; *blasphemus*, qui se Filium Dei faceret; *contrarius ceremonijs* & operibus omnium Sap. 2. *dæmonicatus, fabri filius, furiosus, gulosus, jactabundus, 50. annos nondum habes, &c. Et: Tu homo cùm sis, facis temet ipsum Deum. Ignorans* ab Herode, qui Christum sprevit; tanquam *impotentem*, quia signum non fecit; tanquam *ignorantem*, quia verbū non respondit; tanquam *stolidum*, qui contra

accusan-

accusantes, se non defendit. D. Bonavent. in cap. Luc. 23. *Impius*, falsa in Religione dogmata docens: *inhabilis*, *à Nazareth potest aliquid boni esse? Intolerabilis* Gerazenis, item Samaritanis, *irreverens*, alapâ percussus, *latro*, & latrone pejor, posthabitus Barrabæ, *latronum* dux medius inter eos suspensus: *malus* Joann. 7. *Malefactor: mendax: vah! qui destruis templum Dei obsessus* à Beelzebub: *peccator*, quòd cum ijs ageret: *pernitiosus*, qui prohiberet dare tributa: *phantasma* à proprijs Discipulis putabatur. Matth. 14. *Pseudopropheta: quis est, qui te percussit?* *Rebellis* Cæsari, *rudis*, ideo à Pharisæis, & Diabolo sæpius tentatus: *scandalosus scandalizabantur in eo: seditiosus subvertens* gentem: *seductor*, *servilis*, cæsus virgis, alapis: *stolidus*, *stultus*, veste albâ indutus: *vanus*, *alios salvos fecit*, *vini potator*, *violator* Legis. Quid potuit ampliùs facere, ut me pati doceret? Quid gravius, quàm contumelia ab inferiore.

*Cons.* 3. Actiones ejus: 1. Damna fortunæ, dolores, ægritudines, corporis imbecillitatem, injurias, irrisiones, probra, detractiones, infamias, atque ipsam mortem sine impatientiæ nota tolerare. 2 sine murmuratione, lamentationibus, querelis, sine immoderata tristitia eadem ferre. 3. Ferre ea mala, quia ea culpæ nostræ commeruerunt, veli

pro-

pro gloria Dei, vel imitatione Christi, cum gaudio sicut Apostoli *ibant gaudentes, &c.* Ferre eadem non solùm à malis, sed etiamà bonis, arbitrantibus se obsequium præstare Deo, pro beneficijs retribuentibus mala, volentibus nocere, in medijs hisce malis quietum silere.

## MEDITATIO CCXCVIII.

## Feria 5. Domin. 18. post Pentecost.

### *De paupertate.*

VIdebo Dominum JESVM nihil cupientem, nihil possidentem, ut Paupertatem mundo absconditam manifestaret, pauperiorem factum vulpibus, & volucribus cœli. Petam Dominum meum imitari.

*Cons.* 1 Paupertas est virtus, quæ moderatur appetitum possidendi res temporales, ut solis necessarijs secundùm statum faciat contentos.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. relinquentibus sua propter Christum promittit Dominus centuplum in hac vita, ut sine solicitudine necessaria habeant, & post hanc vitam regnum cœlorum possideant. 2. Multis curis animam liberat, quæ perfectionem impediunt: *Voluntaria Paupertas inchoat perfectionem*, inquit D. Gregor. lib. 2. moral. c. 27. 3. Exemplum Christi, qui *cùm esset dives propter*

*propter nos egenus factus est*: ad hoc elegit Matrem pauperem pauper Filius, domum pauperculam, suppellectilem exiguam, non paupertate fortuitâ, sed decretâ: non invenit locum in diversorio: relictus in templo per triduum mendicato vixit, juxta D. Bernardum, passus defectum in cibo, potu, vestitu, domo, servitio, solatio: usus jumento alieno, à prædicatione ad vesperam *circumspexit*, si à quopiam invitaretur, & nemo eum recepit, unde in Bethaniam ire coactus: Pascha precario sumit cum Discipulis in domo aliena, non habuit pretium, quo tributum penderet, vixit eleemosynis, vestis Christi pauper, toga incõsutilis contexta per totum, rudis sine arte, instar sacci, usus sandalijs tentatus à spiritu avaritiæ noluit permittere sibi diutius omnia mundi regna, quam momento temporis repræsentari: frigidam in Cruce mendicabat; in alieno sepulchro, linteóque alieno involutus est.

*Conf.* 3. Actiones ejus. 1. Omnia superflua statui dimittere, & in pauperes distribuere. 2. Dominio temporali renuntiare, & nihil proprium possidere. 3. Contentum esse victu frugali, & necessario tegumento. 4 Seipsum etiam necessarijs indignum reputare. 5. Si necessaria defuerint, patienter, æquanimiter, & hilariter ferre. 6. Non esse immoderatè

ratè solicitum pro necessarijs sed solicitudinem in Deum convertere. 7. Superflua non petere, & oblata non recipere, necessaria more pauperum ex eleemosyna (si status meus id patiatur) humiliter petere.

## MEDITATIO CCXCIX.

## Feria 6. Domin. 18. post Pentecost.

### *De Pœnitentia.*

ASpiciam D. JESVM vultu, ore, voce, usu, præconem, pœnitentiæ: Quoniam *impletum*, inquit, *est tempus, & appropinquavit regnum Dei, pœnitemini, & credite Evangelio*, Marc. 1. Ita Christus incepit prædicare, postquam Ioannes fuisset vinctus in carcere. Petam obedire Evangelio.

*Cons.* 1. Pœnitentia est virtus, quâ peccata nostra, ut sunt Dei offensa detestamur, & ad eorum expiationem, & satisfactionem venire contendimus.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. si peccatum est mors, pœnitentia ad vitam revocat. 2. Peccatum est magna in Deum peccatoris procacitas, cujus remedium post baptismum aliud non est, nisi pœnitentia. 3. Christus nos ad pœnitentiã accendit, qui ob peccata nostra, tam dura, & aspera plurima tulit, ut nos ea agnoscentes inconsolabiliter lugeamus.

*Cons.* 3. Actiones ejus, 1. peccatum grave dete-

detestari, ut mortem animæ, leve, ut morbū ejus abominari. 2. De peccatis magnis, & parvis dolere, eô quòd summa majestas ijs offensa sit. 3. Nostram negligentiam detestari, quâ multa bona amisimus, & gratiam Dei, frequentésq; ejus inspirationes neglexímus. 4. Propositum firmum, nunquam graviter peccandi, concipere, adeó ut potiùs eligamus omnia mala, etiam pœnas purgatorij subire, quàm in aliquod peccatum consentire. 5. Peccata Sacerdoti confiteri, mortalia ex præcepto divino, quoad species, numerū, & circumstantias, venialia verò ex consilio, quatenus cognitionem nostram non effugiunt, 6. Confessionem debito modo facere, integram, discretam, ut non solùm externa peccata, sed etiam omissiones, internas cogitationes, parva desideria, morosas affectiones, distortas intentiones, judicia temeraria, mala exempla pandamus: fidelem, ut ita hæc Sacerdoti pandamus, ut gravia sunt in conspectu Dei. 7. Pro peccatis satisfacere orationibus, jeiunijs, eleemosynis, mortificatione. 8. Pœnam pro peccatis assumptam culpæ commensurare, ut secundùm ejus magnitudinē sit magnitudo pœnæ. 9. Eam exercere, quæ etiam sit peccato medicina: superbiam plectat humilitas, invidiam charitas, luxuriam asperitas, 10. Qui

illicita commisimus, à licitis interdum abstineamus, & nos indignos remissionibus innocentum putemus, atque, ut ait Tertullianus lib. de Pœnit. *Paniteat amâsse, quæ DEVS non amat.*

## MEDITATIO CCC.

## Sabbato Domin. 18. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo in his virtutibus excelluerit.*

VIdebo D. Virginem Obedientiâ, Observantiâ, Pace, Patientiâ, Paupertate, Pœnitentiâ velut herulis cœlestibus comitatam Reginam cœli. Petam ejusdem Virtutibus magis imbui.

*Cons.* 1. Obedientiam B. Virginis, propter quam à S. Ambrosio de instit. Virgin. cap. 12. dicitur *aula regalis, soli Deo subdita:* quia *una erat* MARIAE & CHRISTI *voluntas*, inquit Carnotensis de laud. B. Virg. Observantiam, erga Josephum, omnésque Majores. Pacem, de qua ait S. Germanus, orat. de Præs. Virg *Collectrix malè consonantium, Conjunctrix jam olim disiunctorum.* S. Bonaventura in laud. B. Virgin ait, quòd sit *Columba pacifera.* S. Ephrem quòd sit *Conciliatrix efficacissima totius orbis terrarum, portus tranquillissimus, à fluctibus & procellis agitationum liberatrix desideratissima.* Guilhelm, Paris.

Paris. in Can. ser. 1. de ea dicit, quòd sit *Lectus DEI*, S Bonav. in spec Virg. quòd sit *Requies SS. Trinitatis*. Patientiam, de qua dicit B. Laur. Justin. *Clarissimum passionis Speculum erat cor Virginis, in quo cognoscebantur spina, & vulnera Redemptoris:* causam dat S. Gilbertus: *Quantò quis plùs diligit, plùs dolet* Hesychius tom. 1. BB. PP. de ea dicit, quòd fuerit *Turtur mundi:* & Arnoldus Carnot: *quod difficillimum erat, moriebatur & non poterat mori*, Paupertatem, quam D. Cyprian. serm. de Nativit Dom. ait: *Pauperem Matrem, quæ ideo parturturum obtulit pro Filio, quòd non haberet, ex quo Agnellum emeret.* Pœnitentem, de qua agit. D. Damascen. orat. 1. de Nativit. B. Virgin, *Fœmina fœminarum crimen dissolvens:* & Theosterictus in canconciliat, quòd sit *Ianua pœnitentiæ*,

*Cons.* 2. Memoriâ repetendo proposita hujus hebdomadæ, quæ ut executioni mandem, suppliciter opem à Diva implorabo.

## MEDITATIO CCCI.

## Dominica 19. post Pentecosten.

### *De septem virtutibus gubernandi*

ASpiciam Dominum JESVM Filium Regis cœli, & terræ à Deo ad gubernandum orbem universum prædestinatum. Petam admitti ad servitium tanti Regis.

*Conf.* 1. Virtutes Gubernatoris boni præcipuas esse septem. 1. Præclara sapientia hæc fuit in Domino JESV, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, 1. ad Colos. 2. 2. Ingens fortitudo: hæc fuit in D. IESV, quia ipse est *fortior eo* (diabolo) *superveniens* Luc. 11: universa arma ejus auferens, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuens. 3. magna æquitas, Hæc fuit D. IESV: *Amice, non facio tibi injuriam: an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

*Conf.* 2. Quartam virtutem regiam esse liberalem beneficentiam, & magnificẽtiam, quia ob DEI honorem in rebus magnis & utilissimis magnos sumptus facimus. D. Augustinus ait: quòd sit *rerum magnarum & excelsarum cum ampla quadam, & splendida propositione cogitatio, atque administratio.* Actiones ejus sunt: In operibus magnis & splendidis non parcere sumptibus in DEI honorem. Affectum erga opes, qui earum effusionem impedit, moderari, Ad eam movet Deus, qui hominem magnificum facit, debet igitur opere magnificentiæ præstare, ut pro temporalibus accipiat æterna. Totum id fuit in Christo, qui *pertrãsijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo* (quoad animam, & corpus, *quoniam Deus erat cum illo.* Act. 10. Fecitque pro nobis magnos summus,

dum

dum ad nuptias cœlestes, & æternas vocavit.

*Conf.* 3. Ad has virtutes accedere ob duritiem improborum ac pervicaciam. 5. Longanimem exspectationem. Hæc fuit in D. JESV dicente: *Quoties volui congregare te, &c.* Matth. 13. Luc. 13. 6. seriam comminationem. Hæc fuit in D. JESV clamante: *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis (olim jam pridem) in cinere & cilicio sedentes pœnituissent.* Luc. 10. 7. Severam punitionem. Hæc eluxit in D. JESV edicto: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij, &. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Matth. 12. sed & hodie non vestitum veste nuptiali, jubet mitti *ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores:* Matth. 5. ne id mihi contingat, ad S. Communionem me, quàm optimè præparabo, quia, ut ait D. Ambros. serm 17. *Sanguis Christi purpura est, quæ ornat Sanctorum animas.*

## MEDITATIO CCCII.

### Feria 2. Domin. 19. post Pentecost.

### *De Perseverantia.*

ASpiciam Dominum usque ad finem, & consummationem continuantem perseverantissimè bonum salutis, & Redemptio-

nis nostræ opus, quod semel assumpsit. Petam cum eodem in disciplina perseverare.

*Cons.* 1. Perseverantia est virtus, quâ ex affectu bonum continuandi in bono ad finem persistimus, & diuturnas molestias toleramus.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. sine perseverantia labor in virtute susceptus, debitâ mercede vacuatur. 2. Perseverantia quod petit, impetrat. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 3. *Perseverantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus*, inquit D. Bernardus Epist. 229. 4. Exemplo Christi, in quacunque actione usque ad ejus finem perfectum perseverantis. à Samaritana ad fontem derelictus fuit, eam tamen præstolabatur, usque dum suis instinctibus reducta cum alijs ad se reverteretur.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Laborem virtutis diuturnum tolerare. 2. Non obstante labore continuare opera virtutum. 3. Nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissionibus, quod fecit Susanna à rectitudine superari.

## MEDITATIO CCCIII.

## Feria 3. Domin. 19. post Pentecost.

### *De Prudentia.*

ASpiciam Dominum IESVM perficien-

tem

tem dono prudētiæ intellectum humanum, quo velut auriga in moralibus regitur virtutis studiosus. Petam eam obtinere.

*Cons.* 1. Prudentia est virtus, quâ proposito nobis fine virtutis, media ad illum consequendum per cōsultationem inquirimus, & per judicium invenimus, & per præceptum efficax executioni mandamus.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Virtutes sine prudentia decorem perdunt, & ex statu virtutis in vitia delabuntur. 2. Homo sine prudentia in periculo casûs manifestè versatur, & cæcus est sine luce. 3. Regnum cœlorum decem Virginibus cōparatur, quarum quinque prudentes. 4. Exemplum Christi, nos à visibilibus ad invisibilia tam suaviter evocantis, futura prævidere docet, proponendo malos exitus, proponēdo regnum cœlorum, proponendo omnibus pœnitentiam, in tentatione erat cautissimus, ac solers, noluit se in impertinentia unquam ingerere, cœlum terræ præponendum docuit, & restemporales cum ipsa vita pro cœlestibus negligendas, docuit nos morali certitudine in rebus humanis contentos esse debere, latuit triginta annis, ut priùs exempla exhiberet, quàm doctrinam: mundo manifestatus dies conversationi dabat, noctes orationi, elegit primò Apostolos, deinde Discipulos, Apo-

stolos ex duodecī tribub⁹ Discipulos septuaginta duos, quia totidem gentibus Evangelium prædicandum erat Beda in Luc. cap. 8. in quas initio confusionis in turri Babel mundus divisus fuit, eósque primò misit inter Iudæos, quibus promissus erat Christus, deinde ad gentes ex sola misericordia, tandem ipse sequebatur; prudens in loquendo, sermonem aliorum ad divina flectens, non nisi de Deo loqui sciebat. Prudens in tacēdo, plus tacuit, quàm locutus, tacuit ad annum duodecimum, deinde octodecim annis, dum subditus esset Parentibus, deinde quadraginta diebus convivens bestijs tacuit, tacuit & tempore Passionis.

*Cons.* 3. Actiones, 1. finem totius vitæ ad beneplacitum Dei, & assecutionem beatitatis attentè respicere, & in quocunque speciali negotio virtutis proprium finem intueri. 2. De medijs ad finem per divinas leges consultare, ea à Deo postulare, meditatione, & aliorum consilio uti, nec sibi ipsi multùm fidere. 3. In consultatione mala & inutilia à bonis, & utilibus secernere, considerato statu nostro, virium mensurâ. 4. Quæ fini congruentiora sunt præeligere. 5. Voluntatem ad Electorum executionem efficaciter inflectere.

MEDI-

## MEDITATIO CCCIV.

## Feria 4. Domin. 19. post Pentecost.

### *De Pudicitia.*

ASpiciam D. IESVM Pudicitiâ omnium sensuum quasi liliis stipatum. Petam ejus Pudicitiam assequi.

*Cons.* 1. Pudicitia est virtus, quâ aspectum, os, & manus continemus, ne in aliquid indecens puritati adversum tendant.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. multum impudicitia honoris aufert, inverecundi sunt infames, sunt dæmoniaci, quia *lascivia est dæmoniaca* inquit D. Chrysost. serm. de Magd. 2. Pudicitia laudatur à D. Cypriano, quòd sit *honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, fons castitatis, vinculum pudoris, pax domûs, concordiæ caput.* 3. Ait Tertull. de cult. fœm. *Cùm omnes templum Dei simus, illato in nos, & consecrato Spiritu sancto, ejus templi ædituus, & antistes pudicitia est.* 4 *Omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos,* ait Apostolus ad Ephes. cap. 9. idem claudit cœlum impudicis, ad Galat. 5. & Ephes. 4. & alibi sæpius.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Aspectum personarum, quæ turpem cogitationem causare possunt vitare. 2. Verba minùs honesta nec proferre, nec audire. 3. Tactus personarum

etiam non inhonestos vitare. 4. Id ipsum circa se servare. 5. Privatim ita, atque in omnium oculis agere, quia Angeli nos ubique intuentur, quorum oculos merita reverebimur, & multò magis, quia, ut ait Tertullianus: *ubi Deus, ibi pudicitiæ* Lib de cult. fœmin. hujus virtus curâ & studio *Metropolis vitiorum* (ita S. Ambrosius lib. 1. de Abraham. c. 4. vocat libidinem) expugnatur.

## MEDITATIO CCCV.

## Feria 4. Domin. 19. post Pentecost.

### *De puritate cordis.*

VIdebo Dominum IESVM Puritate velut nube diaphanâ vestitum. per quam ejus sanctitas Angelorum oculos recreat, Deíque. Petam hanc beatitatem mundi cordis obtinere.

*Cons.* 1. Puritas cordis est cogitationum, affectionum, sermonum, operúmque munditia.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. Si munditia corporis homini jucunda, & salutaris, aliísque cum eo conversantibus grata; multò magis erit puritas cordis. 2. Aperit oculos mentis, ut ijs Deus videri possit, juxta D. Hieron. in cap. 5. Matth. *mundus Deus à mundo corde aspicitur.* 3. Exemplum Christi, qui *nec peccatum fecit, nec dolus inventus est in ore ejus,*

ab

ab Apostolis perpetuis comitibus, aut à Phariſæis obſervantibus, aut à judicibus corruptis, aut ab ipſo diabolo tentante, omnes habet teſtes ſuæ innocentiæ. Ob hanc corpus ſuum templum compellabat: *Diſſolvite hoc templum:* in quo nihil profanum, leve, ſed divina omnia, puritate referta.

*Conſ.* 3. Actiones ejus. 1. Amorem rerum viſibilium, honorum, voluptatum, divitiarum, deponere. 2. Nec ſeipſum, nec ſua nimis amare. 3. Cor à malis, & vanis apprehenſionibus emundare. 4. Immunem ſe à peccatis levibus, & gravibus ſervare. 5. Mentem Deo, & cæleſtibus inhærere.

## MEDITATIO CCCVI.

## Feria 6. Domin. 19. poſt Pentecoſt.

### *De Pietate.*

ASpiciam Dominum JESVM Pietate pleniſſimum erga omnes, etiam tentantes ſe, imò & proditorem, & percuſſorem. Petam eum imitari.

*Conſ.* 1. Pietas eſt virtus, quâ Parentibus, Fratribus, tam carnalibus, quàm ſpiritualibus, cultum honorem, ac reverentiam, & officium, ſubventionem, & defenſionem tribuimus.

*Conſ.* 2. Incitamenta. 1. Præceptum DEI: *Honora Patrem, &c.* 2. A beſtijs ad pietatem

movemur. 3. Christus moriens pietatis erga Parentem specimen dedit, quòd aliàs passim totâ vitâ erga fratres suos secundùm carnem Judæos, & Discipulos præstitit, ipsíque Malcho *refudit auditum demonstrans & ipsis* (Judæos) *si convertantur, posse sanari* & ab æterna damnatione liberari, *qui in Passione Domini vulnerati sunt*, ita D. Ambrosius in Luc. cap. 22. Denique non solùm à peccatis, sed etiam malis alijs corporis, & animæ, damnísque temporalibus homines passim liberabat etiam miraculis adhibitis.

*Conf.* 3. Actiones ejus. 1. Parentes nostros agnoscere, in debita existimatione habere, & eorum sortem, quamvis abjectam, non erubescere. 2. Parentes verbis, & externis venerationis signis honorare, & ab omni eo, quod eos contristat, abstinere. 3. Subsidia illis egentibus, & defensionem præbere. 4. Incommoda ab illis illata: convitia, & admissa vitia senectutis tolerare, & prudenter tegere. 5. Hæc eadem officia fratribus & cognatis præstare. 6. Patriam nobilitare, & ad viam virtutis adducere. 7. Patriam, & cognatos, si adversus Legem Dei impellant, pro nihilo habere; sic Christus reliquit domum Israël desertam,

MEDI-

## MEDITATIO CCCVII.

### Sabbato Domin. 19. post Pentecost.

### *Quomodo B. Virgo in his virtutibus excelluerit:*

ASpiciam Beatissimam veréque prudentem Virginem, plenam virtutibus gubernandi, utpote Reginam cœli, velut inter minora astra Lunam, plenam pudicitiâ, Puritate cordis, Pietate, Perseverantiâ. Petam harum virtutum magis fieri particeps.

*Cons.* 1. Hujus Reginæ cœli prudentiam, de qua ait Metaphrastes: in cat. Corder. *Mulier prudentissima, vera sapientiæ, atque ineffabilis scientiæ Mater.* Et Hesichius orat. 2. de Deip. *Navis mercibus referta, nullo egens Gubernatore,* Et S. Ephrem. de laud. B. Virg: *Princeps omnium prudentissima, & sagacissima.* Et Fulbertus serm. 2. in Nativit. B. Virgin. *Regina Virginum prudentium.* Deinde puritatem cordis, de qua Rupertus lib. 5. in cant. *Cœlum DEI, Sedes unica Domini.* Gregor. Neocæs. orat. 3. de Nativit. Domin. *Cubiculum Incarnationis Verbi.* Honorius August. de B. Virg *Sacellum Spiritûs sancti* S August. serm. 35, de SS. ait, quòd sit *Forma DEI.* Andreas Cretens. orat. de Assumpt. quòd sit *Imago divini archetypi rectè descripta.* De Pudicitia ejus ait Richard. a S. Laur. lib 10.

part. 503. *Locus Sanctificationis transcendens Seraphim*, & Hugo de S. Victore serm. 47. *Balsamum mundum universum opinionis optima redolentiâ inæstimabiliter adimplens.* De Pietate ejus ait Richard. à S. Laur. lib. 10. p. 597. quòd fuerit *fornax operum ardoris Dei, plena uberibus pietatis:* ut ait Eusebius Gallican. *quantâ pietate polles. ô* MARIA, *quos DEVS per solam justitiam salvare non potest, tu salvas per tuam misericordiam infinitam!* De perseverantia ejus ait Andreas Cretensis, quòd sit *Potentia, quæ non potest labefactari, cui nihil potest auferri.*

*Cons.* 2. Quantum ego distem ab his virtutibus. Confundar, & memoriâ repetitis hebdomadæ propositis gratiam pro illis exequendis a D. Virgine petam.

## MEDITATIO CCCVIII.

## Dominica 20. post Pentecosten.

### *De Religione.*

ASpiciam Dominum JESVM, Religionis auctorem, cujus actiones semper exercebat ascendendo ad templum, orando, Sacramenta instituendo, omnia ad Patrem referendo. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Religio est virtus, quâ DEO tanquam omnium Creatori & Domino debitum cultum, & honorem exhibemus.

*Cons.* 2.

*Conſ.* 2. Incitamenta. 1. Excellentia divinæ Majeſtatis, qualitas noſtræ conditionis, qui Dei ſumus, præſtantia noſtri finis, qui eſt ipſe Deus, Dei præceptum ſibi ſoli latriæ cultum reſervantis; emptio: Empti enim ſumus pretio magno: præmium Deum colentium, baptiſmi ſuſceptio. 2. Religio eſt præcipua virtus poſt Theologicas, & Vera ſanctitas, quoniam Religionis actibus firmiter adhęremus Deo. 3. Functiones Religionis ſunt expetendę ſummè, quia præſtantiſſimæ. 4. Hanc docuit Chriſtus, feſta & Sabbata religiose colendo, ijs diebus plura miracula patrando, quoties civitatem intraret, adibat templum, res ſacras reverebatur, lecturus ſacram Scripturam, *ſurrexit*, ſicque ſtans accepit librum, in eóque Iſaiæ Propheriam legit, Luc. 4. & finitâ lectione *ſedit*, adjuratus per Deum paret, ad cultum adorationis Magos permovit, ob Patris æterni reverentiam omne juramentum inhibuit, ipſe nullo juramento uſus, doctrinam ſuam voce *amen* aliquando duplicatâ confirmabat.

*Conſ.* 3. Actiones ejus. 1. ſumma æſtimatio Dei, cum noſtra ſumma humiliatione. 2. Devotio, ſeu promptitudo mentis ad omnia divina obſequia, & cultum, quæ naſci ſolet ex meditatione divinorum attributorum. 3. Oratio, mentis in Deum elevatio, & poſtula-

postulatio, Sanctorúmque invocatio. 4. Adoratio, quâ coram Deo corpore & mente prosternimur, quáque Sanctos veneramur. 2. Sacrificium, quo Deo corpus & sanguinem Christi in sanctissima Evchariſtia, tum mentem, vires, & omnia nostra offerimus. 6. Administratio, & susceptio Sacramentorum. 7. Exhibitio oblationum, primitiarum, decimarum, quibus Deum in ministris ejus honoramus. 8. Votum, quo Deo vel Religionem, vel alia opera supererogationis vovemus, & reddimus. 9. Juramentum, quo in necessitate cum magna reverentia Deum in testem alicuius veritatis adducimus. 10. Adjuratio, sive obsecratio, quâ Deum per suam bonitatem, Christi, & Sanctorum merita, ut nobis aliquod bonum ad suam gloriam ordinatum concedat, instanter petimus. 11. Laus Deo, quâ eum pro sua infinita perfectione & operibus, Psalmis, Hymnis, & canticis spiritualibus, ore laudamus, & musicis instrumentis. 12. Gratitudo, quâ Domino pro adversis & prosperis gratias agimus, pro beneficijs proximorum. 13. Omnium virtutum actus Theologicarum, & moralium relati ad honorem, & cultum Dei.

## MEDITATIO CCCIX.

### Feria 2. Domin. 20. post Pentecost.

### *De Securitate.*

Aspiciam

ASpiciam D. IESV sinum quasi portum securissimum, ad quem admitti petam.

*Cons.* 1. Securitas est virtus, quâ tranquillè magna opera virtutis aggredimur, & timorem, anxietatémq; errandi præposterè agendi, & non assequendi finem cohibemus.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Concursus Dei omnes creaturas in suis functionibus mirabiliter juvans. 2. Bona conscientia DEI gloriam quærentem mirabiliter roborat, & spe exitûs boni confortat. 3. Solicitudo ritè præstandi omnia; qui enim, quod ad se pertinet, facit, non imprudenter de Dei auxilio confidit. Excelluit hac virtute Christus, qui opera, quæ nemo alias fecit, tranquillè aggressus in convertendis, & sanandis hominibus animâ & corpore, quantâ securitate opus Redemptionis sub passionis initium in horto est aggressus, obvians suis hostibus.

*Cons.* 3. Actiones 1. Alacriter cum spe boni exitûs præclaras actiones aggredi. 2. Timorem ex vana causa ortum abijcere. 3. Quiete, & sine perturbatione opera bona præstare, fiducia in Deo collata.

## MEDITATIO CCCX.

### Feria 3. Domin. 20. post Pentecost.

### *De Simplicitate.*

Aspiciam

ASpiciam Dominum JESVM ab omni hypocrisi alienum virtute simplicitatis primo ad sanctitatẽ gradu felicem juxta illud D: Gregor. 12 Moral *Nihil simplici corde felicius.* Petam eam consequi.

*Cons.* 1. Simplicitas est virtus, quâ quis hypocrisim. duplicitatem, & multiplicitatẽ vincit, & ab omni astutia, fraude, dolo, actionum non necessariarum multiplicitate, alienus est.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Confusio hypocritarum, qui erunt deformissimum spectaculum evanescente eorum impostura, ita D. Basilius in c. 1. Isai. 2. Abominatio Domini omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio ejus. 3. Quia Dominus vult suos servos paucis, id est, necessarijs occupari, porrò unum est necessarium. 4. D. JESVS necessitatem simplicitatis docuit, volens nos effici parvulos. Matth. 18. Juvenem in bona simplicitate educatum incuitus dilexit, licet virtute imperfectus alioqui esset. Marc. 10. Ob synceritatem Samaritanæ se Messiam esse ei manifestavit, quod Judæis eum sæpe, sed insincerè, rogantibus non aperuit, Joan. 4. Ad Discipulos loquebatur sine parabolis propter eorundem sincerum in Christum animum, quidquid ordinavit ad Deum actu simplicitatis fecit: Ordinavit autem prorsus

omnia

omnia; hinc hypocrysim acriter reprehendit.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Quales sumus, tales nos factis, & verbis sine fictione ostendere. 2. Christo Magistro sine fuco bona & mala aperire. 3. De rebus, quas non sumus experti, nihil jactare, præsertim spiritualibus. 4. Bona operari, sine admistione malorum, 5. Sentire de Domino, & servis ejus in bonitate. 6. Operum inutilium multiplicitatem vitare.

## MEDITATIO CCCXI.

## Feria 4. Domin. 20. post Pentecost.

### *De Sobrietate.*

PRoponam mihi Dominum JESVM eo modo, quo D. Bernardus loquitur ser. 15. in Cant. *Cùm nomino Iesum, hominem mihi propono sobrium castum, &c.* Petam exequi illud S. Petr *Sobrij estote.*

*Cons.* 1. Sobrietas est virtus, quâ affectum & usum potûs, præcipuè inebriare valentis, moderamur.

*Cons.* 2. Incitamenta ejus 1. mala ebrietatis gravissima. 2. In profanis hominibus damnatur ebrietas, quantò magis in sequentibus Christianam perfectionem. 3. Ad ebrietatem spiritûs vocatus corpore sobrius sit, & ab his, quæ spiritum hebetant, diligenter se ipsum abducat. 4. Christus dominus, dum

specia-

specialiter cavere jubet, ne graventur corpora nostra potu, intendit studium sobrietatis, quam tota vita exercuit. Marthæ niniam in parandis ejusmodi solicitudinem reprehendit.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Potum vini, aut alium inebriantem, ita sumere, ut usum mentis non tenebret. 2. Non reijcere potum, qui corpus ad functiones roboret, ad impuros tamen motus non exciter. 3. Delicias in potu non quærere, sed communi juxta regionis morem uti. 4. In potu mentem non effundere. 5. Aliquando ex desiderio virtutis à potu necessario abstinere, & sitim pati, non officientem corpori: exemplo Christi sæpe sitientis, & nec aquam ad sitim explendam habentis.

## MEDITATIO CCCXII.

## Feria 5. Domin. 20. post Pentecost.

### *De Solicitudine.*

ASpiciam Dominum JESVM solicitũ mei, ne mihi quicquam desit, præsertim verò solicitus est Deus de his, qui de ipso sunt soliciti, inquit D. Bernardus serm. 70. in Cant. Imò & piç solicitudine salutis nostræ audiam toties clamantem voce elata, & ad se vocantem. Petam ejus fieri particeps.

*Cons.* 1. Solicitudo est claritas mentis in

recte

rectè exequendis ijs, quæ facienda rectè judicavimus. Idem est vigilantia, fervor.

*Conf.* 2. Incitamenta. 1. Mundani magna solicitudine opes, honores, voluptates quærunt, nos magis virtutes. 2. Non desidibus, sed fervidis divina præmia promittuntur. 3. Tepiditas, & negligentia, status est quodammodo carnali deterior, cujus causa est falsorum bonorum illecebræ, illudentes defectu mortificationis, & recollectionis. Et exempla tepidorum, præsertim rebus gestis & prudentia insignium. Difficultas perfectionis, & defectus luminis practici. Infanda esse teporis mala ex remedio ejus cognosci possunt; quia, ut Deus medeatur tepori, permittit peccatum infame, & quidem, ut sæpe in illud incidat tepidus, quod remedium periculosum est, licet justo Dei judicio nonnullis contingat, unde alij tepidi ex lapsu desperant, & ut jumenta putrescunt, alij remedijs utendo, damnatóque exitiali tepore resurgunt, justitiæ, & misericordiæ Dei victimæ. Aliud remedium est insignis humiliatio, quâ Deo permittente tepidi sicut diploide vestiuntur; nam si honores consectabantur, evenit illis contrarium, & ita de cæteris, donec damnata sua cæcitate Deum serió ament. Ideo Christus solicitus de salute nostra sexies elata voce clamasse. 1. In parabola

bola de semine, 2. In templo, Joann. 7. 3. Apud eundem: *Si quis sitit, veniat ad me.* 4. Joan. 11. *Qui spernit me, &c.* 5. Apud eundem Lazarum suscitans. 6 In Cruce, & aliàs comparat se gallinæ solicitæ.

*Cons* 3. Actiones ejus. 1. Bonis operibus debitam mentis attẽtionem, & necessarium conatum adhibere. 2. Non vincat cura mundanorum negotiorum curam bonorum operum. 3. Tempore congruo bona opera præstare, nec ea in tẽpus importunum differre. 4. Omnia impedimenta, quæ bona opera inficerent, cõstanter & animosè avertere. 5. Tantam diligentiam singulis bonis operibus opponere, quasi salus ex unoquoque penderet. 6. Quodcunque bonum opus tantâ curâ præstare, ac si esset postremum.

## MEDITATIO CCCXIII.

## Feria 6. Domin. 20. post Pentecost.

### *De Spe.*

ASpiciam Dominum Auctorem Spei, & consummatorem; nam *spe salvi facti sumus, ad quam in nobis erigendam nihil convenientius fuit, quàm ut demonstraret nobis Deus, quantùm nos diligeret,* ait D. August. Lib. 13. de Trinit. cap. 10. Petam spem in me confirmari, & perfici.

*Cons.* 1. Spes est virtus Theologica, quâ firmiter

firmiter ex gratia DEI, meritísque præcedentibus speramus beatitudinem æternam.

*Conf.* 2. Incitamenta spei esse. 1. Promissum præsentissimum Dei auxilium ad malorum fugam, bonorum assecutionem. 2. Spes vitæ hujs est beatitudo. 3. Deus ipse spem excitat: *Confidite, ego vici mundum.* 4. Spem hanc habuit Christus sperans à DEO Patre immortalitatem, & gloriam corporis sanctissimi: Ad eandem nos excitavit passim, ideo tradidit Ecclesiæ jus dimittendi peccata. Auxit etiam spem affabilitate. *Quis peccator desperet*, inquit D. Ambrosius, de Zachæo Luc. 5. *Quando & iste, cui census ex fraude, ad salutem pervenit?* Discipulos suos vocabat filios, fratres, præsertim à Resurrectione, qui se tamen tam perfidè habuerant in ejus Passione, præsertim Petrum, quem specialiter nominat Angelus, qui tamen eum negaverat, cui & ipse apparuit, resurgens ad erigendam in eo spem de venia peccati obtenta. Sicut & Thomæ, cui vulnera sua, exhibuit, ut intelligeremus tanti eum unius animæ salutem facere, ut charitas ipsi, misericordiáq; suppeteret ad patiendum, si opus foret, pro una sola, quantum pro omnibus est passus; &, ut ait August. in Psalm. 148. *Incredibiliùs est, quòd mortuus est æternus, quàm ut vivat in æternum mortalis. Iam, quòd incredibilius*

*dibilius est, tenemus: Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est, qui vivit in æternum.*

*Conf. 3.* Actiones spei. 1. Sperare animæ beatitudinem. 2. Beatitudinem corporis. 3. Mansionem perpetuam in civitate cœlesti non manu facta. 4. Media ad beatitudinem. 5. Adjutorium Sanctorum, idque non ex proprijs meritis, sed ex bonitate Dei, & meritis Christi. 6. Ob hanc spem mundi bona contemnere, & lætari defectu. 7. Viriliter resistere malis, & confortari in bonis, & ardua quæque aggredi. Postulabo hanc spem de manu Domini, & media omnia ad consequendam beatitudinem. 1. Remissionem peccatorum. 2. Victoriam tentationum. 3. Mortificationem passionum. 4. Avulsionem à creaturis. 5. Acquisitionem virtutum. 6. Familiaritatem Dei per orationis donum. 7. Charitatis perfectionem, omnia in eo gradu, qui ad gloriam paratam mihi sufficit.

## MEDITATIO CCCXIV.

### Sabb. Domin. 20 post Pentecosten.

### *Quomodo B. Virgo in his virtutibus excelluerit.*

ASpiciam B Virginem Religione, Securitate, Simplicitate, Sobrietate, Solicitudine,

dine, Spe animarum, & fulgentem sicut Sol radijs. Petam harum virtutum fieri ampliùs particeps.

*Cons.* 1. B. Virginem Spe plenam, unde à S. Ambrosio de Instit. Virg. cap, 2. ibid. c. 7. dicitur *Olla spei nostræ.* Plenam Religione, quæ ab eodē Sancto dicitur *Aula cœlestium Sacramentorum*; & S. Hieronymus ad Heliodorum ait, *ab hora nona incipiebat orationem suam, à qua non discedebat, usque quo Angelus apparebat, de cujus manu escam accipiebat.* Ioannes Gerson Hymn. 4. de B. Virgin. ait, quòd sit *Arx Religiosorum.* Plenam Securitate, de qua ait Richard. à S. Victor. Lib. 2. de Emman. cap. 31. *In cæteris Sanctis magnificum habetur, quòd à vitijs nō possint expugnari: In Virgine mirificum videtur, quòd à vitijs non potest ipsa vel in modico impugnari.* Plenam Simplicitate, propter quam ab Anonymo Abbate lib. 6. cap. 8. in Cant. dicitur *habitaculum omni fuco, & dolo carens, & columba una, perfecta, electa.* Sobriam, agnoscit S. Ambrosius: Lib. de Virg. Est enim sobrietas ornamentum Virginum. Solicitam, ut patet in nuptijs, in quærendo Christo sæpius, de qua ait Ioannes German: Ioan. 2. in cat. ad c. 11 Luc. *Arca nunquam quiescens.*

*Cons.* 2. Et disquiram, quomodo in his virtutibus me exercuerim, & in posterum

exercere velim, implorato ad id auxilio Beatissimæ Virginis.

## MEDITATIO CCCXV

## Dominica 21. post Pentecosten.

### *De Studiositate.*

ASpiciam Dominum JESVM negligentiæ inimicum, præ Studiositate, ut ad eandem nos accenderet, sæpe de altera vita loquentem, eandemque inclamantem. Petam eam obtinere.

*Cons.* 1. Studiositas est virtus, quâ immoderatum appetitum sciendi comprimimus, & animum ad necessaria discenda negligentem accendimus.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. *Altiora te ne quæsieris. Scrutator Majestatis opprimetur à gloria. Non plus sapere, quàm oportet sapere.* 2. Nihil est in homine post virtutem dignius scientiâ, perficiente intellectum; in discendo optime tempus collocatur. 3. Stultitia inducit negligentiam, dicit enim: Quorsum discendi labor, ad quid horum scientia? &c. 4. Christus laudat scribam, proferentem de thesauro suo nova, & vetera. 5. Ipse Christus exempli causâ inter Doctores duodennis audiebat, & interrogabat studiosissime.

*Cons.* 3. Actiones. 1 noxia, prohibita, curiosa, inutilia, nolle scire, & solam cognitionem

nem statui congruam appetere. 2. Non præponere scientiam virtuti, & saluti, sed eam ad hæc dirigere. 3. Studere utilibus rebus, quib' oportet: eo fine, quo oportet: illis locis, & auxilijs, quibus oportet. 4. Languentem appetitum sciendi necessaria, aut utilia accendere. 5. Non solùm intellectum, sed etiam sensus internos, & externos à rerum inutilium perceptione reprimere. 6. Studere rationibus reddendis Judici venturo, de quo hodie dicitur, quod sit similis *homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis*, in quæ verba, ait Origenes hîc in Matthæi 18. *Vitæ nostræ ratio ponenda: omnes enim oportet sisti ad tribunal Christi, faciétque tunc Deus ineffabili virtute, ut omnia gesta ab omnibus, singulis quibusque cito in mentem veniant.* Augustinus addit: serm. 15. de Verbis Domin. *Omnis homo, & debitor est Dei, & debitorem habet fratrem: si non dimiserit, replicabo tibi, quidquid dimiseram* Ut ad Evchatistiam, cibum sapient. æ] digniùs, accedam, discam remittere debitoribus.

## MEDITATIO CCCXVI.

### Feria 2. Domin. 21. post Pentecost.

### *De Taciturnitate.*

VIdebo D. JESVM ori suo summam custodiam adhibentem: Petam eum imi-

tari, qui tota passione nunquam est lamentatus.

*Cons.* 1. Taciturnitas est virtus cohibens immoderatum loquendi appetitum.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. mirabile Christi exemplum, qui plus tacuit, quàm locutus est, ut superiùs Medit. 303. vidimus; infans sicut alij, elinguis fuit: ter tantùm cum Matre quàm brevissimè locutus: vetuit suos detineri salutationibus: coram Caipha, nisi adjuratus, non fuisset locutus: minatur se judicaturum verbum otiosum: maluit denique vitam, quàm silentium perdere. 2. Silentium B. Virginis, quæ vix septies locuta invenitur. 3. Mira silentij commoda, & loquacitatis, quæ repugnat Prudentiæ, incommoda, plura vide Medit. 107.

*Cons.* 3. Actiones 1. nihil illicitum, indecens, proximis noxium, Deo invisum loqui. 2. Nihil item inutile, aut otiosum. 3. Extra tempus & locum etiam de bonis silere. 4. Ad spiritûs utilitatem, & collectionem, ab agendo cum hominibus interdum abstinere. 5. Non solùm linguam à verbis, sed & interiorem sensum à phantasijs cohibere. 6. Nihil ad ostentationem, aut præposteros fines, sed ad Dei gloriam, proximorum salutem, vel necessitatem nostram dicere.

MEDI-

## MEDITATIO CCCXVII.

### Feria 3, Domin. 21, post Pentecost.

### *De Temperantia.*

ASpiciam Dominum JESVM per omnem vitam suam non modò superfluis, sed etiam necessarijs, quantùm sine vitæ damno potuit, abstinentem. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Temperantia est Virtus data ad cohibendum appetitum concupiscibilem, sensibilia, præcipuè delectamenta gustûs & tactûs ordinans, sive, ut ait S. Augustin. lib 1. de lib. arbit. cap. 13. *Est affectio coërcens appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur.*

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Temperantia est innocentiæ & sanctitatis vectigal: quàm primùm hoc tributum primi Parentes in Paradiso denegarũt, in peccatum prolapsi sunt. 2. Cùm simus peregrini, & exules, non debemus rebus hujus mundi ad luxum & voluptatem abuti, sed ad necessitatem solùm ijs uti. 3. Per temperantiam Angelis, per intemperantiam brutis assimilamur. 4. Dominus JESVS comedens cum peccatoribus cibum tantâ Temperantiâ sumebat, ut eos hoc exemplo Temperantiæ lucraretur. In omnibus convivijs res aliquas perinsignes bono animorum fecit. Magdalenam admisit ad pœnitentiam in cõvivio, & Zachæum

ex filio iræ, mancipio avaritiæ, fure publico admisit ad esse Filij DEI per gratiam, & effecit Regem spiritualem, operatorem justitiæ; in convivio Marthæ manifestavit altitudinem vitæ contemplativæ: in nuptijs primum exhibuit miraculum, ex quibus nos docuit finem conviviorum.

*Cons* 3. Actiones 1. Omnem honestatem ac decus amplecti in rebus, quæ ad corporis voluptates pertinent, 2. Omnem inhonestatem, & turpitudinem timere, & erubescere. 3. In corporis voluptatibus mensuram solam necessitatem habere.

## MEDITATIO CCCXVIII.

## Feria 4. Domin. 21. post Pentecost.

### *De Timore.*

ASpiciam Dominum meum Judicem, qui me potest æternum perdere. Petam configi Timore DEI carnes meas.

*Cons* 1. Timorem esse fugam peccati, ne quis incurrat Creatoris offensam, & pœnas eas comitantes, juxta illud: Matth. 10. *Timete eum, qui potest Animam & Corpus perdere in gehennam*; quæ verba explicat Apostolus: *Qui non obediunt Evangelio Domini nostri IESV Christi, pœnas habent in interitu æternas* 2. ad Thessal. cap. 1.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. Opera justitiæ DEI

DEI peccata vindicantis. 2. Timor est initium Sapientiæ, & exordium justitiæ. 3. Passio Christi pro peccatis obita meritò incutit timorem peccatorum. *Si hæc in viridi*, &c. 4. Exempla Sanctorum, & Christi, qui licet peccare non potuerit, tamen natura ejus secundùm se capax erat peccati, & ita potuit voluntate suâ fugere hoc malum: qui est timor castus, ut ait D. Augustinus Lib. 14. de Civit. Dei cap. 6. 5. DEVS offensus ab Adamo per multa millia annorum venire noluit, quantumcunque rogatus a Sanctis. 6. Damon ausus est Christum tentare. 7. Cùm esset Christus, & Discipuli ejus in navi, tempestate pene naufragati sunt. 8. Judas tot præsidijs munitus labitur non convertendus. 9. Arborem infructiferam jubet excindi.

*Cons.* 3. Actiones 1. Considerare Dei severitatem, & justitiam. 2. Omnia peccata gravia & levia fugere. 3. Pro vita anteacta pœnitere, & satisfacere. 4. Adversus tentationes confortari. 5. Solicitè divina mandata, ne Domino displiceamus, custodire, & Dei placita, hominum voluntatibus anteponere. 6. Deo per intimam reverentiam, tanquam universali Domino, se submittere. 7. Nostram imbecillitatem agnoscere, & infra omnes homines se dejicere per sui cognitionem,

## MEDITATIO CCCXIX.

## Feria 5. Domin. 21. post Pentecost.

### *De Veracitate.*

ASpiciam Dominum JESVM, qui seipsum Veritatem nominat, in cujus ore dolus non est inventus. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Veritatem seu Veracitatem esse Virtutem, quâ verbis, aut signis, & quando, & quomodo oportet, manifestamus res ad nos, aut alios pertinentes, prout in se sunt. Non est satis ad virtutem verum dicere, sed verum debitis circumstantijs vestitum. Damnum afferentia reticenda, non profutura opportunitati reservanda.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. DEVS veritatis summus amator appellatur Deus Veritatis. Christus unigenitus est plenus gratiæ, & veritatis; de ea testati sunt vel hostes Christi: *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Spiritus sanctus, Spiritus veritatis, Non potest non adversari Trinitati, qui non amat veritatem. 2. Veracitas amabilis, & in confessione quoque propriorum delictorum favorabilis. Mendaces infames fidem non habent apud homines. 3. Nihil ad docendnm veritate facilius; nam dum quis falsitatem suam tueri conatur, cor labore fatigat.

*Cons.* 3.

*Cons.* 3. Actiones ejus. 1. Mendacium & simulationem ore fugere, corde detestari. 2. Quando, & quomodo oportet rem dicere. 3. Verum, si DEO placeat, non reticere, etsi mens nostra repugnet. 4. Cùm obligamur, verum dicere, non illud tegere pro favore alicujus, aut nostro commodo. 6 Ambiguitates verborum, & ambages vitare, & res, ut sunt, simpliciter proferre. 6. Mysteria cœlestia idoneis patefacere, impuris, & indignis abscondere. 7. Promissa servare, nisi justa causa sit nõ servandi, aut in melius mutandi.

## MEDITATIO. CCCXX.

## Feria 6. Domin. 21. post Pentecost.

### *De Virginitate*

VIdebo Dominum JESVM, de quo D. Hieronym. Lib. 1. in Jovin. ait: *Dominus IESVS præco Virginitatis*, Agnum in mõte, quem sequuntur Virgines. Petam esse capax hujus virtutis, juxta illud: *Qui potest capere, capiat.* Matth. 19.

*Cons.* 1. Virginitas est Virtus, quâ quis nunquam corruptus firmiter statuit carnis suæ integritatem perpetuò conservare, & ab impura voluptate corporis abstinere.

*Cons.* 2. Incitamenta 1. Apoc. 14. *Sequuntur Agnum quocunque ierit.* 2. Virgines similes Angelis, & quodammodò majores. Chry-

sostomus de Virginit. 3. Anima per Virginitatem DEI formis efficitur: *Incorruptio facit esse proximum DEO.* Sap. 5. 4. Dominus noster JESVS amantissimus Virginitatis, unde ait Simon de Cassia: Lib. 1. c. 14. *Magna Virginibus est dignitas prærogata, quòd Christus duobus* (Mariæ & Josepho) *factus est subditus.*

*Conf.* 3. Actiones 1. Corporis incorruptionem congenitam servandam eligere, & per totam vitam à delectatione carnis abstinere: 2. Animam à cogitationis, & desiderij carnalis pollutione servare mundam. 3. Carnis & mentis integritatem universis dignitatibus anteponere. 4. Occasiones imminuendæ integritatis vitare. 5. Personas suspectas prudenter cavere. 6. Media ad Virginitatem ex ejus affectu assumere, victûs parcitatem, cultûs vilitatem, corporis incommoditatem: fugere loca, tempora, & occasiones impudicitiæ. 7. Ad finem Virginitatis, divinam contemplationem, properare.

## MEDITATIO CCCXXI.

### Sabbato Domin. 21. post Pentecost.

### *De Zelo, & quomodo in his B. Virgo excelluerit.*

VIdebo Dominum JESVM, quem zelus domûs

domûs Dei comedebat, honoris Dei, & salutis nostræ. Petam ejus fieri particeps.

*Cons.* 1. Zelus est intensus justi amatoris affectus, quo quæritur honor Dei, & salus animarum, fortitérque impugnatur omne id, quod his obsistit. Incitamenta sunt vocatum esse ad plurium salutem, exemplum Christi, qui positus in ruinam multorum, & salutem. Memoriâ tenere illud Petri Damiani Lib. 2. Epist 2. *Nostra divitia, nostérq; thesaurus lucra sunt animarum.* Actiones ejus, meditatio eorum, quæ prosint alijs, tantùm industriæ promovendo honori Dei collocare: quantùm vires nostræ, & talenta permittunt, orationes, lacrymas, jejunia, vigilias pro animabus offerre:: rationis reddendæ ex talentis frequenter meminisse, propriam salutem impensiùs, quàm alterius curare, ubi major profectus speratur, ampliùs laborare, plùs opere, quàm verbis insumere, ideò sanctæ conversationis exemplo prælucere: pro hoc exemplo aliqua commoda, etiam necessaria corpori, sine magno sanitatis dispendio, omittere, imò in ipso opere, si opus sit, pro gloria Dei: & bono animarum alacriter commoda omnia, & sanitatem, & propriam vitam effundere. Si laboribus nostris speratus fructus non respondeat, dolere, & non sine luctu, filios,

id est, fructum laborum nostrorum à Domino postulare.

*Cons.* 2. Quomodo B. Virgo in his septem Virtutibus excelluerit. In Studiositate, de qua D. Ambros, in Orat. de obit. Valent. Imperat. *Fuit in Virgine annorum quidem immaturitas, sed consiliorum senectus, moribus antiquabat dies, præveniebat tempora meritis, & quod ætati deerat, compensabat virtutibus.* In Taciturnitate, de qua ait S. Synesius in Hymno: *Tu vox, Tu silentium.* In Temperantia, de qua in Hymno Gregor. *Tu corona Temperantiæ.* In Timore, quando turbata est in sermone Angeli, ut ait D. Ambrosius hic: *Trepidare Virginum est.* In Veracitate, quam Epiphanius Orat. de Laud B. Virgin. ita alloquitur: *Vitis veritatis fortissima, minimè vindemiata.* In Virginitate, de qua S. Cyrillus Alexandr. Homil. Ephes. hab. in Nestor. *Corona Virginitatis.* S. Damascenus Orat. de Nativit. B. Virgin. *Planta veracissima Virginitatis.* Richardus à S. Laur. *Signifera & Exemplar Virginitatis.* S Ambrosius: *Neminem invisebat, quin ei integritatis insignia conferret.* In zelo, quòd fuerit *mortalitas inferni*, ut de ea canit Hymnus Græcus,

*Cons.* 3. Quantùm absim ab his Virtutibus, & renovatis hebdomadæ propositis exequendi ea. Petam à D. Virgine auxilium.

MEDI-

# MEDITATIO CCCXXII.

## Dominica 22. post Pentecosten.

### *De Via unitiva, & qui ad eam admittantur.*

VIdebo Dominum JESVM perfectione exornatum sicut Sponsum, ad eámque invitantem. *Perfecti estote, &c.* Petam obtinere perfectionem,

*Cons.* 1. Perfectionem esse unionem animæ cum Deo per gratiam purgantem, illuminantem, & animam Deo colligantem per omnes virtutes, tam in habitu, quàm in actu, cujus idea post Deum est D. JESVS, de quo D. Gregor. Naz. Orat. 42. inquiens: *Christus perfectus fuit.* Ferimur ad eam cognitionem veri, bonique amore, & habitibus supernaturalibus, quorũ exercitio anima Deo quasi alimento vivit, crescit, & similis fit.

*Cons* 2 Quinam à Perfectione excludantur. 1. Excluduntur à Perfectione, quicunque in via purgatixa, & illuminativa malè versati sunt. Itaque non admittuntur, quos non regit amor obedientialis Dei. 2. Qui reguntur tantùm amore concupiscentiæ, licet circa spiritualia, & cœlestia: hinc excluduntur omnes affectus non puri amoris Dei, ut est timor pœnæ, qui naturâ suâ minuit voluntarium, & efficit inconstantes, præsertim

tim timor persecutionum, quibus ideo affligũtur justi, quia perfecta abnegatio, proprijs ipsorum actionibus acquiri non potest, ob amorem proprium timentes, ne excedant in fervore: & quia passio melior est, quàm actio propria, utpote expurgata omni propria voluntate, tota procedens à Deo, & quia justi incipientes patiuntur, ut purgentur: perfecti, ut uniantur Deo ex toto, patiuntur bonorum externorum privationem, licet non malè possessorum, ut Christus etiam tunica spoliatus, jacturam valetudinis, ut Christus tanta passus: infamiam, ut Christus, in quo fama damnata fuit: in subtractione bonorum spiritualium, non habituum, sed aliquorum ejus actuum, desideriorum, occasionum, solatij, ita Christus derelictus fuit, in eáque mortuus.

*Cons.* 3. Admittuntur ad perfectionem, qui eam summè æstimant, perfectos, quibuslibet alijs præferunt, perfecta quibuslibet alijs præhabent, occasiones nec minimas bene agendi omittunt, in quibus semper est lucrum aliquod spirituale, augmentúmque Perfectionis: nam aliàs non possent esse perfecti, quibus non est occasio difficilium actuum, cùm tamen omnibus dicatur *Perfecti estote*: è contrario occasiones contemptæ vigorem relaxant virtutum, denique ad perfe-

perfectionem admittuntur, qui sibi proponunt perfectionis bonum, non ut jam acquisitum, sed acquirendum, propterea quòd in hac vita excessus, & defectus nunquam satis tolli possint. Unde consequitur, quòd ad perfectionem conducat fervor: quia ipse facit impeccabilem etiam venialiter, ipse difficultates à natura & dæmone ingestas perrumpit, ipsius effectus sunt diu, sæpe, facilè, vehementer operari: causæ fervoris sunt agnitio, æstimatio, gratia, cooperatio, complexio, unde quæcunque Deo placent, exequamur, & frequentatio sanctissimæ Eucharistiæ, juxta illud D. Chrysost. Homil. 45. in Joann. & 61. ad pop. Matth. 17. *Hic sanguis facit, ut imago in nobis regia floreat.* Petam cum Domino JESV odisse, & exuere omnem imaginem imperfectionis, qui *noluit accipere staterem*, ut ait Origenes: *ne sit aliquando imago Cæsaris apud imaginem invisibilis DEI.*

## MEDITATIO CCCXXIII.

### Feria 2. Domin 22. post Pentecosten.

### *De Oratione.*

ASpiciam Dominum JESVM multò amplius, quàm illud incensum odoramentorum ab Angelis DEO præsentatum, in Oratione sua sancta redolentem. Petam donum Orationis, & dicam cum Discipulis: *Domine, doce me orare.*

Cons.

*Conf.* 1. Studium Orationis, & conjunctionis cum Deo, Domini JESV. Quid est, quod Filius Dei, qui nunquam cessabat ab intuitu essentiæ divinæ, tamen secedit ad orandum? Da mihi Deus orare, quo modo, & quo fervore orabat Filius tuus, qui illud studium Orationis coluit ad exemplum nostrum, & honorem æterni Patris. Fuit Oratio Christi plena Fidei, cum externa compositione corporis, gratiarū actoria, petitoria, obsecratoria, impetratoria; erat diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. Eandem docebat, ejúsque necessitatem, ipséque in eum finem rogari, & adorari voluit; negotijs majoribus Orationem præmittebat, ut prædicationi suæ, electioni Apostolorum, ante tentationem diaboli longâ se Oratione præparavit, in tempore tribulationis orabat, ante honores, ante responsionem majoris momenti, ante cibi sumptionem, omnia per Orationem ad Deum dirigebat. Amabo hoc orandi studium. 1. Quia Beatorum hic status laudare Deum. 2. Quia Deus vult à nobis orari, & in eo delectatur: Nobis autem quantæ voluptati debet esse ista dignatio, quòd admittamur in conspectum tantæ Majestatis.

*Conf.* 2, Ex locis, in quibus Christus oravit,

vit, tria nobis commendavit in oratione. 1. Religionem, orando in templo. 2 Solitudinem, orando in deserto. 3. Silentium, orando nocturnis horis, quibus maximè silentium vigere solet. Imitabor 1. libenter, & frequenter visitando V. Sacramentum, & orando in templo, tum propter efficaciam orationis, quam habent templa ex sua consecratione, tum propter præsentiam Christi in V. Sacramento, tum propter reverentiam, & exemplum. 2. Solitudinem cordis servando, exclusis omnibus impertinentibus cogitationibus tempore orationis 3. Noctu vigilans suspirando ad Deum, & tempore suo statim surgendo ad orandum.

## MEDITATIO CCCXXIV.

## Feria 3. Domin. 22. post Pentecost.

### *De Meditatione.*

ASpiciam Dominum JESVM mentali orationi deditum per 40. dies in deserto, velut in cella vinaria, unde ebrietas affectuum consequitur. Petam eum imitari.

*Conf.* 1. Meditatio est rerum Fidei attenta, & humilis investigatio, ut ejus præsidio moveamur ad fugam malorum, prosecutionem bonorum.

*Conf.* 2. Incitamenta 1. sicut cibus indigestus non nutrit, ita mysteria Fidei credita,

non

non expensa, parum prosunt mutationi vitæ. Richardus de S. Victore, in Cantic. c. 33. ait, quòd sit ferculum quælibet meditatio, quia pascit mentem. 2. Meditatio est comes orationis fidelissima, fervorem petendi subministrans 3. Meditatione carentibus Christus exprobrat: *Adhuc & vos sine intellectu estis?* 4. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & meditabitur in justitia.* Eccli. 14. 5. *Defectus meditationis hominem in cor durum ducit.* D. Bernard. Lib 1. de Consid.

*Cons.* 3. Actiones 1. Rem meditandam in certa puncta distinctam, vel ex ore ducis spiritualis, vel libro sacro accipere 2. Paulò ante horam meditandi, materiæ capita in memoriam revocare Unumquodque membrum intentè, & quietè ex causis, effectis, circumstantijs investigare. 4. Veritatem inventam ad animæ utilitatem applicare. 5. Pium affectum, odium mali, amorem boni ex veritate inventa elicere. 6. Colloquijs ardentibus inventum bonum postulare, malum deprecari, & abundantissimam gratiam ad morum emendationem deposcere, *Revela Domine oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua.* Dive Ignati, discursus dirige; S. Xaveri, affectus inflamma, B. Aloysi, animum colliga; B. Kostka, teneritudinem devotionis subministra!

MEDI-

## MEDITATIO CCCXXV.

### Feria 4. Domin. 22. post Pentecost.

### *De Contemplatione.*

RElictâ D. JESV vitâ activâ ad Contemplativam versus intuebor eum, velut aquilam in cœlum evolantem, sensuum compedibus relictis. Petam donum Contemplationis.

*Cons.* 1. Contemplatio est simplex intuitus veritatis, quæ ab amore inchoat, & in amorem Dei, seculique contemptum terminatur.

*Cons.* 2. Incitamenta. 1. Pulchritudo Dei, Christi, & rerum æternarum, quæ Contemplatione videntur. 2. Süavitas, quæ in ea percipitur, perfectio, quæ addiscitur. 3. Exemplum Christi, qui pernoctabat in oratione Dei, & exultavit Spiritu sancto, amans Deum Patrem amore complacentiæ, & benevolentiæ. Item Apostolorum, & Sanctorum omnium. 4. Quia *nequaquam poterimus escarum præsentium spernere voluptates, nisi mens contemplationi divinæ defixa amore virtutum potiùs, & pulchritudine cœlestium delectetur*, ita Cassianus lib. 5. Instit. cap. 14.

*Cons.* 3. Actiones 1. Relictis omnibus exterioribus, in simplici Dei notione quiescere. 2. Ex cognitione rerum externarum

ae sen-

ac sensibilium ad intelligibilia pervenire, ibique discursu silente affici 3. Ex una re cognita, ut ex parte totum, ex contrario contrarium cognoscere, ibique intellectu quiescere. 4. Versari circa nosmetipsos, circa Sanctorum, & totius Ecclesiæ virtutes, circa nobilitatem Patriæ cœlestis, circa Christi vitam & mortem, circa Dei Majestatem, ejúsque attributa, ex infinitis, hic centum deinceps contemplanda proponentur, circa quorum contemplationem B. Borgias suasit S. Theresiæ, ut semper inciperet ab aliqua parte Passionis Domini, sineret se deinde ferri à Spiritu. Agitur de Natura Contemplationis Meditat. 400. plenè.

## MEDITATIO CCCXXVI.

## Feria 5. Domin. 22. post Pentecost.

### *De perfectionibus divinis.*

VIdebo duplices radios Sole clariores, à Veritate æterna Dei prodeuntes, quorum uno indicat se, & amatur; altero indicat quemque sibi, & excitat odium proprium sui. Petā ex perfectionibus divinis agnoscere Deum, & me, indéque oriri duos affectuum in me fontes, amorem Dei, & odium mei.

*Cons.* 1. Quomodo bona omnia, quorum specie ad peccandum allicimur, in Deo meliora reperiantur; & quidem 1. Si melius est esse,

esse, quàm non esse, nihil ita est, ut Deus, qui *Est à se.* Si me sentio esse, quomodo non magis Deum? à quo sunt omnia; nisi enim esset prima causa, res essent, & non essent, quod repugnat. *Si est Deus à se*, erit igitur omnis boni origo indefectibilis: Sicut origo omnis mali est nolle, quod vult Deus, & velle, quod non vult; hæc tota est peccatoris corruptio. Verè itaque ait Augustin. Sol. cap. 1. *Quisquis cognoscit Te, diligit Te, se negligit.*

2. Nemo quantumvis impius Deum vult amittere, quem novit esse summum Bonum, quod omnes necessariò appetunt, sed media repudiant; quia volunt in Deo simul, & in creaturis delectari, sibíque ipsis mentiuntur id posse fieri: Quare speciali opus est adjutorio: *Deus est Adjutor.* Qui vult Deum habere Adjutorem, obediat ejus Spiritui: nam Christus ait Ioann. 8. Ideo Pater *non reliquit me solum, quia, quæ placita sunt ei, facio semper.*

3. Omne mirabile gignit æstimationem sui. *Deus est Admirabilis:* quia admiratio est, cujus causa latet: causa essẽtię Dei ipsum Deum latet, quia ejus nulla est causa, sed ipse est causa omnium. Si aliquid extra Deum æstimo, ait D. Nazianz. Orat. 26. *Pretiosum stercus æstimo*

4. Blanditiæ lascivientium amari volunt

Deus

*Deus est Affabilis: neque blandius est, quid tuâ charitate*, ait S. August. 2. Conf. 6. Quid igitur alijs afficior?

5. *Superbia celsitudinem imitatur, unus super omnia Deus Excelsus*, & *Altissimus*, inquit idem: cur ad eum non feror?

6. Sine amore esse non possumus. *Omnis amor aut ascendit, aut descendit: desiderio enim bono levamur ad Deum, & desiderio malo ad ima præcipitamur*, ait S. Augustin. in Ps. 122. Ut amor meus semper sit bonus, semper ascendat ad Deum, qui solus est *Amabilis*.

7. *Deus est amans* omne bonum, se infinitè primò, deinde nos amare non cessat, nisi priores amorem abrumpamus *Quis à te separat, quod diligis*? Ait August lib. 2. Conf. c. 6. & Serm. 60. de Temp *Nullus nos melius, quàm ipse Deus diligit*, concludit idem, in Psalm. 122. *Solus securus placet, qui Deo placet: Deo placet, cui Deus placuerit: sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displiceas.*

8. Si magis convenit, quod per se, quàm quod per aliud convenit, igitur charitati magis convenit amor, quam alijs. *Deus est Amor* increatus, qui nos etiam inimicos dilexit *Illum amemus, quem amare debitum est*, ait S. Paulus Ephel. 4.

9. Artifex opus perfectum efficit, *Deus est Artifex* omnium. O Deus perfice in

me

me rationem viri perfecti expressam in Christo.

10. *Tenete potiùs dilectionem: quia talis quisque est, qualis ejus dilectio* ait S. Augustin. Tr. in Epist. Ioann. Si me amor Dei facit Deum per participationem, dabit mihi etiam proprietates Dei. Sed *Deus est Æternus.* Da, ut quomodo tu es Æternus, sic & ego tecum maneam in æternum. Incorruptibile est melius corruptibili.

## MEDITATIO CCCXXVII.

### Feria 6. Domin. 22. post Pentecost.

### *De aliis perfectionibus divinis.*

Videbo homines cœlo, terræq; inhiantes, cùm potiùs deberent esse famelici Dei: quia, ut ait August. tr. 13. in Ioan. *Deus tibi totum est.* Petam solum Deum appetere.

1. *Depellendæ miseriæ, & acquirendæ beatitudinis causa faciunt omnes homines, quidquid vel boni, vel mali faciunt*, ait Aug. in Ps. 32. *Deus est Beatus*, ipsáque Beatitudo sita in comprehensione & fruitione Dei. Si Deus est felicitas nostra, quid recedenti ab eo erit, nisi miseria? *Qui culpam sequitur, à Christo recedit*, inquit D. Ambros. L. de Ioseph. c. 3.

2. Gratiæ debentur beneficio. *Non est dignus dandi, qui est ingratus dati*, ait Aug. tr. 3. in Ioan. *Deus est Beneficus*, promittitque 2. Reg. 12.

Reg. 12. *Si parva sunt ista, adjiciam tibi multò majora.* Da Domine, ut gratum aliquid tibi feciſſe, omnibus anteferam.

3. Si extra peccatum nō eſt malum, quod non fecit Dominus, & Deus, *bene omnia fecit*, quorſum tot querelæ? laude dignus eſt, qui bene agit, *Deus bene omnia fecit*, dans bona etiam impijs, quibus adhuc melius facit, ſi cùm malè amant, negat quod amant. *Is laudat Deum ſemper, qui quidquid agit, bene agit*, ait S. Auguſtin. in Pſal. 34. Bene agit, qui Deum Dominum noſtrum imitatur: quia ipſe *bene omnia fecit.*

4. Indigus refugit ad benignum, nos indigi ſumus, ut inſidias dæmonis, peccata, damnationem evadamus: bonum ad vitam æternam operemur, in eo perſeveremus: *Deus eſt benignus*: quia benignitas propendet ad benefaciendum alteri. *Benigni Chriſti benigna ſunt omnia*, ait D. Chryſol. Ser. 68. Quantò magis Dei, infinitè propenſi ad benefaciendum, ut ait D. Ambroſ. in Luc. c. 23. *Semper Deus plus tribuit, quàm rogatur.*

5. Bonum omnia appetunt, bonum infinitum meretur amorem infinitum. Deus *non aliquo bono bonus, ſed bonū omnis boni*, ait Aug. Lib. 8. de Trin. c. 3. Igitur exhaurit omnem amorem. *Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus*

*melior*

melior est, monet Tertullianus. *Quidquid à bono deficit, esse desinit*, ait Boët. in Prosa.

6. Quia punire totum, crudele, totum remittere contemptum parit, orta est Clementia, condonans pœnas, vel mitigans. Hæc *pudore coërcet, & à metu ad amorem traducit* inquit D. Nazianz. Orat. 19. *Deus est Clemens*: accedam ad ubera sponsi expectantis delinquentem, & clementer recipientis pœnitentẽ, ut ait Bernard. Ser. 9. in Cant. Gratus ero, in quavis afflictione; quia Deus punit infra condignum.

7. *Ibi plus est auxiliũ, ubi plus est periculi*, ait Ambros. de Ioseph. c. 1 *Impulsus eversus sum, ut caderem*, Psal. 17. *Impulsor est diabolus, impulsor mundus, impulsor homo*, ait Bernard. Ser. 85. in Cant. *Deus est Conservator. Promittitur auxilium mortalis & gaudes: Promittitur auxilium immortalis & tristis es?* ait S. Augustin. in Ps. 145. Utinã ulnis tuis tenear, nec dimittar.

8. Major difficultas quærit melius consilium. Nihil difficilius negotio salutis æternæ: nullum datur melius consilijs Dei, hæc nobis aperuit in Evangelio Christus *Consiliarius vitæ æternæ*, ut ait S. Augustin. ser. 265. de Temp. Et ea sequi dubitem? *Motus est pes meus, quare motus? Nisi, quia meus*, ait idem in Psalm. 93. Ejurabo pessimum consiliarium proprium judicium, cujus filia

est voluntas propria, omnium malorum origo, ut ait S. Bernard serm. 3. de Resurr. Signum optimè pœnitentis est mutâsse consilium in melius.

9 Voluptates corporales semper habent tristitiam annexam: quia appetuntur ut medicina contra dolores, ut potus contra sitim, &c. Ablato dolore molesta sit omnis voluptas, quæ ne sit molestior, mutatio eam debet reddere suavem. Quàm igitur miser, cui voluptas, nisi sit vana, & mutabilis, non erit voluptas! Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum *Deus, est Consolator*, replens intellectum contemplatione, voluntatem virtute, & super totum hominẽ declinans quasi fluvium pacis. Desipit, qui extra Deum consolationem veram quærit.

10. *Deus est Creator* omnium in tempore, ideo, *ne mundum sibi creâsse videretur*, ut ait D. Thom contra gentes: *Miraris mundum, quare non artificem mundi?* ait S. Augustin. in Psalm. 41. Imò magis tui? Quia, ut ait Chrysostom in cap. 16. Matth. *Homo toto orbe non potest animam emere:* causam dat Tertullian. Lib. de Resurrect: quia homo est *umbra animæ DEI.* O DEUS Subactor nihili, subige, quidquid est in me, difforme tibi.

MEDI-

## MEDITATIO CCCXXVIII.

### Sabbato Domin. 22. post Pentecost.

*De alijs perfectionibus divinis.*

VIdebo mente Deum supra me, non ut est oleum supra aquam, aut cœlum supra terram: sed ut ipse Superior, quia fecit me, & ego inferior, quia factus sum ab eo. Petam ei uniri, sicut aër luci, & radij uniuntur Soli

1. Nullum telum Solem lædit: si anima mea in Deo fuerit, quis me lædet? *DEVS est Custos. Sic curas unumquemque nostrûm, velut solum cures*, ait S. Augustin. L. 5. Conf. cap. 10 Custodi me, ut pupillam oculi.

2. *DEVS est desiderabilis.* Desideramus bona, quibus maximè indigemus, & quæ habere possumus. DEVS est Bonum: quia bonum habet omnem perfectionem necessariam, & insuper alijs convenit. DEO nihil deest, & Ipse convenit cuique magis, quàm quisque sibi. Hoc infinitum Bonum nobis promissum est, eo unicè indigemus. *Quid queris extra Illum, quid desideras prater Illum, Ipse fecit omnia, Ipse habet omnia, Ipse est omnia. Vbicunque fueris sine Ipso, malè tibi erit: Vbicunque fueris cum Ipso, bene tibi erit, quis sapiens, & intelligit hac?* Ait D. Bernard. serm. de Human. mis. Si Bonitas infinita omne

desiderium exhaurit, ergo nullum remanebit desiderium ad creaturas.

3. *Quis ita vigil, & diligens observator motionum internarum suarum, sive in se, sive extra se factarum, ut liquidò ad quaque illicita sensus cordis sui discernat inter morbum mentis, & morsum serpentis*, ait S. Bernard. serm. 39. in Cant. *DEVS est Discretor spirituum*. Da mihi Domine Deus meus discretionem spirituum, ut cum Filio tuo sine Te faciam nihil.

4. *Avaritia multa possidere vult, tu possides omnia*, ait D. Augustinus Lib. 2. Conf. cap. 6. Da mihi avarum esse Tui. *Fidelis totum mundum habet, cùm DEVM habet*, inquit idem Libr. 5. Conf. cap. 4.

5. Incompossibilia sunt dominium & tyrannis. *DEVS est Dominus*, vitia sunt tyrannis. Malach cap. 1. ait Deus: *Servus honorat Dominum suum, si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Dicam cum S. August. Libr. de Anima cap. 28. *Vellem, ut nihil aliud agerem, quam reddere me ei, cui maximè debeo.*

6. Donum est non tantùm, quod actu datur, sed quod naturâ suâ aptum est dari. Primum in donis est amor: quidquid enim sponte quis dat, ideo dat, quia amat. *Deus est Charitas*, igitur est donum: Petam hoc donum: quia *famem patimur, non corporis, sed aeris*, ait D. Ambros. serm. in Pent.

7. Cuivis

7. Cuivis sensui & operationi proprius inest gustus: jucundior operatio excludit minus jucundam, & quæ differunt, se invicem impediunt: Studiosi tibiarum oderunt Oratores: Non possunt vera vanis, summa imis, æterna caducis misceri: Qui oblectatur pulchrâ Musicâ, offenditur dissonâ: qui gaudet virtute, molestè fert vitium. *DEVS est* omnium potentiarum generalis *Dulcedo:* quia est causa omnis delectationis Beatorũ. O unica dulcedo cordium Deus, fac me nauseare omnia præ te. *Sola una hujus mollis stilla potest, quod totus mundus non potest.* ait D. Bernard. serm. de Spiritu sancto.

8. *Numerari culpa nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur,* ait Greger. 24. Moral. cap. ult. *Deus est Excellentissimus.* Tota cœli vãcitas in pupilla oculi repræsentatur, & omnis celsitudo in Deo. *Causa amandi Deum, Deus est, modus eum diligendi est diligere sine modo,* ait S. Bernard. de dil. Deo.

9. *Admonet omnis ætas fieri posse, quod aliquando factum est,* inquit D. Cyprianus ad Donat. Sed factum est, ut caro nostra cœlos subierit, possumus igitur & nos. Objectum spei est possibilitas, motivum spei est fidelitas promittentis: *Deus est Fidelis.* Nemo præsentia bona sperat. Non sumus Christiani, nisi propter futurum sæculum; In verbis tuis superspera vi.

10. *DEVS est finis ultimus* omnium. Ex fine oritur intentio, attentio, devotio, fervor, omnísque actionis bonitas ex fine desumitur. Nemo melius operatur Deo, qui agit omnia propter se ipsum: omnia enim æstimat, ut sunt, infinito autem intervallo infra DEVM sunt omnia. *Provocamur ab adversario, ut gratis Deum colamus, qui quærens, quod objiciat, pro magno se putavit invenisse, quid dixit: Nunquid gratis Iob colit Deũ*, inquit D. Augustin. Homil. 38. ex 50.

## MEDITATIO CCCXXIX.

## Dominica 23. post Pentecosten.

### *De alijs perfectionibus divinis*

IUbemur Actor: 28. *Quærere Deum, genus cùm simus Dei.* Ideo Fide divinâ duce petam quærere, quem quærunt omnia, & mortæcorum Deum per attributa quasi attrectare, in quo vivimus, movemur, & sumus.

1. Dicitur nescio quis de vertice montis clamâsse, dum transiret Imperator: *Non de te loquor*: respexisse ille dicitur, & dixisse: *Nec ego de te.* Cõtempserat Imperatorem potentem exercitu, è loco munito. *Si securus ille de illa terra*, inquit S. August. in Ps. 70. *Quomodo ego non in eo, à quo factum est cœlum, & terra? Deus est firmamentum, ubi, nisi apud te firma securitas?* ait Augustinus Lib. 2, Conf. cap. 6.

cap. 6. Sit Dominus firmamentum meum.

2. Ingens fortitudo est inter ruinas generis humani stare erectum, superare peccatum, perferre martyria, trahere ad Deum omnia cum Christo. *DEVS est Fortitudo.* Petam roborari debilitatem spiritûs mei.

3. Populi Dei gloria fuit Judith, Noli, B. Virgo, Beatorum omnium est Christus Caput nostrum: *DEVS* autem est omnis *Gloria*, cui omnia posthabenda, propter quem Christus exinanivit se ipsum, & ego me efferam? *Qui de bono tuo gloriam sibi, non tibi quærit, hic fur est, & latro,* ait S. Augustin. in Soliloq. c. 25. *Qui gloriam Dei quærit, in eo injustitia non est ulla,* inquit Joann. cap. 7.

4. Gloria respondet gratiæ, merito, labori. *Deus Glorificator est.* Sola à Deo gloria vera, *Si ambitio quærit gloriam, cur non æternam qui Deus est unus Glorioſus in æternum,* ait D. Augustin. Lib. 1. Conf. cap. 6.

5. Gubernatio est providentiæ executio. *Deus est Gubernator* omnium. Beatus, qui Deum Gubernatorem habet; nihil ei deerit.

6. *Deus est Incomparabilis*, ideo à S. Augustino dicitur Deus esse nihil, & omnia, lib. 10. Conf. c. 6. *Recedens ab eo, qui summè atq; incomparabiliter est, quid restat, nisi, ut in deterius mutatus deficiat,* inquit idem in Psal. 70.

7. *Deus est incomprehensibilis* ab intellectu

creato, ab affectu, loco, & tempore. *Tam magnum & incomprehensibile bonum est, quod quæritur, ut inveniatur dulciùs, & invenitur, ut quæratur avidiùs*, ait S. Augustinus Lib. 5. Conf. cap. 2.

8. *Deus est Ineffabilis*: quia licet per totam æternitatem Deus de se diceret aliquid Beatis, totum hoc esset finitum, & nulla verba eloquerentur verbum. Da semper loqui de te, quem nunquam satis eloqui possumus.

9. *Deus est Infinitus*: cùm enim non sit ab alio, non habet, unde limitetur. Homines in transeuntibus creaturis amandis nõ habent terminum, & ego habeam in amando Deo? Cùm tamen omnis creatura ideo sit imperfecta, quia non est infinita. *Si dilectio Dei est, nullum debet habere terminum Charitas, quia nullo potest laudi fine cupiditas*, ait S. Leo serm. 10.

10. *Cùm prope est, quod amatur, viget amor, languet cùm abest, absentia noverca amoris*, ait S. Bernard. serm. 51. in Cant. *Deus est Immensus*, omnibus intimè præsens, magis, quàm anima corpori; est enim sub illis, & simplex; coram quo quid potero facere iniquum? Quid omittere virtuosum? Desiderabo specialem ejus præsentiam in Eucharistia, juxta illud D. Cypriani de Cœn. Dom. *Pauperes Christi hoc uno contenti ferculo.*

MEDIC

## MEDITATIO CCCXXX.

Feria 2. Domin. 23. post Pentecost.

*De alijs perfectionibus divinis,*

VIdebo Solem in splendore suo clarissimum; oculis tamen caligantibus obscurissimum. Petam caliginem mentis auferri, ad intelligendas perfectiones Dei.

1. *Non est amandum, quod perit, sed quod nobiscum potest esse in æternum,* ait S. August. serm. 37. ex 50. *Deus est Immortalis,* quia simplicissimus, non potest dissolvi, neque desinere.

2. *Transeunt omnia, evolant omnia, & sicut fumus vanescunt, væ, qui amant talia!* ait S. Augustin. tract. 7. in Joann. Causam dat hujus Væ D. Greg. 4. Moral. 7. *Quia humana anima beatè vivere, sive per vitium, sive per supplicium amittit: Essentialiter vivere, neque per vitium, neq; per supplicium amittere potest. Sed Deus est Immutabilis;* igitur hunc unicè appetam, ut sim Beatus.

3. *Deus est Invisibilis* ab oculo, à phantasia, ab intellectu humano. *In hoc Martyres coronabantur,* (ait S. Augustin. serm. 16. de Ver. Apost.) *quia desiderabant, quæ non videbant, & contemnebant, quæ ferebant.* Ex adverso inquit S. Chrysost. Homil. 60. in Matth. *Ideo omnia confusa jacent, quia anima* invisibilis *spernitur,* visibilia & vilia *conseruentur.*

4. Deus est *Iudex. Cùm venerit, redditurus est quod promisit, sed requisiturus est, quod redemit*, ait S. Augustin. Homil. 36, ex 50. Malis fugiente gaudio, remanebit pœna; bonis fugiente labore, reponetur corona. Si vinco, coronabor: Si vincar, luam æternùm. Amici Dei in paucis vexati, inimici Dei in paucis exaltati, utrique æternam retributionem referent. *Va etiam laudabili vitæ hominũ, si remotâ misericordiâ discutias eam.* Ait S. Augustin. 9. Confess. cap. 13.

5. Deus *Iustificans*; quia solus potest injurias in se commissas condonare. *Iniquitas cum Iustitia non habet pacem*, inquit S. Leo serm. in Quadr. *Obedientia sola est, qua Deo hominem conciliat*, ait S. Anselm. ep. ad Hebr.

6. Deus est *Iustus* Nullus justè potest conqueri apud Deum, qui hominem gubernat sine læsione libertatis, sive permittat peccatum, sive incitet ad bonum; quia *lege infatigabili spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*, ait S. Augustin lib. 1. Conf. cap. 8. Ex adverso *melior est apud Deum unus justus, quàm totus mundus peccatoribus plenus* Auct. imperf. oper. in Matth. Homil. 27.

7. Deus est *Legislator*. Non potest esse sub Domino, qui non est sub præcepto: Nihil inordinatum Deus vult. *Lex naturæ ut nox, scripta ut aurora, Dei per Christum, ut meridies.*

dies. *Quid grande potest esse in præcepto, ubi salus est in promisso?* Ait Guerric. serm. 4. Epiph. *Deum time, & mandata ejus serva, hoc est enim omnis homo* Eccle. 12. *Quia qui hoc non est, nihil est*, ait S. August Lib 20. de Civ. cap. ult. *Scripturarum unicus scopus est dilectio.* inquit idem Lib. 1. de doct Christi.

8. Deus est *Liberalis. Effusio Liberalitatis* obtendit umbram: *sed bonorum omnium Largitor affluentissimus tu es.* S. August. 2. Conf. 6. *Quantus amor Dei! plus dat, quàm petitur*, ait S. Chrysost. in Matth. 8. Triplex est Liberalitas Dei dantis 1. vitam æternam. 2. Spem ad eam. 3. Dantis ea, quæ impij beata dicunt. Quam liberalitatem ego eligam.

9. Deus est *Liber*, & origo omnis libertatis, quam nobis dedit, ut virtutem liberalitatis exerceremus: Servus enim non potest exercere liberalitatem. Origo cõsiliorum Christi servandorum est liberalitas. Petam esse liberalis cum Deo.

10. Deus est *Longanimis*; fert tot peccatores, tot justos labentes, tot tepidos. Non prolongabo mala mea, eorúmque initia evellam cupiditates: quia Chrysost. Homil. de Adamo ait: *Facta est de mala cupiditate trina cupiditas, oculorum, gustûs, superbiæ.*

## MEDITATIO CCCXXXI.

### Feria 3. Domin. 23. post Pentecost

*De alijs perfectionibus divinis.*

VIdebo cœlum & terram quasi quodam pelago Majestate Dei plenam, unde omne fluit bonum, & refluit. Petam id assequi amplius.

1. Deus est *Lux* sine caligine, causa omnis lucis, spiritualis, & corporalis; Fructus lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. Ad eos fructus obtinendos recurram ad Christum. *Lux Christus in columna, ut electis luceat, ignis impijs, ut consumat,* ait Augustin.

2. Deus *Magnificus* magna nobis contulit in natura, majora in gratia, maxima conferet in gloria, ideo ait Isaias cap. 30. *Solummodò ibi magnificus est Dominus Deus noster.*

3. Deus est *Majestas.* Majestati debetur reverentia, quam comitatur honor, timor, & amor. *Illi subijciamur, sub quo jacere supra mundum stare est,* ait D. Paul. Epist. 4.

4. Cessante actu interno cessat augeri meritum. Ne cessetur à meriti augmento, *Deus est Merces* magna nimis in se, & nobis juxta meritorum exigentiam, *ut magnus es, ita & magna merces tua, quoniam non aliud es tu, & aliud merces tua.* S. Augustin. Soliloq. 36. In mensura *justa;* quia nec unicam bonam cogita-

gitationem sine præmio relinquis: *Bona*: quia pro bonis operibus in gratia factis: *minima nostra non contemnit Deus*, ait August. serm. 6. de Verb. Dom. *Conferta*: quia nos sublevat ad vivendum se: *Coagitata*: quia remuneratur ultra condignum: Et *superefluente*: quia in corpus redundat, quantùm capax est. *Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua?* Ait S. Augustin. Lib. 9. Confess. cap. 13.

5. Deus est *Misericors*, succurrit lapsis, & tot gehennas promeritis! non passus Solem suum occidere super iram contra Adam. *Perfecta est misericordia, ut ante occurratur, quàm roget indigus*, inquit S. August. Hom. 39. ex 50. Magnâ sui molestiâ nostri misertus est, quia, ut ait S. Leo serm. 8. de Pass: *Parum fuit reprobari, voluit exhonorari.*

6. Deus est *Nobilis*: ideo Christus Luc. 6. appellatur homo nobilis, non solùm, quia ex David, sed multò magis, ut hic loquitur D. Cyrill. *Nobilis secundùm ineffabilem ortum à Patre.* Deus igitur Nobilis. Si genere Filij Dei sumus, cur non moribus? *Invidia de excellentia litigat, quid Te excellentius?* S. Augustin. 2. Confess. 6.

7. Deus *odit omne malum*, propter quod solummodo aversatur creaturas suas, magisque odit peccatũ, quàm amaverit vitam

Filij

Filij sui, ut ait in quodam sermone Concil. Ephes. *Deus non pro re injuriosa habuit, quod est causa salutis ac remedij animarũ.* Et Theophilact. in Joann. cap. 13. *Deus pro re decenti habuit, quidquid ad animarum salutẽ, bonumq; spirituale pertinebat.* Detestabor omne peccatum, quia, ut ait D. Chrysost. Homil 25. ad pop. *Nihil aliud triste, quàm Deum offendere.*

8. Deus est *Omnipotens.* Imitamur tenebrosam omnipotentiam mancâ libertate faciendo impunè, quod non licet, inquit D. Augustin. lib. 2. Conf. c. 6 cur non potius omnem nostram potentiam Legi divinæ accommodamus? Vellem plus posse? *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat.* ait S. Augustin. in Psalm. 37.

9. Deus *usque modo operatur* D. August. in Psalm. 108. in verba illa: *Diabolus stet à dextris ejus*, ait: *Dictum est, quia opera diaboli præposuit operibus Dei Cùm spiritualia instant, exteriora differantur*, monet D. Greg. in lib. Reg. cap. 16.

10. Deus est *Pater noster*, cujus imago sumus: intellectu enim nostro Deum capere possumus. *Filius honorat Patrem, si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?* Malach 1.

## MEDITATIO CCCXXXII.

## Feria 4. Domin 23. post Pentecost.

### *De alijs perfectionibus divinis.*

E Ste-

E Sterili tenebrarum abyſſo, in fœcunditatis divinæ abyſſum lucidam intrabo, & petam majorem perfectionum DEI cognitionem.

1. Deus eſt *Pater futuri ſæculi*, nos Filij & hæredes vitæ æternæ, quos complacuit ſibi eligere. *Cæleſtes divitiæ non niſi damno ſæculi poſſidentur.* ait S. Auguſtin. in Pſalm. 71.

2. Deus eſt *Patiens*, Alia eſt patientia in tolerandis doloribus, alia in contemptu: hæc ſola in Deo locum habet, vindictam in injurijs cohibente, ut patet in Angelis volentibus colligere zizania, Matth. 13. Utraque patientia in Chriſto ſumma, nobiſque imitanda: quia, ut ait S. Auguſt. ſerm. 1. de Verb. Dom. *Tota vita iſta intelligẽtibus tribulatio eſt: ſunt enim duo tortores animæ: Timor & dolor. Cùm tibi bene eſt, times, cùm malè eſt, doles.* Tertull. addit lib. de Patient. cap. 11. *Nulla eſt perfecta virtus, quæ non habet comitem patientiam*, ut patet diſcurrenti per 8. Beatitudines, & 18. proprietates charitatis.

3. Deus eſt *Pax. Anima Deo, animæ caro ſubdenda*, ait S. Auguſt. tr 43. in Joan. Quod fit per virtutem: quia virtus unit voluntatem, & appetitum cum recta ratione, vitium dividit: quia *vitium fit, ſi malè utamur affectibus*, inquit S. Hieronym Epiſt ad Demetr. Igitur virtus eſt cauſa pacis, vitium diſcordiæ,

diæ, unde pœna sibi est omnis inordinatus animus. Ex adverso, *Beati pacifici, Id est, facientes pacem inter carnem & spiritum*, ait Hugo Cardin. in Matth. 5.

4. Deus est *Pius*. Pietatis est assistere filio, eúmque, ubi adoleverit, exercere, ne torpeat, ac hæredem constituere, quæ omnia Deus Pater præstat, Si, ut ait D. Chrysost. in 1. ad Cor. 4. *Pietas insatiabilis est*, quomodo ad obsequia Dei pijssimi Patris langueo.

5. Deus est *Perfectissimus*. Perfectum est, cui nihil deest. Non possumus obtinere perfectionem Dei per identitatem; non enim possumus deificari, superest, ut per imitationem similes Deo fiamus. Quando ad tuam similitudinem ascendam? *Quæ major dignitas, quàm ijsdem hominum vestibus indui, quibus ipsemet Dominus*, ait S. Ambrosius de dignit. human. cond.

6. Deus est *Perseverantiæ Dator*. Nullus perit, nisi, qui gratiæ Dei deest, gratiæ Dei quisque deest ex voluntate infirma, frustra sibi imperante: quia non ex toto vult; non autem ex toto vult, quia est arduum, inquit S. Augustin. lib. 8. Confess. c. 9. Remedium est petitio gratiæ, meditatio, suíque victoria.

7. Deus est *Prædestinator* in Christo, qui suos non signis, sed charitate dignosci voluit. Si sperare Te præcipiente debeo, propter

pter charitatem tuam perpetuam (uno enim amore diligis Te, & Tua) quòd sim unus ex prędestinatis, quantam pœnam mereor, quòd omne peccatum non horream amplùs, quod te non magis timeam, quòd omnibus modis electionem meam certiorem non faciam. *Sicut ad malum prior est voluntas hominis, sic ad bonum prior est voluntas Creatoris.* Lib. 13. de Civit. 15. Petam hanc bonam voluntatem.

8. Deus est *Præsens* ubique. Quodcunq; spatium fingi potest, ibi est Deus: quia est immensus: est enim omni modo infinitus, ergo etiam infinitus extensione. *Vnde in omnibus Sanctis sunt alij sanctiores? Nisi abundantiùs habendo habitatorem*, inquit S. Augustin. Epist. ad Dardan. Sis mihi magis præsens cogitatione & amore.

9. Deus est *primum Principium*, respectu omnis creaturæ, omnisque causæ effectricis, exemplaris, & finalis: antiquitate, dignitate, & independentiâ summum. Ab hoc pendebo ex toto, gratus ejus exemplum imitabor, purus eum finem habebo in omnibus: potest enim me destruere cum ijs, propter quæ ab eo separor. *Non idem finis, quia non idem fundamentum*, ait Chrysost. Orat. 4. ad pop. de domo una corruente, alterâ stante.

10. Deus est *Protector*. Viæ sæculi tenebræ,

bræ, & lubricum; horrenda via tenebræ solæ, lubricum solum quis non caveat? in tenebris & lubrico quà is? Ubi pedem figis? Tenebræ sunt ignorantia, lubricum concupiscentia quòd si accedat Angelus persequens, væ! Cui Deus non erit Protector. Ita S. Augustin. in Psalm. 34.

MEDITATIO. CCCXXXIII.

## Feria 5. Domin. 23. post Pentecost.

### *De alijs perfectionibus divinis.*

VIdebo Dominum sicut visus fui in monte, in caligine inter fulgura & tonitrua, & rursum in sibilo auræ tenuis. Petam eum ampliùs agnoscere.

1. DEVS est *Prudentissimus*: deliberavit de singulis. *Non est hominis scire, quid velit, & possit, sed potiùs à Te gressus hominis dirigantur*, ait Augustin. Soliloq. cap. 25. Quia creaturarum natura non prodest, nam obest saluti, providentiæ Dei speciali me committam unicè.

2. Deus est *Pulcher*. Pulchrum esse desinit coram pulchriore. Infimus gradus pulchritudinis est forma externa. Alter est interna, pulchrior, continens externam, ut semen plantas. 3. Est animalium, vegetativam superans. 4. Est animæ rationalis. 5. Est Angeli. 6. Beatorum, qui gradus superat pulchrum

totius

totius universi. 7. Est Deus solus pulcher, infinitè perfectus, sapientiâ clarus, sanctitate proportionatus. Quod si forma humana tyrannis animorum est, quæ incautos in amentiam rapit, quomodo ad sui amorem non alliciet me pulchritudo infinita? *Si placent corpora, in artificem eorum retorque amorem, ne in his, quæ tibi placent, tu displiceas,* inquit S. August. lib. 4 Confess. cap 11. *Pulchritudo corporis bonum Dei donum, sed propterea id largitur malis, ne magnum bonum videatur bonis,* ait idem 15. Civit. 2.

3. Deus est *Purus. Cor purum est vacuum cupiditate, & amore sui, ut nihil aliud diligat, quàm, quod diligendum est,* ait S August lib. 1. de doctr. Christi. *Illum osculemur, quem osculari castitas est,* ait S. Paul. Epist. 4.

4. Deus est *Quies. Ignavia quasi quietem appetit, quæ verè quies certa præter Dominum?* ita S. August. lib. 1 Confess. cap. 6.

5. Deus est *Rectus.* Non affectu, sed ratione regitur. Quis mihi det imitari te! *Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat,* ait S. Augustinus lib. de Agon. cap.

6. Deus est *Redemptor. Toto se totum te comparavit! quid ultra debuit facere, & non fecit?* ait Petr. Damian. serm. 1. de exaltat. sanctæ Crucis.

7. DEVS

7. DEUS *Revelans profunda* Fidei mysteria. Verba DEI sunt reliquiæ optimæ; amicus enim amicum amicitiæ commonens, affectum affert memoriâ tenendum, non vestem, aut locum. Ita Dominus S. Gertrudi lib. 3. cap. 54. Da *sagittatus charitate tuâ geram verba tua transfixa visceribus.* Ait S. Augustin. suprà citatus.

8. Deus *Rex* est. Melius est servire Deo Regi, quàm cupiditati, ut melius est vigilare, quàm dormire. Hâc cognitione conversus est August. lib. 8. Conf. cap. 5. Offeram huic Regi nardum subjectionis affectuosæ, ex agnitione mei, & charitate Dei, ait Bern. serm. 52. in Cant.

9. Deus est *Salus nostra* per Christum; *sicut ex cibum, ita Christus generis humani salutem desiderat*, inquit Chrysost. hom. 35. in Joann. Salutis principium est esse in gratia, peditionis eâ carere.

10. Deus est *Sanctus*. Si per impossibile posset apprehendi, cadere posse in Sanctitatem Dei peccatum aliquod, ipsa ejus Justitia infinita ad infinitam ejus contra se vindictam eum impelleret.

## MEDITATIO CCCXXXIV.

### Feria 6. Domin 23. post Pentecosten.

*De alijs perfectionibus divinis,*

Claudam

Claudam oculos meos creaturis, ut Deũ ijs velatum videam, & sine linguæ sono, sine voce Angeli, sine strepitu audiam, quem loquuntur perfectiones ejus. Petam eas intelligere, & in flammas dilectionis illarum insilire.

1. Deus est *Satians*. *Luxuria satietatem se cupit vocari: Tu es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis suavitatis.* S. Augustin. 2. Confess 6. *Quid est tota terra, mare, cœlum, sidera, Sol, Luna, quid exercitus Angelorum? Omnium istorum Creatorem scio, ipsum esurio, ipsum sitio*, inquit idem serm. 16. de Verb. Apostolorum.

2. Deus est *Sapiens*. *Curiositas affectare videtur studium scientiæ: Cùm tu omnia summè noveris*, S. August. 2. Conf. 6. *Infelix homo, qui scit omnia, te autem nescit: Beatus, qui te scit, etiamsi illa nesciat.* Lib. 5. Conf. cap. 5. *Quid est, quæso, Sapientia Christiani? Quid nisi timor, & amor Christi?* ait Salvianus lib. 4.

3. Deus est *Simplicissimus*. *Ignorantia simplicitatis & innocentiæ nomine tegitur: Te simplicius quidquam non reperitur; quid autem Te innocentius, quandoquidem opera tua malis inimica sunt?* S. August. 2. Confess. 6.

4. Deus est *Spes*. *Omnis, qui rectè credit, aliquid sperat, & qui sperat, sustinet, ne à spe excidat*, S. August. serm. 4. de Charit. Gaudia

mentis

mentis sunt majora delectationibus corporis; quia homines à maximis voluptatibus carnis abstinent, ut non perdant honorem, quod est bonum intelligibile ferax gaudij, igitur bonum intelligibile maximum Deus erit causa majoris gaudij, hic Deus nobis promissus est, ergo gaudium Spei Dei superat omne gaudium. *Eâ Spe gaudeo, quando sanè gaudeo*, ait S. Augustinus lib. 10. Conf. 1.

5. Deus est *Spiritus*, quia habet *esse perfectissimum*. Si fulmen materiale tam subtile, & horridum, quid erit Spiritus Dei? Vento nihil magis contrarium, quàm non flare, & Deo non inspirare; *tunc bene agis, si à bono agaris*. S. Augustin. serm. 13. de Verb. Apost.

6. Deus est *Spiritus sanctus*. Spiritus, id est, impulsio; Sanctus, id est, ad omne, quod in Deum ordinatur. *Infirma est omnis anima, nisi Spiritûs sancti virtute sit roborata*, ait D. Gregor in Psalm. 50.

7. Deus est *Susceptor*: suscipit perditos. Nullus speravit in Domino, & confusus est, Eccl. 6. Non confundas me ab expectatione mea.

8. Deus est *Suavis* Suavitas sita est in regimine forti, non usque ad asperitatẽ: Suavi, non usque ad laxitatem. Accommodare se rerum naturis, & propensionibus, non imponere impossibilia: Errantes sic corrigere,

ut ipse de se vindictam relinquat, jamque electas imminuat pœnas, & soletur. O suave jugum Dei, quod ita operatur.

9. Deus est *Suscitator*, qui suscitat mortuos, donec aspiret Deus. Triplex est dies (inquit S. Bernard. serm. 72 in Cant.) *inspirans, pro corporis vita: respirans, in sanctificationis gratia: Aspirans, in resurrectionis gloria. Vivificabit nos post duos dies.*

10. DEUS est *Sanctissima Trinitas*: quia bonum diffusivum sui, igitur infinitè bonus, infinitè sui diffusivus, non productione creatâ, quæ respectu Dei nihil est: igitur increatâ productione infinitè perfectâ, perfectior autem productio est, quæ manet in producente, qualis est in Deo: Uno in natura, Trino in Personis. *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Isai. 38. Adoramus te, &c.

## MEDITATIO CCCXXXV.

## Sabbato Domin. 23 post Pentecost.

### *De reliquis perfectionibus divinis.*

VIdebo Deum, patriam nostram, unde excidimus: Civitatem, ad quam tendimus: lectum, ad quem quietis gratiâ festinamus. Petam de corporũ exilio transferri ad regionem spirituum, ut adhæreã summo spiritui.

1. Deus est *Terribilis. Sevitia potestatem timeri vult: quis autem timendus, nisi unus Deus,*

*cujus*

*cujus potestati eripi, aut subtrahi, quid, quando, aut ubi, aut quò, vel à quo potest?* Aug. 2. Conf. 6. Amor imperfectus parit securitatem, hæc lapsum: Itaque continendus timore: majore timore minorem contemnimus, nihil terribilius Deo! Quomodo peccatum in Angelo, in homine, in Christo punivit? *Plus de malis tuis metue, quàm de imperfectis bonis exulta.* Greg. 21. Moral. 26.

2. Deus est *Totum.* Plus delectant omnia, quàm singula, totum quàm pars: audies sermonẽ, nec vis stare syllabas, sed transvolare, ut aliæ veniant, & totũ audias: Deus est totũ, & plusquam omnia: quia fecit omnia. Cur adhæreo creaturæ parti, & non Toti Deo?

3. Deus est *Veritas, Credenti immortalis ad vitam, non credenti immortalis ad pœnam,* ait Aug de Symb. ad Cat. c. 3. Sic amatur veritas, ut quicunque aliud amant, hoc quod amat, velint esse veritatem: & quia falli nolunt, nollunt convinci, quòd falsi sint. Itaq; propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant: Aberrant autem à veritate, vel defectu luminis cœlestis, vel quòd eam non requirant, vel quòd caducis amoribus abripiantur. *O Veritas exulum patria, exilij finis, video te, sed intrare non sinor,* ait S. Bernard. serm. 11. in Cant. Ut lux divina mentem subeat, mundanda est conscientia;

ut re-

ut requiratur veritas, amãda est, amore unimur amato: ut non abripiamur alijs affectibus, amãda est Veritas: amor enim, ubi adest, cæterorum omnium ad se traducit affectus.

4. Deus est *Virgo*, ob intemeratam generationem. Sanctissima Trinitas dicitur *Regina Virginum* à Nazianz. apud Caus. de imp. Passi. *Illi copulemur, cui nupsisse Virginitas est*, ait S. Paulin. Epist. 4. *Major amor imposuit majus onus Virginibus, quod licebat, noluerunt. ut plus placerent ei, cui se devoverant, ambierunt illam majorem pulchritudinem cordis*, ait S. Augustinus serm. 18. de Verb. Apost.

5. Deus est *Vita* Misera vita postponenda meliori, *vita corporis anima, vita animæ Deus* ait S. Augustinus in Psalm. 70. *Nemo gravius moritur, quàm qui peccato vivit*, inquit S. Ambrosius lib. de Noë cap. 10. *Illi commoriamur, in quo vita est*, addit S. Paulin. Epist. 4.

7. Deus est *Vltor*, hîc, & in futuro. Miris modis, præsertim tribus. 1. hic penuriâ, morbo, infamiâ, subtractione lucis, immissione tentationum. 2. Relinquendo hominem sibi, ut abeat post vestigia gregum suorum. 3. Permittẽdo lapsum, atque relapsum. Petã corripi à Domino correptione amoris.

8. Deus est *Vnus*, ita, ut magis unum aliquid dari non possit; quia sicut reliqua entitate, sic & unitate præcedit. *Cui Deus por-*

*tio est, nihil debet curare, nisi Deum*, ait Ambr. lib. de fug: sæc. c. 2. Hoc sit meum centrum, pondus, & Magnes, unúmque necessarium. *Amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona*, ait S. Augustin. lib. 2. Confess. cap. 17. *Per continentiam redigimur in unum.* Ait idem 10. Confess cap. 29.

9 Deus est *Vocans. Totius vitæ vel rectè, vel malè transcendæ fundamentum in electione positum*, ait S. Nazianz. Orat. 23. Electio pendet à vocatione: quia, ut ait Hieronym. in cap. 1. Jonæ. *Nihil Deo adversante securum: possunt enim etiam ea, quæ sibi homines æstimãt salutaria, Deo volente verti in perniciem.* Deus nos extraxit ex nihilo, creavit, abluit, educavit, illuminavit, ad profectum adduxit, labentes reduxit, corroboravit, & quosdam aulæ, militiæque suæ adscripsit, perseveranter in eadem retinuit, & plurimos usque ad felicitatem æternam induxit.

10. Deus est *Zelans* honorem suum, suorúmque, & contra animas sibi minùs adhærentes zelat. *Durum est amanti animum dimidiare cum Christo, & mundo*, ait Gilbert. in Cant. cap. 13 *Oritur zelus ex amore Christi, quem, qui amat, offendi pati non potest*, ait S. Bernard serm. 44. in Cant. Petam imitari zelum Dei, quia *pia est tristitia, &, si dici potest, beata miseria vitijs alienis tribulari, non impiicari*, ait August. epist. 145. Mi-

# MEDITATIO CCCXXXVI.

## Dominica 24. post Pentecosten.

### *De minis desolationis spiritualis.*

VIdebo judicium inchoari à domo Dei, quia Hierusalem scrutari in lucernis, est de occultis amicorum Dei lapsib⁹ vindictam sumere, ait D. Bernard. Petam agnoscere causas desolationis, & pœnæ spiritualis.

*Cons.* 1. Notas hominis desolati ex eodem Sancto; in Psalm. 79. Exsiccatum est cor meum, & anima mea est, sicut terra sine aqua, non possum lacrymas fundere, non invenio in Psalmis saporem, non delector lectione bonorum librorum, non me recreat oratio, nec aditū invenio ad meditationem, ad opera manuum factus sum piger, in vigiliis somnolentus, præceps in iram, in odio pertinax, liber in lingua, effrenis in gula. Hoc est, non visitari à Domino, hoc deficere in spiritu. Accedit punitio spiritualis per privationem gratiæ, vel subtractionem auxilij interni, quo amovebantur impedimenta, illuminabatur mens, inflammabatur voluntas, vel per subtractionē auxilij interni, ut sūt preces piorum, bona consilia, afflictiones, vel per excæcationem, & obdurationem, cujus causa est dæmon, & malitia propria, unde, qui pedem jam in cœlo habuerant, cum Lucifero præcipitantur.

*Conf.* 2. Causam hujus non esse Deum, qui incommutabile bonum, semperque idem est, quòd autem non idem semper appareat, eorum culpâ id accidit, qui Deum non eodem modo semper intuentur, sed vitiati affectu aliquo comparent, ut David vanâ gloriâ affectus, Moyses diffidentiâ, &c. Quos Deus (in vitia severè animadvertens) terribiliter punivit, & Moysen quidem usque ad mortem; aliòs verò (ut est in vitis Sanctorum, & Chronicis) permisit in fine vitæ graviùs labi, & æternùm perire, juxta illud Isai. 26. *In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit faciem Dei.* Alios non audivit orantes, ut Antioch. 2. Machab. 9. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus,* Cujus rei tres causæ à P. Lessio de justitia Dei assignantur 1. Lapsus lethalis. 2. Lapsus veniales. 3. Tepor, & neglectus divinarum inspirationum, unde homines etiam Deo sacri usque ad damnationem æternam præcipitantur.

*Conf* 3. Verba Jobi cap. 2. *Divitias, quas devoravit, evomet,* id est, Corpus Christi, *quia non vult Dominus remanere in sentina diaboli,* ait Hugo Card. in Joann. cap. 6. Et S. Vincent. Ferrer. serm. 4 inquit: *Angeli, qui assistunt huic Sacramento, indignè recipientes interficerent, nisi divina misericordia prohiberet.*

ret. Cæterùm in desolatione filiorum Dei, ita à Deo pendere oportet, ut si quid jusserit, quod secundùm hominem injustum esse videatur, justũ credatur, & fiat, exemplo Jobi, Tobiæ, Christi: ita D. Cypr. de singul. Cler. & D. Suso lib. de Sap. ait: *Nulla est perfectior, resignatio, quàm in sui derelictione esse resignatis.*

## MEDITATIO CCCXXXVII.

## Feria 2. Domin. 24. post Pentecost.

### *De minis mortis.*

AUdiam D. Augustinum Lib. 2. de Genes. cont. Manich. dicentem: *Nihil sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Petam bonam mortem.

*Cons.* 1. Mors est pœna peccati, naturaliter inevitabilis, destructio artificiosissimi corporis humani, corruptio mirabilis compositi ex spiritu, & carne, amara separatio ab omnibus, quæ in hac vita amantur, dolorosa sensuum defectio, fœtor in corpore, afflictio in anima propter peccata, imminens judicium, incertitudinem salutis, quia ignorat non tantùm mortis tempus, modum, & locum, sed etiam statum suum, an in damnandi vel salvandi sorte sit. Statuam ijs non affici, à quibus debeo divelli. Non differre ad ultimum vitæ exercitia virtutum, ut earum actus faciliùs eliciam, præsertim

Spei, ne imminens conturbet æternitas, & reſignationis in manus Dei.

*Conſ.* 2. Cùm intra ſeptimanæ diem aliquam, certò ſim moriturus: petam liberari à ſeptem mortibus malis: Brutali, orando Pſal. 64. Elata, Pſalm. 130. Intricata, Pſal. 14. Lutulenta, Pſal. 68. Amara, Pſal. 5. Furenti, Pſal. 131. Deſperata, Pſal. 61. *Non mori, ſed malè mori malum eſt*, ait S. Chryſoſt. Hom. 36. in Matth. Ex adverſo petam mihi obtingere è ſeptem mortibus bonis aliquam. Lætam, Pſalm. 121. Securam, Pſalm. 10. & 24. & 30. Ferventem, Pſalm. 41. 33. 96. Tranquillam, Pſalm. 15. 17. 39. Æquanimem, Pſalm. 22. 26. 43. Humilem, Pſalm. 56. 76. 97. Piam, Pſalm. 37. 122. 125.

*Conſ.* 3. Ex mortibus indifferentibus, ut ſunt: Improviſa, præviſa, brevis, longa, placida, violenta, ſicca, cruenta, pauper, opulenta, mitis, acerba, ignobilis, honorata, petam eam, quæ Deo magis placet, poſtponendo etiam ipſa Sacramenta providentiæ, ac Domini mei voluntati, & miſericordiæ, ſine qua æquè mihi certa incumbit damnatio, quantumcunque provisâ morte Sacramentisque munitus moriar. Ita D. Gertrud. lib. 1. cap. 11.

MEDI-

## MEDITATIO CCCXXXVIII.

### Feria 3. Domin. 24. post Pentecost.

### *De Ultimo judicio.*

VIdebo vallem Josaphat, inibíque cives Babyloniæ cum malis Angelis, ad sinistram separari, Cives autem Hierusalem supernæ reponi ad dexteram velut oves, in qua jam sedet earum Agnus, Petam fructum utilem inde percipere.

*Cons.* 1. Judicium esse sententiam supremi Judicis Christi inevitabilem contra reos puniendos, pro justis præmiandis, juxta cujusque merita, idem est de judicio particulari.

*Cons.* 2. Personas in hoc judicio, quæ sunt Judex omniscius, & æquissimus. Accusatores creaturæ, & ætates, quibus abusi sumus, imò & dæmones, Angeli, Sancti, Conscientia, Sanguis Christi: Quomodo tunc palpitabit homo reus sine auxilio, sine defensione, plenus metu, & confusione.

*Cons* 3. Materiam accusationis: Verba, cogitationes, acta, omissiones, talenta, officium, opera charitatis, inspirationes, occasiones, neglecta gloria Dei, bonum commune, privatum. O qualis erit confusio videre culpâ meâ multas animas damnatas, ipsas respublicas perditas! Si tali inspirationi correspondissem, si me in tali occasione

mortificâssem, consecutus fuissem ego sanctitatem, Dei verò Ecclesiæ quàm plurimùm profuissem, quorum nihil evenit, ídque propter invidiam, umbras, zelum indiscretum, propriam existimationem, judicium, commoditatem, detractiones, scandala, pietatis contemptum, levitatem verborum, respectus humanos, inconsiderationem, Spes, metus, pusillanimitatem, scrupulos, diffidentiam, & denique, qûòd non obediverim spiritui Dei. Refugiam nunc ad misericordiam Dei, quiâ *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam*, ait D. Augustin. lib. 9. Confess cap. 31.

## Meditatio CCCXXXIK.

## Feria 4. Domin. 24. post Pentecost.

### *De Minis inferni.*

VIdebo carcerem inimicorum Dei, remotissimum à mansionibus cœlestibus, infra omnia elementa, ubi sunt æterna mortis pascua. Petam nunc id facere, quod vellem si ibi essem, ut evaderem.

*Cons.* 1. Omnia mala vitæ mortalis esse tantùm initia dolorum collata inferno, cujus supra vigesies meminit D. Jesvs, & est locus in intimo terræ, umbris opacus, dicitúrque sepultura, & pœnarum profunditas. A dæmone vocatur abyssus. A Christo D.

Luc. 8.

Luc. 8. Matth 10. Matth. 5 Matth. 25. Marc. 9. Matth. 13. Matth. 25. Matth. 22, Gehenna ignis æternus, inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, caminus ignis, tenebræ exteriores, ignis paratus diabolo, & Angelis ejus. Hinc habetur, eodem igne cruciari homines, & dæmones, miris, sed veris modis, inquit S. Augustin. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 10. Supplicium æternum. Ibi erit fletus oculorum, qui per concupiscentias vagabantur, & stridor dentium, qui edacitate gaudebant, & has duas pœnas Dominus repetit quinquies apud unicum Evangelistam Matth. c. 8. 13. 22. 24. 25. & Luc. 23. Erit etiam ibi sitis, fames, vincula, tenebræ, magna membrorum tormenta, denique, inquit S. Maximus: *unitique peccato Deus consonam pœnam statuit.*

*Conf.* 2. Septem esse damnandorum pœnas inferno majores. 1. *Timor judicij malis resurgentibus est pœna gravior, quàm gehenna*, ita D. Anselm. in Epist. ad Hebr. cap. 10. 2. *Separari à Christo, an non gravius, & gehennâ terribilius*, ita D. Chrysostom Hom. 8. in Epist. ad Thessal. 3. Irrideri, aut audire: Stulte: *superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ*, ita D. Basil. in Luc. cap. 16. 4. Livore tabescere: *agit infelix, ne videat felicem*, (epulo Lazarum petens cum mitti in domum Patris)

teris) & *zelo magis incenditur, quàm gehennâ.* Ita D. Chrysost. in Luc. cap. 16. 5. *Reus plùs de conscientiæ, quàm de gehennæ erubescit incendio,* ita D. Chrysost. serm. 125. 6. *Non videre Deum, pœna est, totâ gehennâ acerbior.* Ita D. Chrysost. Epist. 5. ad Theod. lapsum. Nunquam reuniri Christo Deo. Hoc NVNQVAM est pœna damnatorum major, maximâ, quæ sicut Christum afflixit in vita, sic illos affliget æternâ desperatione, ita B. Vezana in Revelat.

## MEDITATIO CCCXL.

## Feria 5. Domin. 24 post Pentecost.

### *De æternitate pœnarum inferni.*

VIdebo damnatos ambulantes in circuitu, *vocabuntur enim populus, cui iratus est Dominus usque in æternum.* Malach. 1. Petam intelligere causas, cur æternùm puniantur.

*Cons.* 1. Pœnas damnatorum æternas. 1. Quia Legislator habet jus Pœnam ponendi violatoribus Legis. sed Deus posuit æternam Matth. 25. Marc. 9. Apoc. 14. 2. Si Leges humanæ perpetuum exilium præscribunt, vitam auferunt in perpetuum, quantò magis Leges divinæ? Ita S. Augustin. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 17. 3. Nunquam esset illorum æterna miseria, nisi esset magna malitia; ita

idem

idem: Ibid. lib. 9. cap. 13. 4. Factus est homo malo dignus æterno, qui in se peremit bonum, quod posset esse in æternum, ita D. Gregor. lib. 4. dial. cap. 24. 5. Pertinet ad justitiam, ut nunquam supplicio careant, quorum mens nunquam voluit carere peccato, ita S. Augustin. suprà. 6. Cùm locus illa viam præcludat ad meritum compensationis, etiam beneficium non admittit, ita Blesensis Epist. 60. 7. Pœna debet esse proportionata culpæ, sed culpa nocet animæ, quæ est res Dei, & bonum æternum, privans eam visione Dei, unde aufert Deo gloriam æternam, sibi autem infert pœnam æternam. 8. Major injuria pœnam meretur majorem, sed injuria per peccatum fit Deo infinito, lædit-que bonum infinitum, igitur saltem quoad durationem debet luere infinitè. 9 Quid mirum, si æternaliter ardebit, æterna erit materia, æternum pabulum, anima, & peccatum, ita Tertullian in Apolog. Hinc de lapsis Angelis dicitur, *neque locus inventus est eorum amplius in cœlo* De damnatis verò hominibus, *clausa est janua*, Matth. 25. Marc 13. comburentur enim igne inextinguibili, & *fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum* Apoc. 14. Hanc malam æternitatem experietur *peccator, videbit, & irascetur, sui magis, quàm sibi*, ait S. August. hic Psal. 111.

*Conf.* 2. Quomodo D. JESVS aliàs parcus verborum æternitatem pœnarum inferni exaggeret, Marc. 9. *Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam, bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum, bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quòd si oculus tuus scandalizat te, ejice eum, bonum est tibi luscum introire in Regnum Dei, quàm duos oculos habentem.* &c. Manus, pes, oculi, sunt perniciosa societas, propinquitas, amicitia, omnéque vitiosum in homine.

*Conf.* 3. Si inter mille homines unus tantùm damnaretur, nónne quisque timidus diceret: Nunquid ego sum? Nunc autem damnandi præ multitudine, Apoc. 20. Matt. 9. Scripti sunt in libris, salvandi præ paucitate scripti sunt in libro. Constitutus inter horrendas illas figuras damnatorum momentaneas delectationes sine intermissione, sine refrigerio etiam imaginario æternùm luentium dicam ad Dominum: En me infelicem ad portas inferi consistentem, patet porta, & ego ipsi immineo illuc devolvendus,

dus, ah! Deus meus, pro me mortue, patieris-ne, ut non vivam ampliùs in æternum? Inscribam memoriæ compendium Evangelij: Luc. 9. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* &c. *Quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem æternum?* Ait D. Augustin. Tom. 3. in Sentent.

## MEDITATIO CCCXLI.

## Feria 6. Domin. 24. post Pentecost.

### *De causis tam horribilium minarum,*

ASpiciam Justitiam divinam terribilem homines propter peccata æternis supplicijs submergentem. Petam ea peccata agnoscere, & evitare.

*Cons.* 1. Peccata, propter quæ ibunt in supplicium æternum, sunt 1. eorum, qui non receperunt Christum, neq; fidem Dei, Matth 10. 11. 12. & 28. 2. Qui Fidē Dei receperunt, sed non juxta eam vixerunt: caruerunt enim operibus Misericordiæ corporalibus, & multò magis, quia caruerunt spiritualib⁹. Matth: 25. 3. Qui fuerunt vitiosi, hypocritæ, superbi, avari, sævi, injusti, impij, & omnes addicti impietati, discedite à me *omnes operarij iniquitatis.* Matth. 23. 4. Qui alijs fuerunt scandu-

scandalo. Luc. 13. Matth. 18. 5. Illi, de quibus apud Lucam cap. 6. ait Dominus: *Va vobis divitibus*, quia habetis consolationem vestram: *Va vobis, qui saturati estis*, quia esurietis: *Va vobis, qui ridetis nunc*, quia lugebitis, & flebitis: *Va, cùm benedixerint vobis homines*, D. Chrysost notat, quod *Va* inscripturis semper dicatur his, *qui non possunt evadere à futuro supplicio.* 6 Servus malus, piger, inutilis, infructuosus, negligens. *Serve male, & piger*, Matth. 25. &c. *Inutilem servum, ejicite in tenebras exteriores.* 7. Qui malè præest alijs, & percutit, & manducat, ac bibit cum ebriosis, dividet eum, & partem ejus ponet cum hypocritis: ibi erit fletus, &c. Matth. 24. Quæ omnia intelligenda sunt, si in his, vel ob hæc homo Dei legem graviter obligātem transgredi præsumit.

*Conf.* 2. Quænam in particulari peccata illa sint cœlum prohibentia, & audiam D. Augustin lib. 21. de Civit Dei cap. 27. ita respondentem: *Difficillimum est invenire, periculosissimum definire: ego certè usque ad hoc tempus, cùm inde satagerem ad eorum indaginem pervenire non potui: & fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat.* Quis crederet, quod ille servus Evangelicus, Matth. 28. Exigens debitum centum denariorum reus apud Deū

factus sit æterni supplicij, ut ait Remigius: *Qui diligitis Dominum, odite malum, & qui timet Deum, nihil negligit.* Statuam cum gratia Dei evitare, quidquid mihi conscientia dictaverit, non esse rectum.

*Cons.* 3. *Omnia peccata duæ res faciunt in homine cupiditas & timor, quia sicut omnia justa opera bono timore, & bono amore fiunt: Sic malo amore, & malo timore omnia peccata committuntur.* Ita D. Augustin. in Psal. 79. *Quisquis hic habet ignem charitatis illic ignem gladij timere non poterit.* Ambros. in Psal. 118.

## MEDITATIO CCCXLII.

### Sabbato Domin. 24. post Pentecost.

### *B. Virgo præsidium contra has omnes minas, earúmque causas.*

AUdiam B. Virginem de se loquentem: Ego sum Mater misericordiæ, & aditus peccatorum ad Deum, nullus est adeò alienus à Deo (nisi omnino fuerit maledictus) qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum. Petam ejus operi in negotio salutis meæ experiri.

*Cons* 1. Si minas Evangelij comprehendo, quomodo earum causas non fugio: si non comprehendo, quantò magis causas earum fugere debeo? Modus autem effugiendi est iterùm ad Matrem misericordiæ, ut ait D. Bernard,

Bernard. supra Salv. Regin. *Convenienter vocatur Mater misericordiæ, quòd divinæ pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cùm Sancta Sanctorum patrocinijs suis suffragia præstat.*

*Conf.* 2. Duos esse modos flectendi B. Virginem ad hanc gratiam salutis impetrandã, vel per unum aliquem actum heroicum Virtutis, vel per multos remissos & frequentatos. Tutiora sequens in utroque me exercebo. Ita Didac. de Rosis de Cultu B. Virg.

*Conf.* 3. Verba D. Bonaventuræ, in Speculo Virg. ita de B. Virgine loquentis: *Qui habuerit characterem ejus, notabitur in Libro Vitæ*, Characteres D. Virg. sunt Virtutes ejus, de quibus hactenus actum est singulis ferme Sabbatis, quas statuam amplius imitari.

## MEDITATIO CCCXLIII.

## Dominica 1. Adventûs.

### *De causis Incarnationis.*

REspiciam, & levabo caput & cor meum, ducéque Spiritu Domini subibo concilium cœleste, in quo agitur de Redemptione mea. Petam humillimè causas Incarnationis agnoscere.

*Conf.* 1. Infelicem generis humani à primo lapsu statum; nam quod tempus, quis locus, quæ

quæ gens, quis ſtatus, quæ ætas, quod officium, quod membrum corporis, quæ potentiæ in nobis, & à nobis non ſunt fœdata? Cœlum idolis, terram direptione, mare avaritia, aërem blaſphemijs, palatia luxu & faſtu, caſas pauperum querelis, tribunalia iniquitate, ſcholas hęreſibus, religionem hypocriſi & ſuperſtitione contaminatã Sol eſt inſtitus, cælum & terra ingemuerunt. Et ſicut lapis vi ſuâ non poteſt ſurſum agi, ſic nemo viribus naturæ à ruina æterna evadere potuit. Fuit itaque motivum principale Incarnationis divinæ, commiſeratio Dei erga hominem lapſum, ut remedium ferret peccato. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus*, Pſal. 11. de ſolio meo quærere, & ſalvum facere quod perierat. Eſt enim ea natura Amoris, ut in miſertis videre non poſſit, quem amat.

*Conſ.* 2. Alias cauſas, ut idem eſſet Redemptor, qui Creator, ut familiariùs ab homine diligeretur Deus, ut refiteretur oculus cordis in Divinitate, oculus corporis in humanitate, ita Hugo Victorinus lib. Sentent. Sed neque decuit à creatura tale bonum fieri homini, quò majus nõ poſſet præſtare Deus, quia tria ſunt, quibus Deus non poteſt meliùs facere, Se, Chriſtum, & Viſionem Dei, quam per Redemptionem conſequimur.

Aliam

Aliam causam addit S. Augustinus ser. 26. de Temp. *Vt haberet homo, & quem videret, & quem sequeretur Deus factus est homo.*

*Cons.* 3. Verba S. Chrysol. serm. 23. *Tibi totum factus est, qui fecerat totum, & qui sibi nunquam tibi toties mutatur* etiam in Venerabili. Petam immutari vicissim, & induere D. JESVM Christum.

## MEDITATIO CCCXLIV.

## Feria 2. Domin 1. Adventûs.

### *De decreto Incarnationis.*

AUdiam concilij cœlestis decretum: Ut haberet homo, & quem videret, & quem sequeretur Deus factus est homo. Petam magis agnoscere, quomodo Verbum Patris obsequatur Patri Æterno.

*Cons* 1 Quomodo Verbum Dei partim commiseratione nostri, partim ad satisfaciendum Justitiæ divinæ permotum sit, ut se ad naturam nostram assumendam resolveret, quia Redemptor, nisi esset Deus, non daret satisfactionem tam grandis pretij, quæ debebatur Justitiæ divinæ, & idem Redemptor; nisi esset Homo, non posset salutem operari, neque pati aut mori. Et Deus igitur & Homo esse debuit, qui miseriæ nostræ opem ferret.

*Cons.* 2. Non defuisse omniscio, & omnipotenti

potenti Deo, alios modos ineffabiles subcurrendi nobis, sed propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos liberè, quis enim Deum coegerat? Voluit nos per Filium redimere. Quî cognitâ voluntate Patris eidem continuò se conformavit: Tunc dixi: Ecce venio. *Quis non stupeat charitatem Dei spreti & revocantis!* Ait D. Bernardus serm. 83. in Cant. Et Gilbertus. Ibidem ser. 89. *Amor exæstuat, sibi non capit, superfluit sibi.*

*Conf.* 3. Quomodo decretum Incarnationis primò Angelis, postea hominibus revelatum, de eodem multi ex utraque parte scandalizati sint, sive Angeli, sive homines, qui adhuc cœcutiunt, insolita charitatis magnitudo nocet eam non capientibus, juxta illud Hom. de Nativ Dom. *Immensitas munerum facit, ut munifico non credamus.* Poterat dominum retrahere vis scandali, sed ubi mandatum est, id contempto scandalo exequi oportet, ipse autem mandatum accepit a Patre, ut animam suam det pro me. Audiã eloquentem me verbis Divi Augustini. *Animam meam posui, ut te mihi conjungerem, & tu recedis à me?* Lib. contra Hæret. Cùm Deus noluerit nos ideo per Angelum redimere, ne præberetur homini occasio magis amandi creaturam, quæ redemit, quam Deum, qui creavit; recedam ab omni creatura,

tura, ut unicè Creatori gratus adhæream.

## MEDITATIO CCCXLV.

## Feria 3. Dominica 1. Adventûs

### *De executione decreti Incarnationis.*

AUdiam, & aspiciam Verbum divinum in aula Virginis exequi decretum Patris. Petam mysterium agnoscere & æstimare.

*Cons.* 1. Tria fuisse ab Angelo præstita: 1. Salutavit Virginem. 2. Nunciavit Incarnationem. 3. Docuit modum. Ad primum B. Virgo se ait ancillam. Ad 2. Respondet. Fiat. Ad 3. Secundùm verbum tuum, inquit, id est, illæsâ Virginitate. O felicem naturam humanam, quæ talem Virginem habuit. Væ mundo, si tunc MARIA caruisset, fortè retractâsset Dominus in mundo esse.

*Cons.* 2. Quomodo ad illud FIAT Virginis eodem momento formatum sit corpus Christi perfectum, infusa anima, & utraque unita sint verbo, juxta illud Damiani: Audísne in hoc Verbo Incarnationem Dei, &c. In qua Verbum æternum seipsum totum, & omnia viscera sua effudit in homines Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, &c.*

*Cons.* 3. Quomodo Deus Incarnatus revelatus sit Angelis, & ab ijs adoratus, & cum iterum introduxit primogenitum in orbem terræ,

ræ, ad Hæbr. 1. *Iterum*, vel in Resurrectio-
e, vel in die judicij, primò autem introdu-
ctus est Christus in orbem, Incarnatus &
passibilis, utrobîque verò ab Angelis ado-
atur, quia hoc ijs Deus *dicit*, *& adorent eum*
*mnes Angeli Dei*. Cum quibus & ego Deum
laudabo ob misericordiam ostensam in Re-
demptione. 1. Quia decrevit genus huma-
num redimere. 2. Quia Filium misit, ut ho-
mo fierer. 3. Quia Filius hominis in terris
visus, cum hominibus conversatus, omnium
virtutum, præsertim humilitatis & mansue-
tudinis exemplum factus. 4. Quia doctrinæ
prædicatione, & miraculorum exhibitione,
maximè verò gratiæ infusione homines ab
errore revocavit, & ad veri Dei cultum &
cognitionem adduxit. 5. Quia pro nobis
famem, sitim, algorem, æstum, penuriam,
injurias, contumelias, verbera, spinas, cru-
cem sustulit, ut nobis fratribus suis beatitu-
dinem compararet. 6. Quia immortalis, im-
passibilis, gloriosus resurrexit, ascendênsque
in cælum nobis januam aperuit, & locum
paravit. Ideo volo esse è spolijs Christi
ejus servus, omniáque mea ei dedicabo,
quia me redemit æternùm à pœnis
æternis. Hæbreor. 9.
vers. 12.

MEDI-

## MEDITATIO CCCXLVI.

## Feria 4. Dominic. 1. Adventûs.

### *De ineffabili demissione Dei.*

ASpiciam Solem recedentem, & DEVM se exinanientem. Petam agnoscere mysterium, & imitari.

*Cons.* 1. Quomodo divini Verbi Persona descendendo in naturam humanam se demiserit, gemma in lutum, Sol sub terram, totum in partem, statua aurea vestita sit panno, tabula materiæ pretiosissimæ receperit coloratam figuram, Deus ad hominem, & ut ait Nazianz. de Nativit Domini. *Qui est, fit.* Et Chrysost in Joann. Non substantiam vertit in carnem, sed manens, quod est, servi formam assumpsit, vel, ut loquitur S. Augustinus lib. 15. cap. 11. Sicut Verbum nostrum vox fit, nec mutatur in vocem, ita DEI VERBVM Caro factum est, non mutatum in carnem. Vel, ut ait Concil. Ephes. Ut cùm sermo induit literas, visibilis fit, & tractabilis, sic Verbum Dei tractabile invenitur. Et factũ est quasi lac propter parvulos.

*Cons.* 2. Quomodo, qui implet cœlos immensos in utero materno adeo tenuis erat, ut vix humano visui subijci posset, & qui sedet in supremo throno, contineatur in utero, atque, ut ait Guerricus serm. 3. de

Annunt.

Annunt. *Verbum æternum sub silentio se premit.* Et David: Psalm. 17. Inclinavit cœlos, & descendit. Et Paulus ad Philipp. 2. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Et S. Fulgentius de Nativit. Dom. *Homo Deum contemnens, à Deo discessit, Deus hominem diligens, ad hominem venit inaudito miraculo.* Egóne, ut aliam sortem quæram?

*Cons.* 3. Verba D. Leonis serm. 3. *Simus ejus humilitati similes, cujus gloriæ volumus esse conformes.* Humilitas hæc sita est in tribus, subijci majori, subijci æquali, subijci inferiori. *Humilitas ejus, nostra nobilitas est,* ait *D. Hilarius* in Joann. cap. 13. Petam mihi semper esse præ oculis finem redemptionis, quem explicat Apost. ad Tit. vers. 11.

## MEDITATIO CCCXLVII.

### Feria 5. Domin. 1. Adventûs.

### *De ineffabili sublevatione hominis.*

ASpiciam DEI Naturam se communicantem, ut Sol lucem, ignis calorem, balsamum odorem. Petam fieri ejus particeps.

*Cons.* 1. Quomodo humanitas sit sublevata, & divinitati unita modo nostro concipiendi, ut Crystallus Luci, ferrum igni, pasta farinacea liquori valoris infiniti mixta, sicut aurum fit statua, argentum imago argentea, carbo accensus, rubus ardens incombustus,

Iris

Iris & Carbunculus lucidus; sic homo vestitus substantialiter Deo, & ut ait Nazianz. Orat. de Nativit. Domini. *Quod præstantiùs erat nobis impertijt, ejus, quod deteriùs erat, particeps ipse fit.* Si sculptor talem formaret arte statuam, quæ viveret vitâ sculptoris, quàm esset mirabile, hoc autẽ mirabilius est.

*Conf.* 2. Quod vitis jungatur Alno, hedera muro, homo optet adhærere, Deo nil mirum. Qui enim eget alterius ope, ei se applicat. Sed quod Deus non indigus nostri uniatur homini, cogit ardentissimè petere, ut sublevetur natura nostra cum natura Christi ad divinitatem. *Cœlestes esse cœpimus, non nisi cœlestia cogitemus & agamus.* Inquit D. Cyprianus serm. de Oratione Domini.

*Conf.* 3. Divinæ factus naturæ consors debere me reverentiam erga me ipsum tanquam erga partem Christi, quia, ut ait Apostolus 1. Cor. 6. *Corpora vestra membra sunt Christi.* Debere meamorem, ardentissimúmque zelum, ut solent, membra zelare pro invicem. Itaque indignissimum judicabo dæmonem, ut vel admittatur, vel audiatur; sicut eum Dominus non sinebat loqui; cujus Spiritui denuo abrenunciabo per

Incarnationem Verbi elevatus
super Angelos.

MEDI-

## MEDITATIO CCCXLVIII.

### Feria 6. Domin. 1. Adventûs.

*De jugi permansione cum Deo qui quod semel assumpsit, nunquam dimisit.*

ASpiciam Dominum JESVM in DEO, & Deum in ipso semper. Petam jugiter permanere in DEO.

*Cons.* 1. Verba D. Leonis: serm. 10. de Nativit. Domin. cap. 6. *Ita sibimet inhæserunt* (DEVS in Incarnatione) *Vt, sive in omnipotentia, sive in contumelia, ne divina in Christo carerent humanis, ne humana divinis.*

*Cons.* 2. Quinque esse necessaria ad hanc jugem cum Deo permansionem 1. proponere, quòd semper velim vivere & manere in Deo, & Deum subinde cogitare, ut intimum conclave refugij mei. 2. Statuere tam omnia tum bona, tum mala pœnæ de manu Dei accipere, eligendo honorifica Deo, proximo utilia, mihi molesta. 3. Defectuum meorum per Christi vulnera humiliter veniam petere, ac me eas vitaturum firmiter statuere. 4. Orare Patrem, ut a memoria vanas imagines amoveat, & Sanctis eam impleat. Filium, ut intellectum cognitione summi boni, & beneficiorum mihi exhibitorum, suæ voluntatis, meæ vilitatis illustret, Spiritum sanctum, ut voluntatem amore

ſuo inflammet, affectus rapiat, Chriſtum D ut per ſanctiſſimas animæ vires & corporis, vires meas, & ſenſus purget à vitijs, & virtutibus perficiat. Denique orare Deum, ut ſubtrahat concurſum ad omnem actum repugnantem voluntati ſuæ. Subtrahat obſtacula interna, ſubtrahat obſtacula externa, ſubtrahat rationem boni apparentis, ut det rationem boni veri, ut abſtrahat voluntatem, & attrahat ad illud bonum verum, ut attrahat illam ſuper omnem amabilitatem, ſuper omnem adverſitatem, ut vivam ego, jam non ego.

*Conſ. 3.* Et *gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus agam*, 2. Cor. 9 Commemorabo, quomodo Deus Unigenitum ſuum carne induerit, paſſibilem fecerit, in mundum ad Redemptionem humani generis miſerit. Fatebor Deum eſſe myſterij hujus Operatorem, in quo ſummam bonitatem, ſapientiam, & potentiam oſtendit. Gaudebo, quòd Chriſtus Pater, Dominus, ac Caput meum Esse divinum habeat, quódque ſit verus ac naturalis Filius Dei, & verus Deus unus eſſentiâ cum Patre & Spiritu ſancto; immenſas gratias agam Deo, quòd tale donum dedit Chriſto, & quia nobis illum caput dedit, ad auxilium gratias agendi. Offeram Deo omnes affectus cordis mei, opera, labores, obſequia juſtorum

storum & Angelorum. B. Virg. imò Christum ipsum. Quid tibi dabo Domine pro hoc beneficio, omnes bonas cogitationes, desideria, & opera mea? Nihil est. Omnia obsequia justorum, qui in terris degunt? Parum est. Do tibi omnem laborem, & laudem omnium Sanctorum. Parum est. Do tibi omnem Sanctitatem Angelorum. Et adhuc parum est. Do tibi omnem puritatem & merita Beatiss. Virginis MARIAE. Adhuc parum est. Do tibi omnes perfectiones SS. Humanitatis Domini mei, & offero tibi infinitam Majestatem tuam, & do affectum desiderij mei, immensas perfectiones, & omne bonum, quod tu habes, & es. Statuo tibi magno fervore servire, quia bonus & dignus es, me in mancipium tibi consecrare, cor ad amorem, ad laudem, manus ad opus. Petam, ut me Filium adoptivum faciat, & fratrem per gratiam Filij sui, & hæredem Regni sui.

## MEDITATIO CCCXLIX.

### Sabbato Domin. 1. Adventûs.

*De Abstractione ab omni creatura, ut cum Matre Virgine omnes actus mei sint Virginei.*

VIdebo Ignem, qui, ut conservetur purus, non debet conjungi cum alia materia.

Petam abstrahi ab omni creato, ut omnes actus mei sint Virginei.

*Cons.* 1. Quomodo Sapientia ædificaverit sibi domũ in corporis Christi formatione factâ in momento, quia virtus Spiritûs sancti infinita perfectissime hoc opus fecit, in quo voluit ostendere suam omnipotentiam, adeóque illibatâ puritate Divæ, unde tria mirabilia infert S. Bernard in Vigil Nativit. *Conjuncta Deus & homo, Mater & Virgo, Fides & cor humanum.*

*Cons.* 2. Ut, sicut Virgo integrâ Virginitate concepit, sic omnes actus mei sint virginei & illibati, necessariam esse abstractionem mei a me, & omnibus creaturis, tanquã spinis & tribulis, in quibus nulla integritas, nec quies haberi potest, solus Deus finis ultimus, lectus mollissimus, ad quem tendens illibatus ero.

*Cons* 3. Ad abstractionem à creaturis hæc requiri 1. fugere voluntate & proposito ab omni peccato etiam minimo, & vehementi conversione ad Deum converti, & nihil nisi in Deo, & propter Deum agere, 2. Exuere se intellectu, & affectu ab omni creatura, à cognatis, bonis temporalibus, curâ salutis, honoris, commodi, & ita ab his nudatum velle manere, ut ante tribunal Christi apparitur sum. 3. Spoliare se omni delectatione, illicitâ

illicitâ quidem actu efficaci, ut malim mori, quàm illicitè delectari; licitâ verò, eam non desiderare, quâ si carere non possim, statuam propter Deum admittere, & in Deo magis quàm in his delectari. 4. Fugere à me ipso, in omnibus Dei gloriam non me quærendo, in ijs quæ accidunt quod Deo, Christo conformius, eligendo, opprobria mihi optando. 5. Ante conspectum DEI me nihil reputabo, quod supra nihilum habeo, Dei esse fatebor dicendo, nihil sum, nihil possum, nihil habeo, velle, & posse, & operari meum a Domino accipio. 6. Reputabo me omnibus vilierem, si hoc non sentio, superbissimum me lugebo. Sentiamque, si alij accepissent à Deo quæ ego, multò magis profeciissent quàm ego. 7. Cum æquali Dei gloriâ & nullâ à me datâ occasione, eligere potiùs certum etiam quàm honorem, penuriam quàm abundantiam, amarum quàm dulce. Hæc via est ad actus virgineos & illibatos.

## MEDITATIO CCCL.

### Dominica 2. Advent.

*De quærendâ pace cum Deo, quia in Christo Spiritus unitus fuit carni.*

ASpiciam Dominum JESVM mirabiliter utraque, Spiritũ & carnem attemperantem, & unientem. Petam, qui caro sum, fieri Spiritus.

*Conſ.* 1. Quomodo D. IESVS pacificus in cordis mei intimo habitationē ſuam velit eſſe pacificam, & ab omni perturbatione liberā.

*Conſ* 2. Ut ad hanc pacem perveniam, ſtatuam 1. in omnibus me DEO ſubijcere, mandata ejus ſervare, conſilia ſequi, in proſperis & adverſis beneplacitum ejus deſiderare, peccata, quæ dividunt inter Deum & hominem, vitare. 2. Statuam, ut pacem cum proximo ſervem, idem ſapere & dicere in his, quæ bona ſunt. 3. Statuam propter amorem Dei & deſiderium pacis me in his, quæ Dei legi non adverſantur, aliorum moribus conformare, de rebus non aliter quàm prudenter loqui, ita circumſpectè converſari, ut nemo ex meis dictis aut factis cauſam perturbationis accipiat. 4. Proponam carnem Spiritui ſubijcere, cogitationes & affectiones meas & actiones ex uſu rationis, & regulis perfectionis diſponere, mea diſcutere, aliena facta ad me non pertinentia relinquere. 5. Conſtituā radices omnis perturbationis, judicium & propriam voluntatem exſcindere, ex aliorum dictis & factis non pendēre, interiori homine cū ſolo Deo vivere, ac ſi nullus in mūdo eſſet.

*Conſ* 3. Modum ad hanc unionem cum Deo perveniendi, eſſe ſumptionē SS. Euchariſtiæ, juxta D. Auguſt. Sol c. 11 *Manducans te vivam de te, vivam per te, perveniā ad te, ut ſequaſem in te.*

ME-

## MEDITATIO CCCLI.

### Feria 2. Domin. 2. Advent.

*De Aspiratione ad divinam unionẽ, quia Christus fuit Viator & Comprehensor.*

ASpiciam D. JESVM Viatorem & Comprehensorem. Petam, ut nulla via mea sit, nisi directa ad comprehensionem Dei.

*Cons.* 1. Quomodo similia facile copulentur, ut aqua & aqua, ignis & ignis. Quare si pacem cum Deo inivi, & ex carne factus sum Spiritus, Deo meo tanquam fini omnibus modis possibilibus uniri concupiscam.

*Cons.* 2. Ut ad divinam unionem aspirem desiderabo 1. unionem cum Deo mei intellectûs, & memoriæ, in quâ Deum semper habere curabo, & eum in me intuebor. 2. Uniã voluntatem meam cum Deo, actualiter illum amplexando ut summum & æternum bonũ meum, & me, ac omnia in ejus beneplacito reponendo, ita ut nihil præter eum velim aut cupiam. 3. Desiderabo unionem imaginationis cum Deo, ita ut quietam imaginatione formem imaginem lucis pulcherrimæ, vel ignis splendidissimi, vel alicujus rei similis, in quâ Deum quasi absconditum imaginer, Ut ad amorem ejus accendar. 4. Curabo tranquillè habere unionem appetituum, ita ut ad Deum imaginatione cognitum cordis moti-

bus afficiar. 5. Petam unionem sensuum exteriorum cum Deo, quæ in hoc erit, ut sensus pro illo tempore se à terrenis abstrahant, & à bono quietis animam non avertant.

## MEDITATIO CCCLII.

## Feria 3. Domin. 2. Advent.

### *De Resignatione in D. IESVM, qui fuit sine Patre & Matre.*

ASpiciam D. JESVM carentem Patre in terris, Matre in cœlis, & tamen offerentem se in manus Matris, & resignantem in manus Patris. Petam eum assequi.

*Cons.* 1. Quomodo D. JESVS non solùm suprema magnitudine & Majestate Patris in cœlo & terrâ semper sit reveritus, sed & Matri suæ semper fuerit obtemperans; dicam & ego coram eo, & quocunque gubernante me nomine ejus: Fiat voluntas tua.

*Cons.* 2. Ideo resignabo me 1. ad mortem, quando eam Dominus venire volet, & fœtidum sepulchrum voluntate Dei circumdatum, Regum palatijs & delicijs præferam. Resignabo me etiam ad vitam non ob aliud, quàm ut impleatur voluntas Dei, & in perpetuum Domino holocaustum fiam sive vivus, sive mortuus. 2. Resignabo me ad quamcunque ægritudinem & dolorem corporis juxta Dei voluntatem, ita & ad incolumitatem, quam

in

in perpetuum Dei obsequium impendam. 3. Resignabo me ad omnem infamiam, confusionem, contemptum pro gloria Dei: Item & bonam famam. 4. Resignabo me ad omnem indigentiam, penuriam, nuditatem, incommoditatem in cibo, veste, habitatione: Item ad honestam commoditatem pro Dei gloria tantùm suscipiendam. 5. Resignabo me ad habitandum in hoc vel illo loco, etiam inter extraneos & ignotos, infideles, & prout de me Dominus disposuerit. 6. Resignabo me ad carendũ omni sensibili gratia & devotione, donis ad salutẽ non necessarijs: Item ad dona Dei, non ut in eis quiescam, sed ut eorum usu magis placeã. 7. resignabo me ad omnia quæ mihi in tẽpore & æternitate accidere possunt.

## MEDITATIO CCCLIII.

### Feria 4. Domin. 2. Advent.

*De Postulatione conducibilium ad unionem cum Verbo infante & viro.*

Aspiciam Dominum infantem & virum, parva obsequia magnis præmijs remunerantem Petam ejus effici totus.

*Cons.* 1. Quomodo D. Iesus fuerit simul infans & vir, infans innocentiâ, vir à virtute, omnéque opus ejus fuerit theandricum seu Dei virile, unius ejusdémque personæ Dei.

*Cons.* 2. Ut huic Principi liberalissimo,

parva obsequia magnis præmijs remuneranti uniar, postulabo 1. ab eo omne, quod ipse est, ut eo solo fruar puro & nudo & perfecto amore. Sciens, quia, si illũ possedero, quamvis omnia alia desint, ditissimus & felicissimꝰ ero, licet omnia alia adsint eo absente, infelicissimus. 2. Exigam purissimam intellectûs mei illuminationẽ, ut Deum sapienter agnoscam ad diligendum illum: Vt sciam voluntatem ejus ad exequendam illam, & intuear vilitatem meam summam, quæ me excitet ad mei contemptum, tandem agnoscam omnes solidas virtutes, ut eas expetam. 3. Exigam perfectionẽ & ornatum meæ voluntatis per virtutes, ut eas omnes possideam, & eas in perfectissimos actus perducam, præcipuè exigam amorem, quo semper Deum diligam, & æstuantibus desiderijs in eum tendam, & non aliter, quàm radij solares à Sole, sic in omnibus à Deo pendeam, & illi inhæream. 4. Exigam cetera dona non necessaria ad salutem, liberationem à tentationibus, periculis, pressuris: Petam etiam devotionem sensibilem, & alia hujusmodi, quæ me magis gratum Deo efficiant, Sanctum & humilem, si eadem ad hoc non prosunt, despiciam.

Me-

## MEDITATIO CCCLIV.

### Feria 5. Domin. 2. Adventûs.

*De quærenda conformatione cum Verbo in carne patiente & glorioso*

ASpiciam Dominum ut ignem splendidissimum & efficacissimum, à quo possunt omnes mei defect' & imperfectiones absumi. Petam in ipsius similitudinem transformari.

*Cons* 1. Quomodo D. JESVS fuerit simul patiens & gloriosus Gloriosus propter visionem Dei; & Patiens, quia in signo primo naturam humanam accepit. 2 Naturam humanam beatificavit. 3 Beatitatem miraculosè cohibuit, ne redundaret in corpus, atque ita inquit August. lib. de bap. Parv. *Factomiraculo habuit necessitatem moriendi.*

*Cons* 2. Vt hanc conformationem & similitudinem Domini assequar, postulabo exuri in hoc igne omnem dissimilitudinem Dei, vitia, imperfectiones, inordinatas passiones, sensuum ad terrena propensionem, omnem animi impatientiam ac perturbationem. Hæc in unum fascem collecta, suspiriis & gemitibus ac contritione cordis in illum ignem, ut consumantur, proijciam. 2. Postulabo ardentissimis suspiriis, ut induar similitudine Sanctissimæ Divinitatis. 1. Puritate, quâ leviſſimos quoque defectus fugiam. 2 Sapientiâ, qua

ejus voluntatem in omnibus ad obtemperandum agnoscam. 3. Charitate, quâ ipsum ut amantissimum Patrem diligam. 4. Amore erga proximos & inimicos propter eum, ut sinu cordis mei excipiam universos. 5. Tranquillitate, ut animum in omnibus eventibus pacatum habeam. 3. Conformabo me ardentissimis desiderijs Humanitati Christi: In humilitate, quâ me despiciam, in obedientia, quâ me in omnibus propter eum omnibus submittam, Patientiâ, qua omnia adversa sustineam, Misericordia, qua omnium necessitatibus compatiar, zelo, quo Domini mei honorem desiderem. 4. Rogabo Dominum, ut à me omnia impedimenta removeat, interna imperfectionum, externa inutilium occupationum, quæ me à perfectione & unione cum ipso retardare possunt.

## MEDITATIO CCCLV.

## Feria 6. Domin. 2. Adventûs.

### *De dilectione conformi dilectione Verbi in carne viventis ac morientis.*

ASpiciam Dominum omnes diligentem, & omnium salutem cupientem, & *expectantem* à me, ut, quæ ille diligit, amem, & quæ odio habet, oderim. Petam eum assequi.

*Cons.* 1. Quanta fuerit D. IESV à primo instanti conceptionis & assumptæ mortalis

vitæ

vitæ dilectio nostri, quantumq; odium eorum, quæ nostræ saluti obsunt, quia maluit mori quàm nos pereuntes & sibi inimicos videre.

*Conf.* 2. Vt hanc dilectionem assequar debeo 1. diligere D. Jesum, sicut eum Pater diligit; & de perfectionibus Humanitatis gratias agere, eumque imitari. 2. Diligere Eccle. siam Sponsam D JESV, sicut dilexit eam ipse & Pater ejus, & velle ejus augmentum, fidelium numero & puritate, præsertim autem eam partem Ecclesiæ diligere, in qua vivo, statuens ejus profectum spiritualem magis exemplo, quàm alio modo promovere. 3. Diligere proximos, non eos temerè judicando, non in meo corde despiciendo, non illis obloquendo, nec malum irrogando, eorum dicta & facta benignè interpretando, eos mihi præferendo, laudare cùm digni, si indigni laude, tacendo & eos juvando. 4 Diligere inimicos meos, pro ijs specialiter orare, benignè eos aspicere, pacatè alloqui, bonis operibus superare. 5. Odio habere, quod Deus odio habet, peccata propria & aliena, immortificationem sensuum & affectuum. Sicut igitur D. IESVS in carne vixit & mortuus est, sic petam mori mihi „ vivere ipsi.

## MEDITATIO CCCLVI.

### Sabbato Domin. 2. Adventûs.

*De Renovatione Vnionis cum D. IESV moriente & resurrecturo.* Aspi-

ASpiciam Dominum tanquam immensum mare Bonitatis, Pulchritudinis, & Suavitatis, ut illi me immergã, aut id concupiscã. Petam renovari unionem cum eo.

*Conf.* 1. Verba D. Leonis, Serm 17 de Pass. *In tantam unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec potuerit supplicio dividi, nec morte dissolvi.*

*Conf.* 2. Vt Spes glorioſissimæ Resurrectionis in sinu meo remaneat, & post unionem hujus vitæ cum Deo, renovem in vita altera unionem cum eodem Deo; commemorabo beneficia Dei, Incarnationem Filij Dei, actiones ejus & passiones: gratias agam & Deum tanta beneficia conferentẽ redamabo amore purò, nudo, vehementi. 2. Resumam resignationem, qua in tempore & æternitate de me fiat, quod Deo placet. Postulationem qua ipsum Deum postulem à me possideri. Conformationem, qua Deo assimiler. 3. Desiderabo & petam immergi, & abscondi, & transferri in abyssum divinitatis D. Dei mei. Extendã me ad majora desideria amoris, adeo ut velim, si possem & DEO gratum esset, ex qualibet anima cœlum facere, imò ex singulis aquæ guttis, granis arenæ, & in his cœlis omnes ardentissimè Deum diligere cum omnibus dilectionis gradibus.

MEDI-

## MEDITATIO CCCLVII.

### Dominica 3. Adventûs.

### *De plenitudine Spiritûs Domini in anima Christi.*

ASpiciam D. IESV animam plenam Spiritu Sancto, quia *quod verâ ratione melius occurrit, id credendum est, fecisse Deum*, præsertim filio suo D. Iesu. August l. 3. de lib. arbit. c. 5. Petam agnoscere divitias Spiritûs Dei in eo.

*Cons.* 1. Cùm anima Christi fuerit plena Spiritu Dei, plena quoque fuit dotibus ejus, quas refert Sapient. 7. Spiritus Domini est *certus*, quia præstò adest invocatus; *amans bonum*, quia bonus est; *benefaciens*, quia bonũ est communicativum sui; *bonus* per essentiam suam: *Qui capit omnes Spiritus*; *certus*, quia est veritas; *dilucidus* quia lux est increata; *dans vitam*, quia vita est; *dans intelligentiam*, quia est verbum mentis; *dans omnibus affluenter*, *nec improperans*, *diserti*ũ, quia quos replet, Sapientes facit; *humanus*, quia nos præ Angelis dilexit; *Incoinquinatus*, sicut lumẽ sordes non contrahit, *intelligibilis*, intelligere faciens.

*Cons* 2. Reliquas dotes Spiritûs DEI, quod sit *mobilis*, nescit tarda molimina & Spiritualis est. *Multiplex*, quia multa habet: *Mundus*, quia purior Sole *Quem nihil vetat* quia omnipotens. *Omnia capiens*, quia per omnes Spiritus

ius

tus penetrat, *omnia prospiciens*, considerans, *omnem habens virtutem*, quia Dominus virtutum est. *Sanctus*, quia est origo omnis recti. *Securus* quia sine solicitudine. *Stabilis*, quia facit in proposito firmos. *Suavis*, cujus etiam jugum suave est. *Subtilis*, quia Spiritus est. *Unicus*, quia nihil aliud est quàm quod habet. Gratulabor D. Iesu has divitias Spiritûs S.

*Cons.* 3. Eundem Spiritum per S. Petrum Damianum me exhortantem: Sermon. 21. *Quærat ergo anima hunc Spiritum quo vegetante vivat, quo illustrante videat, quo docente sapiat, quo duce inoffenso amoris cursu ad patriam tendat.* Disquiram, utrum non in me qualitates sint prorsus contrariæ? Et cum SS. Eucharistia sit *Cibus Sapientiæ*, ut ait D. Cyprianus juxta illud ad Cæcil: *Qui est insipiens, declinet ad me.* Petam in communione de redundantia qualitatum Spiritûs S. fieri particeps, humiliando me cum S. Ioanne Bapt: dicente: Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiã calceamenti. Quantò minus, ut sumam Te?

## Meditatio CCCLVIII.

### Feria 2. Domin. 3. Adventûs.

### *De Sanctitate animæ D. IESV.*

Aspiciam D. IESV animam à Patre æterno canonizatam, eique propinquissimã, quia de se ipse dicit: Ioan. 10. *Quem Pater sanctificavit.* Petã ejus fieri particeps. *Cons.*

*Conſ.* 1. Ad Sanctitatem tria requiri. 1. Eſt privatio omnis culpæ. 2. Aptitudo ad merendum, 2. eſſe gratum Deo, diligíque à Deo ad conſequenda bona ſupernaturalia. Atqui anima Chriſti unita Verbo ei fuit gratiſſima, factáque eſt divina: Fuit igitur Sancta Sanctitate maximâ, quia debetur ei omnis perfectio, magna autem eſt perfectio habere ab initio omnem gratiam. Fuit Sancta Sanctitate accidentali, habituali, humana, quantũ capax erat, juxta potentiam Dei ordinariam; fuit deniq; Sancta, quia debuit nos ſanctificare, eſſéque caput noſtrum & exemplar, de cujus plenitudine nos omnes accepimus: Chriſtus enim quâ caput noſtrum Redemptor, Sanctificator, Sacerdos, Rex, Legislator & Doctor eſt.

*Conſ.* 2. Quomodo habuerit anima Chriſti omnes virtutes in actu, quia hoc perfectius eſt quàm in habitu; Omnem gratiam ſine menſurâ, indefectibilem: Dona Spiritûs Sancti, quæ à virtutibus ſunt diſtincta: quia ſunt motiones particulares Spiritûs S. & perfectiones ſimplices, nec includunt imperfectionem repugnantem beatitati vel unioni divinæ. Habuit denique omnes fructus Spiritûs S. qui in anima Domini Ieſu fuerunt perfectiſſimi.

*Conſ.* 3. Ad imitationem Sanctitatis animæ D. Ieſu deſiderabo & petam 1. animam meã

ex gratia ejus abundantem gratiam accipere, & divinę ejus gratiæ societatis participatione vestiri. 2. Mundari memoriam ab omni immunditia malarum cogitationum, à perturbatione similitudinum inanium, ab omni otiositate: Et repleri speciebus sanctarum rerum, & purissimis cogitationibus. 3. Intellectum purgari, omni errore, ignorantiâ, cæcitate, & lumine fidei ac Sapientiâ perfundi ad Deum & me cognoscendum. 4. Vacuari voluntatem ab omni sinistra intentione, adhæsione ad creaturas, à pravo amore: Impleri contrarijs. 5. Offeram Deo has animæ vires, ut illi perpetuò vacent, semper illi adhæreant, in illis conquiescat, méque illi in templũ consecrabo.

## MEDITATIO CCCLIX.

## Feria 3. Domin. 3. Adventûs.

### *De plenitudine scientiæ D. IESV.*

ASpiciam D Iesum plenum omni scientia infusâ, beatæque visionis, quia quod nos expectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione, ait Richardus lib. 2. c. 23. de Christo.. Petam partem aliquam & societatem ejus.

*Cons.* 1. Cùm ad supernaturales actiones opus sit cognitione, unde amor Dei excitetur, actionesque meritoriæ consequantur, ideo

Anima

Anima Christi fuit omni scientiâ infusâ beatâque repleta, quia erat Deum amatura super omnem dilectionem hominum, etiam in statu innocentiæ, etiam Angelorum, Viatorum & Comprehensorum.

*Cons.* 2. Scientiam D. Iesu habuisse easdē dotes, quas habet Sapientia de cœlis. sac. 3. Quæ est *Pudica*, quia casta, pura, intemerata libidine, & à quâvis iniquitate pravæ doctrinæ, erroris, vel vitij, *Pacifica* quia non seditiosa vel cōtentiosa. *Modesta*, mansueta, demissa, humilis, moderata, humana, facilis: Non superciliosa, morosa, difficilis. *Suadibilis* quia tractabilis, morigera cui facilè persuadetur, quæ facilè paret, obsequiosa *Bonis consentiens* iam bonis rebus quàm hominibus, *plena Misericordiâ & fructibus bonis*, id est bonis operibus *Non judicans* aliena dicta vel facta, nec ut superbe, fastidiosève fastidiens. *Sine simulatione*, sincera sine fuco, sine hypocrisi Petā enim è scientiā præsertim practicam agēdorū, cujus defectu tot committuntur defectus.

## MEDITATIO CCCIX.

### Feria 4. Domin. 3. Adventûs.

### *De Anima D. IESV plena gratijs gratis datis.*

ASpiciam in Domini Iesu anima omnes gratias reliquas, sicut in capite sunt omnes

mnes sensus, Petam partem aliquam earum obtinere, quibus opus est.

*Conf.* 1. Gratias gratis datas esse operationes supra naturam ad aliorum potiùs bonũ quàm proprium utiles, & sunt novem quarum aliæ spectant ad cognitionem, aliæ ad sermonem, aliæ ad operationem. 1. ad Cor. 12. 1. Est *Prophetia*, ratio prophetiæ est cognitio distantium, eam habuit Christus, quà Viator, & Comprehansor, quia vel per scientiam infusam, vel visionem beatificam scivit omnia. 2. *Discretio spirituum*, quæ est scientia secretorum cordis, vel dijudicatio inter bonum & malum Spiritũs. Christus habuit utrumque. *Ipse enim sciebat quid esset in homine.* Ioann. 3. Petam hoc donum mihi necessarium, ne in Dei famulatu erream: quia oriri tentationum à diabolo etiam contra Christũ D. fuit, quod eum putaverit spiritualium pugnarum imperitum. 3. *Interpretatio sermonum*, quæ est Lux Spiritûs S. ad penetrandos intimos sensus sermonum, quos habuit Christus, quia fecit hostes obmutescere suis responsis, Matth 22. Et interpretatio scripturarum, quæ est similis lux Spiritûs S. ad penetrandos intimos sensus scripturarum: Hanc habuit Christus Luc. 4. 4. *Sermo Scientiæ* qui est in suadendo & delectando: Hunc habuit Christus, Quia *nunquam sic locutus est homo.*

no. Ioan. 7. 5. *Sermo Sapientiæ*, quæ est in docendo: Hanc habuit Christus. *Mirabantur de verbis, quæ procedebant de ore ejus* Luc. 4. 6. *Donum linguarum*, Id oritur ex scientia & facultate naturali elevata. Id habuit Christus, qui fuit universalis & perfectus Doctor omnium. 7. *Operatio virtutum*, id est animarum justificatio, quam unicè habet Christus. 8. *Gratia sanitatum*, id est corporum curatio, quæ fuit mirabilis in Christo, solius fimbriæ attactu, solo sputo, solóque verbo curans ægrotos. Imò suscitans mortuos. 9. *Gratia fidei*, ut est indubitatus assensus: Hunc habuit Christus. Ioan. 11. *Ego autẽ sciebã, quia semper me audis.*

*Conf.* 2. Cum hæc dona possint esse in Dei inimico. Matth. 7. Petam eorum loco Charitatem, quę major est Sapientiâ, quia contemplationem continet; major intellectu, quia amor omnia melius docet. Major fide, quia transfert cor sursum in cœlum usque: major miraculis, quia mortem & inferni superat: major operationibus virtutum, quia contraria agit toti mundo; major prophetijs, quæ evacuabuntur, charitas nunquam excidet. Major revelatione secretorum cordis, quia revelat Deum; *quo ardẽtius Deum diloxerimus, certius eum videbimus*, inquit D. August. L. 8. c de Trin. penult. Major linguis, quia habet linguas igneas; major interpretationibus, quia

quia *charitas sola discernit Filios Dei à Filijs demonis.* Ait D. August. Tr. 5. in Ep. Ioann. O Amor, ô charitas, Deus meus, accende me hac charitate.

## MEDITATIO CCCLXI.

### Feria 5. Dominica 3. Adventûs.

### *De Appetitu D. IESV pleno sanctitate.*

ASpiciam D. Iesu appetitus sanctissimos sicut Crystallus inter solis radios est lucidissima. Petam sanctitatis ejus fieri particeps.

*Cons.* 1. Sicut plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, rectitudo voluntatis culpam, sic appetitus Christi excludunt omnem inordinatum affectum. Fuit anima Christi passibilis, quia separabilis à corpore, quia affectibus, sed moderatis, subjecta amori, desiderio, gaudio, odio, fugæ, dolori, iræ, timori, sed moderatè. Nullus motus rationem antecessit, quia habuit omnes virtutes morales perfectas, quarum est subijcere appetitum rationi, neque fuisset ad Incarnationis finem, assumere inclinationes inordinatas aut fomitē. Sed neque erat possibile eum capacem esse peccati.

*Cons.* 2. Qualiter ad imitationem D. IESV affectus cordis componam. 1. amorem temporalium D. Jesus despexit, & necessaria simplicissimè admisit. 2. Sine ulla prava intentione

ione Patris gloriam quæsivit. 3. Omnem undi delectationem sprevit. 4. Et desideriũ lacendi hominibus. 5. Et vanas & inutiles ogitationes. 6. Et superfluas curas in rebus gendis. 7. Amaritudinem & indignationẽ. 8. Pusillanimitatem cordis, quia omnia Patri ubmittebat. 9. Appetitum terrenæ consolationis non admisit. 10. Sine anxietate tranquillè operabatur. 11 Sine impatientia inter nsiones & contumelias. 12. Propriam voluntatem non fecit, ut Patris voluntatem impleret.

## MEDITATIO CCCLXII.

### Feria 6. Domin. 3. Adventûs

### *De carne D. IESV plena sanctitate.*

ASpiciam D. IESV corpus clarius sanctitate: quàm Sol luce. Quia *singulariter sanctum fuit, quod Virgo concepit* Bernard Ser. 4. super Miss. Petam ejus fieri particeps.

*Cons.* 1. Carnem D. JESV fuisse sanctam juxta capacitatem suam. 1. ut socia animæ sanctæ & pars humanitatis Christi. 2 Quia conjuncta Deo: sunt autem maximè sancta, quæ Deo conjunctissima, ejusque cultui dicata. 3. Quia ei debetur beatitudo, propter unionem & gloriam animæ, & hoc fuit speciale miraculum, quòd Corpus & Caro Christi fuerit privata ad tẽpus gloriâ suâ propter

nos

nos ad ostendendam veritatē Incarnationis, & ad dandum nobis exemplum passionis. 4. Quia Caro Christi sanctificatrix & vivificatrix effecta est. Fuit igitur mundissima, incapax omnis maculæ, & culpæ, & fomitis, omnisque inordinationis, & defectûs, qui indecentiam includat; sicut nec in anima Christi ullus fuit defectus scientiæ, gratiæ, vel propensio ad malum vel difficultas in bono: Sic neque in corpore fuit ægritudo, vel deformitas, quæ oriuntur ex imperfecta virtute formationis corporis, aut imperfecto regimine corporis.

*Conf.* 2. Nihilominus propter nos assumpsit in corpore defectus irreprehensibiles, quia Corpus Christi fuit passibile, mortale, grave, opacum, fatigabile, famens, sitiens, frigens, calens, & ab extrinseco languores ferens: quos defectus irreprehensibiles assumpsit in corpore, ut beneficio redemptionis accipiant corpora nostra in hac vita virtutē & auxilium, & sint organa justitiæ & sanctitatis in agendo, & sustinendo. Præterea ut accipiant bona omnia quæ sunt media ad salutem æternam utilia. Petam corpus meum corpus mortis & peccati sanctificari dicendo: Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi

&c.

MEDI

## MEDITATIO CCCLXIII.

### Sabbato Domin. 3. Adventûs.

*De bono libertatis & primo actu meritorio D. IESV.*

ASpiciam D. JESVM se Patri pro nobis offerentem. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Quomodo D. JESVS videns se Esse divinum, & unitatem Personæ assumptum verum & naturalem Filium Dei, vidit esse Caput hominum & Angelorũ, omníque creaturæ Dominum, vidit se gratiâ & sanctitate infinitâ plenum, ideóque ab omni labe immunem, omni virtute, omni sapientiâ, omni potestate, immensâ gloriâ, & clarâ visione Dei beatum: Propterea Patrem ardentissimo amore dilexit, à quo tanta bona sine meritis prævijs acceperat, eidem ardentissimas gratias egit, coram eo se humillimè dejecit, tanquam, qui ex se ipso nihil esset, nihílque haberet. Pater autem lætus dixerit: Filius meus es tu, ego hodie genui te; deinde intenderit statum miserum humanum, Justitiam suam offensam, addiderítque, ut in gratitudinis vicem homines redimeret. Ad quod de injurijs Patris ipse vehementissimè indolens, nósque intuitus, ardentissimo est amore complexus, arque Patri se pro nobis obtulit, Ad Hebr. 10. Nam Christus, ut pec-

cata auferret, veniens, & *ingrediens mundum*, per ſuam Incarnationem *dicit* DEO Patri: *hoſtiam*, ſcilicet, cruentam hircorum atque taurorum, & *oblationem*, ſcilicet, incruentam Vini, Panis, Olei *noluiſti*, ô Pater; *corpus autem adaptâſti mihi*, quod tibi in Sacrificium pro peccato offeram, *holocauſtomata non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio*, quia vidi legis Sacrificia non placere, nec illis placari te poſſe, ideo meipſum aſſumpto corpore, quod mihi adaptâſti, paratum obtuli ad faciendam voluntatem tuam, quia in ſumma, *in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Petam, quod meum eſt negligere, quod Dei ſemper reſpicere, exemplo Chriſti.

*Conſ.* 2. Quomodo in primo Incarnationis puncto habuerit actum meritorium oblationis ſui, quam cõtinuavit uſque ad mortem ſine ulla intermiſſione, & quidem ſibi ineffabilia bona, nobis verò primam gratiã, remiſſionem peccatorum, gloriam, diſpoſitionem ad eam, & omne auxilium ſufficienter, augmentum gloriæ, remiſſionem pœnæ temporalis, meritus eſt. Ipſa denique efficax prædeſtinatorum dilectio in Chriſti merita referri debet.

*Conſ.* 3. Una ex maximis gratijs viatorum, & perfectionibus eſt, poſſe mereri æterna, quod

quod donũ habet omnis Viator gratus Deo, filiobediens, & ex gratia ejus studiosè operans propter ipsum: quia ad meritum necesse est, rem esse honestam, actum liberum, personam Deo gratam, & pactum cum Deo, estque viatorem. Gratias agam pro tanto beneficio, & petam auxilia eo utendi, omniáque puríssimá intentione agendi.

## MEDITATIO CCCLXIV.

## Dominica 4. Adventûs.

### *De exuendis imperfectionibus.*

AUdiam D. Joannem exhortantem omnes, ut parent viam Domini. Petam id intellegere & exequi.

1. Debeo fugere omne peccatum etiam minimum, ut nullum sciens, volens committam.

2. Ejicere memoriâ omnem creaturam, & necessariam congruo tempore, loco, cum libertate spiritûs admittere.

3. Sensus custodire à vanitate, & otiositate.

4. Corpus servare in simplicitate, sola necessaria, ex recta intentione Deo placendi & dãdo in Sobrietate, Paupertate, Castitate.

5. Abijcere familiaritates, adhæsiones ad loca, officia.

6. Vigilare supra opera mea, ne in occasiones labendi incidam.

7. Omnibus peccatis veriſſimè odio habitis, ſenſibus & affectibus cohibitis: univerſas virtutes aſſequi, ad intimam Dei familiaritatem aſpirare, unionem ardentiſſimæ caritatis experiri. Hæc affectu ardentiſſimo poſtulabo, & ut conſequar, Davidi obſequar hortanti Pſalm. 2. *Apprehendite diſciplinam.* alia lectio habet: *Adorate frumentum*, alia: *Oſculamini Filium*, Quod faciam in ſumptione ſacratiſſimi Corporis Domini, quod caruit omni imperfectione.

## MEDITATIO CCCLXV.

## Feria 2. Domin. 4. Adventûs.

### *De Operationibus ad exemplum Chriſti perficiendis.*

ASpiciam operationes D. JESV Deo cariſſimas, ad quarum exemplum meas, ut perficiam, petam lumen, & gratiam, Ut operationes ad exemplum Chriſti perficiam 1. non diſſentiant mea cogitata, dicta, opera à Chriſti operibus, qui mihi exemplar propoſitus eſt à Patre

2. Præcepta Dei, Eccleſiæ, Prælatorum, perfectè implere, opera indifferentia ad Dei gloriam facere debeo.

3. In bonis operibus modum tenere, ut juſtè faciam juſtum.

4. Sedulò, ſollicitè, ferventer ad ſpiri-

tualia

ualia magis, quàm mundani ad sua, me rigere.

5. Nec præmio, nec pœnâ ad finem, sed puro ac recto amore tendere.

6. Extendere me ad opera supererogationis.

7. Bona promptè agere, mala æquanimiter & libenter tolerare.

8. In his omnibus ad exemplum Christi perseverare, in quo hæ virtutes fuerunt.

## MEDITATIO CCCLXVI.

## Feria 3. Domin. 4. Adventûs.

### *Quæ virtutes, ut impetrentur ab Angelis, poscenda.*

ASpiciam omnes Angelos Dei Dominum virtuosè præstolantes. Petam eorum virtutes.

*Cons.* 1. In Seraphinis charitatem, in Cherubinis scientiam, in Thronis demissionem, in Dominationibus obsequium ad imperia Dei. In Principatibus ejusdem obsequij perfectionem, in Potestatibus propulsantem vim inimicæ potestatis, in Virtutibus virtutum omnium copiam, in Archangelis fidelitatem, in Angelis sedulitatem.

*Cons.* 2. Quomodo Angelos superet Dominus Angelorum, quia amat homines, qui unde amentur non habent; ipse totus est

lux, qui solus nescit ignorantiam; Judex omnium, minoratus ab Angelis & hominibus. Patris nutum constanter in omnibus exequitur, imò & hominum; ipse Principem mundi ejecit, ipse est Dominus Virtutum, fidelis, & vigil pro omnibus.

*Cons.* 3. Accedendo ad Angelum custodem, eúmque rogando, ut mihi in cœlesti patria audientiam impetret apud 9. choros sanctorum Angelorum, coram quibus positus, & nuditatem ac paupertatem professus petam 1. à Seraphinis charitatem. 2. A Cherubinis sapientiam. 3. A Thronis humilitatem. 4. A Dominationibus Spiritûs libertatem. 5. A Potestatibus inimicorum animæ victoriam. 6. A Virtutibus profectum in omni virtute. 7. A Principatibus obedientiam Deo & Prælatis exhibendam. 8. Ab Archangelis Eidem. 8. Ab Angelis auxilium in omnibus vitæ successibus, & exactam custodiam disciplinæ.

## MEDITATIO CCCLXVII.

## Feria 4. Domin. 4. Adventûs

### *Quæ virtutes, ut impetrentur à Sanctis poscenda.*

ASpiciam Sanctos omnes cum omni virtute Domino servientes. Petam earum fieri particeps.

*Cons.*

*Conf.* 1. Quanta fuerit Patriarcharum Fides, Prophetarum Spes, Apostolorum caritas, Martyrum fortitudo, Pontificum cura, Doctorum sapientia, Confessorum obedientia, Virginum castitas, & gaudebo de tanta virtute Sanctorum omnium.

*Conf* 2. Et confitebor me coram omnibus sanctis pauperem, ægrum, ulcerosum, & quasi ostiatim ab eis mendicabo, 1. à sanctis Patriarchis Fidem. 2: A Prophetis Spem. 3. Ab Apostolis charitatem. 4. A Martyribus fortitudinem. 5. A Pontificibus sollicitudinem. 6. A Doctoribus sapientiam. 7. A Confessoribus Obedientiam. 8. A Virginibus Castitatem.

## MEDITATIO CCCLXVIII.

### Feria 5. Dominic. 4. Advent.

### *Quid præterea boni ad præparandas vias Domini cupiam.*

ASpiciam meam inopiam & necessitatem præparationis ad Domini Adventum. Petam a Domino sequentes virtutes.

*Conf.* 1. Si homo homini tam sollicitè parat competēs hospitium, cavétque, ne quidquam desit amico venturo, quantò amplius me convenit agere, ut quàm optimè ventu-rum Deum Incarnatum accipiam.

*Conf.* 2. Quàm sit mihi necessarium, ut me

Deus benignis oculis aspiciat, illuminet, inflammet, & mundet, largiatúrque mihi Fidem firmissimam, Spem certissimam, ardentissimam Charitatem, Prudẽtiam, Justitiam, Fortitudinem, ut vitijs & peccatis resistam, & pro Domino magna faciam. Temperantiam, ut in omnibus ad corpus pertinentibus modum teneam. Vt mihi det, donum Sapientiæ, quò efficaciùs divina cognoscam, & prægustem. 2. Donum intellectûs, ut intima mysteriorum penetrem. 3. Consilij, ut à Deo in omnibus movear. 4. Scientiæ, ut in omnibus, ad rationem spectantibus, agenda & vitanda cognoscam. 5. Fortitudinis. 6. Pietatis, ut Deum reverenter colam. 7. Timoris, qui me sollicitum in virtutibus faciat.

## MEDITATIO CCCLXIX.

## Feria 6. Domin. 4. Adventûs.

*Quid amplius boni ad præparãdas vias Domini cupiam.*

VIsâ necessitate præparationis, quàm dignissimè ad Domini adventum, sicut oportet, recipiendum, petam à Domino plures virtutes.

*Conf.* 1. Si Deus naturam Angelicam fuisset assumpturus, qualem apparatum non inveniissent illi Spiritus amantissimi, Sapientissimi, potentissimi, quales thronos &c.

*Conf.* 2.

*Conf.* 2. Et petam, ut Patris amantissimi gloria ubique manifestetur. 2. Vt Regis potentissimi imperium adveniat. 3. Vt Sponsi suavissimi voluntas adimpleatur. 4. A Domino providentissimo quotidianus panis præbeatur. 5. Vt Judex aequissimus dimittat debita, & charitatem concedat ad remittendum alijs. 6. Liberator fidelissimus nos casu, in tentatione & fœditate peccatorum liberet. 7. Custos fortissimus ab omnibus malis eripiat. Orabo 2. ut Deus dives in misericordia, det mihi Spiritûs paupertatem. 2. Locuples in mansuetudine det mititatem. 3 Gaudium universæ terræ spiritum luctûs, 4. Satietas animarum famem & sitim justitiæ. 5. Pater misericordissimus affectum misericordiæ. 6. Deus purissimus mûditiam cordis. 7 Deus pacis concordiam. 8. Gubernator æquissimus lætanter persecutiones pati.

## MEDITATIO CCCLXX.

### Sabbato Dominic. 4. Adventûs.

### *Quæ virtutes à Regina Sanctorum, ut impetrentur, poscenda.*

ASpiciam D. Virginem partum præstolantem, & virturibus omnibus ornatam. Petam earum fieri particeps.

*Conf.* 1. Virtutum Principem in B. V. charitatem, de qua ait B. Ildefonsus serm. 7. de

Assumpt. B. V. *Ama, & peperisti*, amore concipitur & nascitur Christus.

*Cons.* 2. Quòd etiam Christus concipiatur dolore & pœnitentiâ non semel, *sed etiam, quoties cum digna pœnitentia redierit* peccator, ita D. Anselmus Medit. cap. 2.

*Cons.* 3. Lustratis domibus nobilium Sanctorum, accedam, & ad Reginæ Sanctorum Aulam, & ab ea petam. 1. insignem humilitatem. 2. Filialem timorem. 3. Promptissimâ obedientiam. 4. Invictam patientiam. 5 Stabilissimam cõstantiam. 6. Dulcissimam mansuetudinem. 7. Benignissimam misericordiã. 8. Excellentem munditiam. 9. Pulchritudinem mentis & corporis. 10. Splendorem Sapientiæ. 11 Potentiam fortitudinis. 12. Eximiam charitatem. 13. Dulcissimam voluptatem ab ubertate domûs Dei manantem. 14. Rerum visibilium despicientiam. Harum virtutum actus B. Virgo Christum gestans in utero exercebat. Desidera boijsdem adornari in adventu Domini mei.

## MEDITATIO CCCLXXI.

## De Nativitate Domini Nostri.

VIdebo Dominum meum, ut ait S. Greg. Homil. 29. in Evang. *De cælo in uterum, de utero* mediâ nocte, ut Solis radium è Crystallo illibatè, & insensibiliter ad instar floris

vel

vel roris cadentis exeuntem,& *in* notum illud *Præsepe* repositum. quod erat in extrema parte Bethleem, ad Orientem sub rupe excisum prope civitatis murum. *Ecce, in hoc parvo terræ foramine cœlorum Conditor natus est.* inquit S. Hieronym. Epist. 17. Petam agnoscere beneficium,& gratus esse.

*Cons.* 1. Deum meum non tantùm hominem factum, sed hominem pauperrimum, extra domum patriam, extra diversorium, extra cunas, in medio hyemis, in stabulo, in præsepi, inter animalia natum, fascijs constrictum, paleis & fœno se calefacientem, præ frigore trementem, præ dolore illacrymantem, præ fame & siti ab uberibus pendentem, præ charitate nimia, quâ dilexit Patrem & me, ab ipsis cunis mori incipientem, teneriimè totis conatibus in amplexus meos nitentem, & delicatis brachijs suis stringere volentem,& benedicti oris sui halitu me vivificantem, egóne inter hæc amoris incendia nondum liquefiam, neque in ejus mores transfundar? *En*, inquit S. Bernard. serm. de Nativit Domin. *Nascituras Dei Filius, eligit molestiora* Et Petrus Damian. serm. 11. *Præsepio reclinatus legem Martyrij præfigebat.*

*Cons.* 2. Quomodo tota Divinitas mihi mittat omnem fructum sanctissimæ Humanitatis suæ, salutando me delectamentum

animæ suæ, ut loquitur apud S. Gertrudem, lib. 4. cap. 9. Et refert D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo. cap 2. *Pater, dicit: Accipe Vnigenitum meum, & da pro te: ipse Filium, tolle me, & redime te* Et Spiritus sanctus apud Hug. de sanct. Vict. Tom. 2. cap. 4. *Accipe, & redde.* Hac super re Angeli, ut ait Origen, *Gaudent venisse medicum, qui præstat, quod ipsi non poterant.* Bene igitur Bernard. serm. 3. in Cant. *Cognosce pecus, quem non cognovisti homo, adora in stabulo quem fugebas in Paradiso, honora præsepium, cujus contempsisti imperium. O præsepe splendidum, in quo non solùm jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est Angelorum.* Exclamat S. Augustin. serm. 5. de Nativitate Domini.

*Cons.* 3. Verba D. Chrysostom. Orat. de B. Philog de Venerabili loquentis: *Hæc mensæ vicem explet præsepis; nam & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fascijs involutum sicut tunc, sed undique Spiritu sancto convestitum.* Christus D. unicâ nativitate stabulum convertit in Sancta Sanctorum; in me autem tot communionibus nondum cor omnimoda munditie charitatéque repletum est. *Dominum IESVM Christum sanctificate in cordibus vestris.*

1. Petr. 3.

MEDI-

## MEDITATIO CCCLXXII.

### Die S. Stephani.

### *Quid S Stephanum ad patiendum animaverit.*

VIdebo S. Stephanum apertis cœlis ad suum exemplar aspicientem. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Quidnam in D. JESV viderit D. Stephanus, quod inter stridores dentium, fragores lapidum tam generosè passus sit, próque inimicis oraverit. Et intelligam S. Stephanum vidisse in D. JESV infantiles necessitates, quando in Conceptione venit in carcerem Mundi; in Nativitate incommoda paupertatis suscepit: in Circumcisione catenas & vincula nostra factus sub lege amplexus est: in Adolescentia & juventute, morigere obedivit: vidit D. JESV labores in prædicando cordibus lapideis, tentationes, insidias, pericula, convitia pro vigilijs, fame, siti, lacrymis, sanguine, & vita passione & morte exantlata. *O quantùm laboravit sustinens.* Exclamat S. Bernardus serm. 12. in Cantic.

*Cons.* 2. Quòd non tantùm viderit D. JESVM exemplar Martyrum, quoad tolerantiam, sed etiam quoad gloriam: Qui enim fuerat inter jumenta in stabulo, inter latrones in Calvario, jã est in cœlis ad dexteram

ram Patris, illic & Minister Christi futurus est. Talia videbat Stephanus, & lapides torrentis ei dulces fuerunt.

*Conf.* 3. An non & ego quidquid adversum lætè perferre debeam, qui non lapide, sed pane de cœlo descendente nutrior, & Christificor, de quo Tertullianus Apolog. c. 15. ait, quòd *sit Clypeus Solis*, id est, Christi, quem fuit amplexus ante pugnam mortis.

## MEDITATIO CCCLXXIII.

## Die S. Joannis.

### *De triplici præsidio servandæ Puritatis.*

ASpiciam tres Classes hominum, triplicem mansionem integritatis Virginalis habentium. Petam eos assequi.

*Conf.* 1. Primam classem virorum Apostolicorum, qui suspecta fugiunt, non suspecta rationabiliter admittunt, tentati viriliter certando vincunt, vel pœnitētia delent.

*Conf.* 2. Alteram classem eorum, qui etiam non suspecta declinant, & in eam servitutem corpus redigunt, ut videatur impossibile esse, ut spiritui resistat, è quorum numero fuit D. Joann. Baptista, & complures alij viri spirituales.

*Conf.* 3. Classem tertiam eorum, qui à Domino præventi omnem labem naturaliter

liter horrent, quandoque tamen afflicti heroicè depugnant: sunt tamen maximi in humano affectu vincendo, ut Joan. Evangelista, cujus puritas est maxima; sicut majus est flammis involutum non uri, quam in eremo sedere solitarium, & ab omni affectu remotum. Adeò dissimilis pretij est virtus impugnata à non impugnata. Plura in hunc sensum in Vita S. Gertrudis lib. 4. cap. 4. Verùm, ne hîc præsumptio, & temeritas quidquam agat, & ego tunc non victor evadam, omnis illa amicitia humana, cujus advertere potero causam, & fundamentum non esse Deum, tam necessariò super omnia mihi fugienda, quàm virus cavetur lethale, ne insinuatione sui cor attrahat & vitiet. Hinc enim omnis est lapsûs origo. Ad obtinendũ hoc magnum donum, ad sacratissimam Eucharistiam accedam, de qua ait D. Chrysost. in Psalm. 22. *Paratur hæc mensa adversus cupiditates & delectationes.*

## MEDITATIO CCCLXXIV.

## Die SS. Innocentum.

### *De 7. Visitationibus D. IESV, & nocte bene transigenda.*

ASpiciam Dominum visitantem Ægyptum. Petam visitationum D. JESV particeps fieri.

Cons-

*Conf.* 1. Domini visitationem in Incarnatione & Conceptione. Orabo & dicam, ô JESV, concipiantur omnia mea ex te.

2. In Visitatione Elisabeth. Orabo, & dicam: ô JESV, sanctifica me in veritate & Spiritu.

3. In Nativitate. Orabo, & dicam; ô JESV, da nasci tibi.

4. In Purificatione. Orabo, & dicam: ô JESV, non patiaris ullum Dagon in templo tuo.

5. In Fuga in Ægyptum, Orabo, & dicam: ô JESV, sicut superabundavit iniquitas, superabundet gratia.

6. Varié per triennium visitando homines, & curando. Orabo, & dicam: ô JESV, illumina me, & sana me, proponendo ei omnes morbos meos.

7. In descensu ad Limbum in morte uniuscuiusque, cujus beatæ visitationis particeps facti hodie Innocentes. Orabo & dicam. Vt mihi Dominus propitius sit in hora exitûs mei; ideóque Spiritum meum reddat innocentem. Quia somnus est mortis frater & imago, modum sanctè noctem transigendi discam ex S. Gertrude lib. 3. cap. 52. Quæ inquieta noctu docta est orare per quietem triplicem Christi. 1. In sinu Patris. 2. In sinu Matris. 3. In corde justi, & impetravit quietē.

Quod

Quod si quis non impetret, & post labores insomnem ducat noctem patienter, plùs infinities mihi charus est, quam qui totâ nocte sanus oraret; ut gratiùs est, cùm amicus excitatur à somno, ut cum amico colloquatur.

## MEDITATIO CCCLXXV.

## De S. Thoma Cantuariensi,

### *De consecrandis DEO injurijs etiam ignotis, etiam futuris.*

ASpiciam S. Martyrem injurias Deo sacrificantem. Petam eum imitari.

*Cons.* 2. Nullus est tantus amicus Dei, qui qui non aliquam calumniam patiatur, ut patet in B. Virg & Christo, ac sanctis viris. Et quia, ut ait D. Cyprianus lib. 1. Epist. 11. *Nemo diu tutus est periculo proximus*, ideo, ne labar, injurias Deo consecrabo, juxta illud Nazianz. in Poëm de Virt. *Patientia molestiarum decoctio*, & Theophil. in Luc. 21. *Patientiâ emitur anima.*

*Cons.* 2. Verba B. Baptistæ Veronæ. 4. part. Chron. S. Franc. O Deus meus, si mihi revelares omnia secreta tui sanctissimi cordis, & si mihi quotidie ostenderes omnes Hierarchias Angelicas, & si quotidie mortuos suscitarem, propter hoc non crederem me à te amari amore ineffabili: sed quando sentiam me à corde benefacere mihi malè facientibus,

bus, dicere bene de eo, qui de me malè loquitur, & injustè me condemnat: Tunc Pater æterne, credam per signum infallibile, quòd sim tibi verè filia.

*Cons.* 3. Tria esse remedia in ejusmodi oblatione. 1. In blandientes severitàs. 2. Strenuitas contra negligentiam. 3. Benignitas & dulcedo animi contracientes amaritudinem.

## MEDITATIO CCCLXXVI.

## Infra Octav. Nasivitat. Domini.

### *Vivere juxta Evangelium est Martyrium.*

ASpiciam Dominum JESVM, & B. M. Virginem exemplaria Evangelicæ vitæ. Petam eos imitari.

*Cons.* 1. Si quæ vis obtinet cœlum, id supremus fortitudinis actus obtinebit, qui est non in aggrediendo, sed sustinēdo, ad quem pertinet Martyrium. Sed vita Evangelica, seu Religio est bellum spiritualis Martyrij.

*Cons.* 2. Verba D. August. ser. 32 de Sanctis. *Tota vita Christiani hominis, si secundùm Evangelium vivat, crux est, atque Martyrium:* Quæ magis spectant ad pauperes Religiosos dicente S Bernardo serm 1. de Omnib. Sanctis. *Quid sibi vult, quòd eadem promissio est pauperibus atque Martyribus, nisi, quia verè*

*Martyrij*

*Martyrij genus est paupertas voluntaria.* Martyrium est Castitas, quia victoria de propria carne est victoria de ipsa morte, eò quòd caro ab Apostolo corpus mortis nominetur, ut interpretatur S. Climacus gradu 15. Martyrium est obedientia, quæ apud eundem gradu 4. dicitur mors voluntaria, sepulchrũ propriæ voluntatis, & Martyrium spirituale.

*Cons.* 3. Hinc clarè inferri, quòd vitæ Evangelicæ sit cœlum, Gratulabor Religiosis, & cum ijs interea pignus vitæ æternæ accipiam, quàm potero digniſſimè, quia de indignè accedentibus, ait D. Cyprian. serm. 5. de Lapsis. *Non cibum sibi sumit, sed gladium,* qui indignè communicat.

## MEDITATIO CCCLXXVII.

## Die ultima Anni.

### *De Signis profectûs in Scientia Sanctorum.*

ASpiciam Animam sanctam, de qua ait D. Bernardus serm. 27. in Cantic. *Cœlum est sancta Anima, habens Solem intellectum, Lunam Fidem, astra virtutes.* Ut autem cœli non sunt mundi coram Domino, sic sancti Viatores perfectionem non assequuntur, sed prosequuntur Petã agnoscere, quantum profecerim in Scientia Sanctorum.

*Cons.* 1. *Scientia Sanctorum* est vita spiri-

tualis,

tualis, cujus Magistra est Charitas, ut ait D. Chrysost. Hom. 3. ad Galat. *Perfectæ Philosophiæ magistra est Charitas*, Acquirimus hanc scientiam Meditatione, inquit idem Sanctus Hom de Vanitate vitæ. *Philosophare ergo, & contemplando conscende, quæ cælo insunt.* Proficimus in hac scientia renuntiatione rerum omnium, inquit idem Sanctus Hom. 1. ad pop. Iob pauperibus largiens *tunc humanus fuerat:* Omnibus patienter spoliatus *tunc fuit Philosophus.* Et Hom. 32. ad Cor. *Patientia est radix totius Philosophiæ*, Summa profectûs in hac scientiâ est omnibus postponi, juxta S. Paulum ad Philipp. 4. *Scio humiliari.* Et D. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 7. *Non est indocta humilitas, sed, cùm habeat sui scientiam, Laudatur.* Et S. Chrysost. Hom. 3. in Matth. cap. 1. & 8. *Minimis se annumerare, caput est totius Philosophiæ Christianæ, atque fastigium*, denique juxta D. Iustinum: *Finis philosophandi est, DEO quoad ejus fieri potest, assimilari.* Et cum eo sentit D. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei. *Bonum nostrum, de cujus fine inter Philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi cohærere.*

*Cons* 2. Memoriâ repetendo defectus anni, vitæque præteritæ, eorúmque originem, aut quòd non perceperim scientiam, hanc, aut quòd oblivioni tradiderim, aut

quòd

quòd non ad praxin applicuerim ; & docente me Domino apud D. Gertrudem, lib. 4. cap. 7. si vel paleam de terra levem, aut quidquam aliud, in unione pietatis Dei remittentis peccata faciam, Dominus mihi veniam omnium peccatorum plenariam promittit; statuam deinceps omnia sic agere ex pietate & charitate nobis omnia peccata remittentis Dei, ut ipsa triplex suum in me officium expleat. 1. Omne vitium absumat. 2. Omnia mea ad finem ultimum, laudémque Dei ordinet. 3. Omnes actus meritorios reddat. Habet Salvianus lib. de gubern. Dei. Epitaphium de quodam, qui 70. annos natus. 7. tantummodo annos vixit; quia ultimis 7. vitæ annis Philosophiæ dedit operam. Ego tot annis vivere dicar, quot Scientiæ Sanctorum studuero. Petam veniam omnis culpæ, omnis pœnæ, Præservationem ab omni lapsu, perfectionem omnis virtutis: quæ perfectæ erunt, si sine fine exerceantur, quia juxta D. Chrysost. hom. 81. in Ioann. *Vera virtus finem nescit*. Ratio est, quia nulla unquam virtus est tam perfecta in ullo mortali, quin perfectior esse possit, propterea, quòd omnes virtutes, sint virtutum divinarum participatio. Animæ subtrahitur, quod virtuti non impenditur. Talis quisque manebit in gloria æterna, qualis fuerit in gratia ultima.

MEDI-

# MEDITATIONES PRO FESTIS.

## MEDITATIO CCCLXXVIII.

### In Dedicatione Templi.

*De Beneficijs collatis in totam Ecclesiam.*

ASpiciam Dominum in Ecclesiam militantem, innumera è cœlo dona pluentem. Petam ea gratus agnoscere.

*Cons.* 1. Quòd Ecclesiam Catholicam Deus in domum elegerit, & extra eam nulli, aut notitiam plenam, sicut oportet, virtutum supernaturalium, aut media ad bene vivendum, aut aditum ad salutem æternam concedat.

2. Ecclesiæ Principem aut Caput voluit esse Christum, qui etiam ei sensum, id est, cognitionem veritatis, & motum charitatis, virtutum ac meritorum, & omnem pulchritudinem elargitur.

3. Spiritum & Animum ei dedit, Spiritum sanctum, à quo vivificamur, compaginamur, & unius corporis mẽbra cõtinemur.

4. Confert in eam doctrinam veritatis, quâ cognoscant homines Deum, seipsos, cœlestia, terrestria, præterita, præsentia & futura

fine

sine admixtione erroris, & super hanc doctrinam in omni virtute proficiant.

5. Legem Evangelicam purissimam & sanctissimam in omnibus Præceptis & Consilijs, quæ omnem virtutem præscribit, nullam imperfectionem admittit.

6. Gratiam, & abundantissima auxilia ad custodiendum hanc legem tribuit.

7. Sacramenta excellentissima, per quæ gratiæ auxilia ad omnem necessitatem in vita & morte consequimur, & sanctissimum Sacrificium, quo non aliud Deo, quàm Filij ejus corpus offertur.

8. Efficaciam orationum: Nam magna petit & obtinet Ecclesia ob Capitis merita, sentítque sibi Numen adesse in prosperis & adversis.

9. Miram pulchritudinem ex varietate, proportione & ordine statuum, & officiorum Ecclesiasticorum, quæ ejus conservationi deseruit.

10. Perpetuitatem, quâ ab initio mundi incipiens usque ad finem permanebit, & portæ inferi non prævalebunt, post diem judicij translata in cœlum ad dexteram sui sponsi sedebit, interea militantibus in Eucharistia *Tabernaculum est Corpus Christi*, ut ait D. Chrysostom. in Psal. 18.

MEDI-

## MEDITATIO CCCLXXIX.

### Die Anniversario Vocationis ad sequenda consilia Christi.

VIdebo me à seculo quasi prodigum evocatum, & seorsim priorem statum cum hoc novo conferentem; vel si evocatus sum, antequam malitia intellectum pervertit, velut in portu, quæ naufragia evasi, contemplabor Deo gratus.

*Cons.* 1. Calamitates seculi, cujus filij expositiij inter viles mundi sectatores, sub densa erudientium cæcitate, & ignorantia aggresti, virtute nudi, præsidijs ad bonum destituti, quomodo à sęvientium passionum intemperantia, curarum spinis, cœno libidinis, tyrannide ambitionis, infamia ignaviæ, incendio odiorum, tempestatibus irarum, tenebris malitiæ, carcere impietatis proscripti, egentes, spoliati, conciſi, & semivivi degunt. Gratias agam Deo, *quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.* Psal. 114.

*Cons.* 2. Fidelitatem statûs Religiosi, utpote, quòd sit plenus aureæ libertatis, à servitute peccati, & passionum erutus; plenus medijs ad obtinendum finem beatum; plenus tranquillitatis placidissimæ: ubi enim virtus, ibi pax est rationis cum appetitu; plenus meriti divitiarúmq; cœlestium; plenus

nus justitiâ & sanctitate, quia præceptis addit observationem consiliorum Christi; plenus filiatione Dei; plenus consortio divinitatis: quid retribuam Domino pro omnibus, &c.

*Cons.* 3. Quas gratias reddam Christo B. Virg. Sapientiæ divinæ, Misericordiæ Dei, Providentiæ æternæ, Angelo Custodi, Sancto Patriarchæ ordinis mei pro tanto beneficio. Et quia *SS. Eucharistia est cœna lucis*, ut ait Isichius hom. 1. de B. Virg. Petam ibidem edoceri gratitudinem, & meliorem usum talenti vocationis.

## IANVARIVS.

### MEDITATIO CCCLXXX.

### De Conversione sancti Pauli.

VIdebo Paulum, Actor. 9. ad omnia Deo se offerentem. Petam eum in conversione imitari.

*Cons.* 1. Paulum, ut de se ait abortivum, vel quia duodenario Apostolorum additus. Vel quia abortivi nocent Matri, ut ille Ecclesiæ: vel quòd natus extra tempus existente Christo jam in cœlis: vel quòd ante tempus vi, fulmine humi prostratus in momento conceptus, natúsque, eóque pervenit, quò ille Idiota apud D. Gertrudem lib 5. cap. 5. Qui rogatus, quomodo tam multa sciret, verbis D. Aug. respondit: *Deum semel inspexisse, & omnia didicisse.*

*Conf.* 2. Verba D. Pauli: *Domine, quid me vis facere?* In quibus sita est omnis nostra salus. Quia nihil melius excogitari potest, quàm sit conformitas humanæ voluntatis cum divina, omnis veri, bonique regula. *Ipsa occidit, quod fuimus, ut simus, quod non eramus.* Inquit D. Augustin. Psal. 121.

*Conf.* . Comparari hanc conformitatem. 1. Cognitione divinæ voluntatis ex præceptis, consilijs, inspirationibus, & permissione. 2. Per velle id, quod Deus vult, nolle, quod non vult. 3. Per emolumentorum incitamenta, quæ sunt pax & gaudium resignatorum in divinam voluntatem: singulares Dei ductus in omnibus: singularis animi demissio & constantia: felix, & suæ, & alienæ salutis procuratio: fastigium & culmen Christianæ perfectionis. 4. Per impedimentorum remotionem, quæ sunt propria voluntas & amor sui. 5. Per admota adjumenta, quæ sunt divinæ Providentiæ cognitio, constans in Deū fiducia, & amor artifex horum omnium. Quem, ut obtineam, accedam ad SS. Evchariſtiam, juxta illud D. Greg. hom. 21. in Evāg. *Cibum vitæ frangite, ut eum amare valeatis.*

*FEBRVARIVS.*

## MEDITATIO CCCLXXXI.

### De Purificatione B. M. Virginis.

*Quomodo me DEO in holocaustum offerre possim.* Aspi-

ASpiciam B. Virginem offerentem Patri Filium. Petam eam imitari.

*Conſ.* 1. Quomodo B. Virgo ſe ſpoliaverit re multò chariſſimâ, quando Patri æterno, filium religioſiſſimè in holocauſtum ſacrificavit magis, quàm Abraham Iſaacum.

*Conſ.* 2. Quòd id fecerit, ut legi ſatisfaceret. 2. Etſi lege non teneretur (ſicut revera non tenebatur, quia non concepit niſi divinè) tamen id facere decuit honori ſupremæ majeſtatis divinæ.

*Conſ.* 3. Quâ ratione me in holocauſtoma Deo offeram, ut nihil mei non oblatum relinquam, exemplo Chriſti & B. Virg. 1 Statuã omnem ignaviam & puſillanimitatem in via perfectionis abijcere, & animum virilem induere, gratiámque ad id poſtulare 2. Omnẽ immunditiam cordis & operis abijcere. 3. Integrum me offerre, nimirum, ut omnia mandata & ſtatuta ſervem & Domini inſtinctibus reſpondeam. 4. Vt pro beneficijs Dei gratus omnia cum amore & propter amorem DEI præſtem. 5. Hæc propter ſolam & puram Dei gloriam ut agam, habendo ſemper præ oculis Dominum Jeſum cum B. Virgine, præſertim in ſumptione SS. Euchar. de qua ait D. Thomas opuſ 58. c. 26. *Corpus Chriſti bonum & pulchrum eſt, quia bonam & pulchram facit honeſtatem morum.* Alludens ad illud Zach. c.

9 *Bonum & pulchrũ ejus frumentũ electorum* Vt quidquid boni pulchríq; habeo, Deo offerã.

## MEDITATIO CCCLXXXII.

## D. BB. Ioanne, Paulo, & Iacobo, Martyr. Iapon. Soc. IESV.

### *De Cruce.*

ASpiciam SS. Martyres corpore cruci affixos, corde lanceis per crucem transverberatos, animo cœlis ipsis superiores. Petam eos imitatione assequi.

*Cons.* 1. *Crux est vita virtutisq; propositum.* Ita D. Augustſer 32. de SS. *Tollit crucem suam qui fert quidquid molestum.* Ait idem serm. 47.

*Cons.* 2. Incitamenta ad eam. 1. gaudium sequitur mensuram boni, bonum præcipuũ est honor & gloria, sed Apostolus gloriatur in cruce, ad Galat. 6. Magnum igitur bonum est crux, magnúmque gaudium est eam ferenti. 2. Qui odit pati aut dissuadet, sathan appellatur. Matt. 16. Quis autem nolit potius calumnias pati à sathana, quàm fieri sathan? 3. D Aug. l 13. de Civit. c. 5. ait: *Omnes homines beati esse volunt, idq; unum ardentißimo amore appetunt* Sed 1. Petri 4. *Si quid patiamini propter justitiam beati Beati pauperes, beati qui esuriunt* Matth. 5. *Beatus homo qui corripitur à Deo.* Iacob. 1 Inde sequitur illud Iobi: *Inere patientem ergo Domini ne reprobes.* Addit D. Chry-

Chrysostom. sicut corpus dicimus beatum quod potest sine sui offensione ferre frigus, calores, inopiam, &c. Sic beata est anima, quæ viriliter fert, quidquid molestum acciderit. ita ille Hom. 1. ad pop. & 6.

*Conf.* 3. Crucis varietatem; est publica in bello; privata cuiusque; mala nocenti, sed piè toleranti bona ob causam bonam, mente bonâ, gratiáque divinitus datâ, tolerata. A Deo, a dæmone, *si mortuus est diabolus, mortui sunt persecutores*, ait S. Augustin. in Ps. 117. ab homine. Conculcavit me homo. Psal. 55. A se ipso, infelix ego in corpore, in anima. Est crux, quæ me invenit; est crux inventa, dolorem inveni. Has omnes bene fert, qui patienter, hilariter, constanter, grate tulerit. Sic fecerunt hodierni martyres. Crux melior est parata à Deo, quàm sponte electa. Ipsa est lignum vitæ, &, ut ait Richardus à S. Laurentio de Laud. B. Virg. cap. 12. *Lignum vitæ Christus Dominus, qui viventes efficit Sacramenti sui participatione.*

## MEDITATIO CCCLXXXIII.

### De S. Matthia.

*Perimus, quia volumus.*

VIdebo, quomodo in arcano Dei consilio æterno lata sit sententia de unoquoque, sed prævviso fine vitæ promulganda mihi, &

omnibus, nec mutabilis, & quidem, si à morte deprehendar in crimine fatali, quia verò crimen voluntarium fuit, perditio erit ex me. Petam agnoscere, quanta habeam à Deo auxilia salutis, & ijs cooperari.

*Cons.* 1. Quanta Deus beneficia conferat peccatori. 1. Patientissimè eum sustinet, & ad multa ejus flagitia multis annis silet. 2. Benignissimè vocat peccatores, Concionibus, exemplis Bonorum, inspirationibus, terroribus, prosperis & adversis, si revertantur misericordissimè admittit. 3. Si iterum vel millies à se per peccatum fugiant, millies vocat, nunquam redeunt, quin admittantur, nec unquam expelluntur. 4. Dat illis omnia necessaria auxilia, ut convertantur, & salvi fiant. 5. Si aliquid boni faciunt, non despicit, non contemnit, sed ex eo occasionem invitandi, & convertendi eos sumit. 6. Temporalia illis non negat, imò sæpe honoribus, divitijs & voluptatibus eos cumulat. 7. Post vitam vitiosè actam multos eorum in morte salvat, & efficacissimis auxilijs è laqueis diaboli educit. Verum itaque est illud S. August. Epist. 105. *Quibus Deus misericordiam non impertit, ne impertiatur, merentur.*

*Cons* 2. Visa tanta hominis ingratitudine quàm justè malos puniat Deus; odit enim omne vitium, & amat virtutem, nullámve

sine

sine præmio relinquit, sicut nullum malum impunitum, cum furore & judicio culpam & pœnam æquitate metiens, ut quantùm quis in delicijs fuit, tãtùm recipiat tormenti, & quæ mali converterunt ad iniquitatum instrumentum, Deus convertit ad pœnæ cumulum. Corpore deliquerunt, corpore comburentur: Intellectum ad temporalia converterunt, intellectu & conscientiâ accusabuntur, tempus in peccato consumpserunt, in æternum punientur. Adeóque efficit, ut justitiæ suæ serviant ad pœnam, qui voluerunt subesse ad culpam, ex me igitur erit perditio mea. Cùm ea sint dona Dei, quæ decent ingenitam regiam, imò divinam liberalitatem, ego verò pro ingenita mihi rusticitate, hæc aliter non suscipio, quàm sicut decet vilissimum depravatorem. Deprecabor Deum meum Eucharisticum, JESVM carbonem ignitum, ut det gratiam gratitudinis pleniorem, præsertim, cùm dignitas immaculati corporis ejus mereatur, ut præsentes ad gratiã redeant, etsi damnandi sint, uti dixit S. Gertrudi lib. 3. cap. 9.

## MARTIVS.

## MEDITATIO CCCLXXXIV.

### De S. Josepho.

*De facili ad summam sanctitatem via.*

ASpiciam D, Josephum, omnis sanctitatis exemplar, & semitam compendiosam cæli. Petam ejus fieri discipulus.

*Cons.* 1. Perfecta justitia seu sanctitas *est omni scelere libera perfectaque, & penitus incoinquinata munditia*, ita D. Dionys. Areopagit. lib. de divin. nom. cap. 12. de S. Joseph. est in historia oriental. apud Grat. lib. 3. Vitæ S. Joseph. *Ioseph Pater meus* (inquit Christus Dominus) *erat in extremo gradu justus: quia in omnibus actionibus suis quærebat solummodo honorem & gloriam Dei*, unde patet D. Iosephum fuisse plenum sanctitate.

*Cons.* 2. Illam causalem, propter quam D. Iosephus fuit in extremo gradu justus, *quia in omnibus actionibus suis, quærebat solùmmodo honorem & gloriam Dei.* Quomodo eam quæsiverit, revelavit Dominus S Brig. lib. 6. cap. 59. Quòd semper solitus sit dicere, *utinam vivam, & videam adimpletam voluntatem Dei.* Addit Dominus per B. Virginem loquens B. Brigittæ. *Totum desiderium ejus fuit obedire voluntati DEI: ideo nunc gloria ejus magna.*

*Cons.* 3. Hac via sanctam Gertrudem ascendisse ad ineffabilem sanctitatem, de qua Filius DEI initio vitæ ita loquitur: cùm nemo hodie vivat, qui per puram intentionem, bonámque voluntatem, & veram fidelitatẽ,

mihi

mihi vicinior atque conjunctior sit, quàm illa, ego quoque ad nullam animâ in carne degentem majori favore inclinor, quàm ad animam illius. Gratias agam Deo, quòd in Religione mea hæc sit tessera: Omnia ad majorem Dei gloriam. An verò in omnibus solummodo gloriam Dei quæram, ex D. Bernard. conijciam ex 3. classe servorum Dei. *Primus* (inquit ille in Ps. 270.) *Servus est, & timet sibi: Secundus, Mercenarius est, & cupit sibi: Tertius Filius est, & defert Patri.* Petam beneficio sacratissimæ Eucharistiæ ad hunc gradum admitti. Ut sicut per vitrum viride omnia viridia, sic per Christum D omnia nō tantùm apparenter, sed deificatè faciam.

## MEDITATIO CCCLXXXV.

## De S. Ioachimo.

### *De fructu capiendo etiam ex malis.*

*Conf.* 1. Quòd S. Matthæus inter Majores Christi meminerit vitiosarum, Thamar, Bersabeæ, Rahab Chananeæ, & Ruth gentilis: Causam dant SS. Ambr. & Hieron. Quia id requirebat veritas historiæ. 2. Quia Christus venit peccatores salvos facere.

*Conf.* 2. Causam dat S. Chrysost. ut ostendatur vanitatem esse gloriari de majoribus, eorúmque nobilitate: Quia vera nobilitas

dependet ab actionibus virtutum, non majorum, sed proprijs.

*Consf.* 3. Causam quartam ex Menochio. Quod non sit sanguis tam sincerus, nec familia tam illustris, quæ non habeat in præsenti, vel in præterito aliquam maculam, vel infectionem vitij, aut ignobilitatis. Discam ex virtuosis actionibus aliorū imitari, quod potero, ex vitiosis dediscam, quod videro.

## Meditatio CCCLXXXVI.

## De Annunc. B. Virgin.

### *De puritate & humilitate B. Virgin.*

VIdebo Angelum venientem ad parvam civitatem Nazareth, sitam in monte, in Galilæa minore 6. milliaribus distante à monte Tabor. Petam agnoscere duos sanctitatis fontes puritatem & humilitatem.

*Consf.* 1. Puritatem cordis esse sanctitatis principium, quæ est causa, cur Deus oculis mentis videatur. Suprema custodia puritatis oritur. 1. Ex continuo gratiæ influxu. 2 Ex delectatione in Deo, quia gustato spiritu desipit omnis caro. 3. Ex scripturæ divinæ frequentatione. *Ama scripturam, & carnis vitia non amabis, inquit Hieronym.* B. Virgo fertur ab Angelo reperta in lectione Isaiæ, ejus Spiritus exultavit perēniter in Deo salutari suo. Omnes cordis illius motus excitabantur, & vivifi-

vivificabantur gratiâ,& Spiritûs sancti influ-
xu continuo, ideo dicitur gratiâ plenâ, quæ
omnem labem non aliter, atque fel à corde
projecit. Imitabor eam per actionẽ puritatis.

*Cons.* 2. Alter fons sanctitatis est humilitas,
quâ Deus magis delectatur, quàm devotione
aut aliâ virtute, ut sponsus magis optat in-
tueri vultum, manúsque Sponsæ, quàm chi-
rothecas & monilia, ut loquitur Dominus S.
Gertrudi: lib. 3. c. 18. B. Virgo naturam hu-
manam usque ad Deum exaltatam subjecit
infra se, nominando se Ancillam Domini,
cùm Mater esset, quia debuit suo Filio sum-
mè assimilari, sed in Christo fuit abyssus hu-
militatis, eum igitur Diva imitari debuit, &
ego Divam actionibus humilitatis.

*Cons.* 3. Qui semel communicat huic (in-
quit Dominus lib. 3. cap. 53. D. Gertrudi)
Ego me ipsum tribuo ad salutem cum o-
mnibus bonis, quæ continentur in thesauris
meæ divinitatis pariter & humanitatis. De-
siderabo Dominum suscipere in Unione il-
lius amoris, quo Deus homo factus est pro
nobis. Ideo B. Virginẽ imitabor, quæ Virgi-
nitate placuit, humilitate cõcepit. *Magnum,
quia Virgo; magnum, quia Mater; majus, quia
utrumque; maximum, quia, cùm tota sit,
putat se nihil esse.* Ait
Beda hic.

# MAIVS.

## MEDITATIO CCCLXXXVII.

## De SS. Philippo & Iacobo.

### *De Via ad Domum Dei.*

ASpiciam illam ad cœlum viam plusquam lacteam, doctrinam & exempla Christi; referta multis, omnis ætatis hominibus præsertim Apostolis. Petam per hanc viam ambulare.

*Cons.* 1. In Domo Patris mei mansiones multæ sunt. Quales sint illæ mansiones, in quibus Regionibus, inter quos deliciarum agros, totum, quod delectat continentes; aviditati inexplebili cordis humani sufficientissimos; quò confluet tumor omnium affectuum meorum; ubi in Deo satiati stabilientur. O quale solstitium æviternum, ubi dilecto Deo unietur intimè, quasique incorporabitur anima, illic voluptuosa cellaria divinæ charitatis mero inebriantia, apotheca ex aromatibus humanitatis Christi, bellaria ex fructibus Passionis, mirabile pulchrum ex splendoribus Sanctorum, quod Angelica & humana omnis potentia, si conferretur in unam scientiam, nec unico verbo verosimili explicare posset.

*Cons.* 2. Via ad illas mansiones est, qui dicit; Ego sum via; D. Iesus, via docendo,

via

via exemplis præeundo, via patiendo: Nam præ ineffabili labore, quo propter nostram salutem fatigabatur, viam se nominat, nihil enim viâ minùs quietum, nemo eam non premit, quantis oneribus gravatur via, die ac nocte ab obvijs quibusque: & Dominus meus, ut me cœlo inferret homini se subjecit, substravítque pedibus Iudæ: præterea quas non ærumnas pertulit! jugo meo supposuit humeros suos, meæ fami obtulit carnem suam, siti meæ venas suas porrexit, deliquijs meis substituit spiritum suum, mortíque meæ donavit vitam suam.

*Cons* 3. Quid me felicius, quàm si huic viæ adhæream, quid infelicius, quàm si ab ea digrediar! Petam per merita, & intercessionem sanctorum Apostolorum, & sacratissimæ Evchariſtiæ sumptionem incorporari in viam viventem, ut explicat Lyranus ad Hebr. 10. *Initiavit nobis viam viventem. Christus in Sacramento Altaris via vivens offertur, quia ducit ad alteram vitam.*

## MEDITATIO CCCLXXXVIII.

## De Inventione S. Crucis.

### *Septem Mysteria revelata à Christo Nicodemo.*

AUdiam noctu loquentem Dominum Nicodemo, eumque mira docentem. Petam eadem assequi,

*Cons.*

*Conſ.* 1. Myſterium primum à Domino revelatum amoris ſui erga nos. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret,* quibus verbis aperit cauſam humanæ ſalutis, Dilectionem Patris: quia, ut ipſe ait apud D. Gertrudem, bonitas mihi ingenita eligit melius. Melius autem eſt ſalvari hominem, quàm perire. Decernam imitari Dominum, & amore ejus ſemper in omnibus eligere melius. Sive, ut loquitur D. Bonavent. lib. 2. ſtimul. amor. cap. 17. *Semper, & in omnibus facere, quod eſt magis honorificum Deo, conforme Chriſto, afflictivum ſibi.*

2. Sincerè ſcire volentem, docuit Dominus Deitatem ſuam: *qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cœlo* Quod explicat Ioannes Baptiſta ibidem. *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt,* ſeu Patri æqualis.

3. Pandit Nativitatem ſpiritualem, ex aqua & ſpiritu. Qui hinc non renaſcitur, ira Dei manet ſuper eum.

4. Docet Paſſionem ſuam, & Crucem, exaltari oportet Filium hominis. *Ut omnis, qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Si qui credunt in Crucifixum, non pereũt, multò minus perit, qui crucifixus eſt.

5. Reſurrectionem ſuam. Crux enim Chriſto gloria facta eſt quia mors ejus eſt cauſa vitæ æternæ Chriſto & nobis. Ergo

quantum

quantum in medico est, sanare venit ægrotum, ipse se interimit, qui præcepta medici servare non vult. Quis ejus, qui non vult uti salute, miserebitur.

6. Docet ascensionem, & reditum suum ad cœlum, *Nemo ascendit ad cœlum, nisi, qui descendit de cœlo, &c.* Ut, si quis sine veste de monte descendat, & assumptis vestimentis ascendat, idem verè, qui descendit, ascendisse se dicitur.

7. Docet judicium. *Qui autem non credit, jam judicatus est.* Novit enim Dominus, qui ad coronam, & qui ad flāmam permaneant. *Cuique tentatio propria crux est*, inquit Dominus S. Gertrudi lib. 3. cap. 30. Quam inventam, qui Christi sunt, ferunt. Toto affectu complectar Crucem velut clavem, unde 7. sigilla sunt aperta: Sapientia Dei Dignitas animæ. Vanitas mundi. Atrocitas inferni. Beatitas cœli. Horror culpæ. Honor virtutis. Ita D. Bonavent. apud Ludov. de Ponte, Tr. 2. cap. 14.

## *IV NIV S.*

## MEDITATIO CCCLXXXIX.

### De B. Aloysio.

*De tribus prærogativis B. Aloysij.*

ASpiciam B. Aloysium angelicum primâ ætate vocatum, omni fœdâ contagione liberum,

liberum, sine distractione cum Deo agentem. Petam ad ejus gratiam pertingere.

*Cons.* 1. Deum & dæmonem, quàm maximè initia appetere. Deum quidem ea velle esse ferventia, dæmonem autem velle esse vitiosa; Deum velle ea perfici: dæmonem non cessare primam, quam intulit, culpam augere: Deum velle securitatem & perseverantiam in bene cœptis, quæ habetur, si initia sint sine vitio, & quò maturiùs, eò feliciùs cuilibet resistitur malo principio; dæmonem autem sicut dissentientibus sibi, debilis formica est, sic consentientibus leone fortiorem evadere. Quare, cùm sibi Deus animam B. Aloysij prælegisset, notat Bellarminus noster in oratione de B. Aloys. unam singularem fuisse ejus prærogativam, quòd statim sub initiũ primi usûs rationis, ad Deum vocatus sit. Quò autem hac gratia major est, eò districtiùs judicabuntur, quotquot in sæculo à lapsu præservati, postmodum in Religione naufragantur: quam rationem inexcusabiles isti reddent Deo?

*Cons.* 2. Alteram B. Aloysij prærogativam: Fuisse eum liberum ab omni fœda cogitatione, ut supra citatus Bellarminus de eo affirmat. Magnum hoc donum est Dei, quod mihi Dominus si dedit, quas ei gratias reddam; quia non fecit taliter omni nationi:

quòd

quòd si bella premant hostilia, quomodo adhuc sentinam corporis mei, cor & caput afficientem in servitutem non redigo.

*Cons.* 3. Prærogativam B. Aloysij tertiam fuisse, quòd caruerit distractionibus in oratione, ut idem testatur Bellarminus. De quo beneficio ait S. Bernard. cap. 25. de interiore domo. *Non invenitur inter cæteras artes liberales, ars ista præ alijs liberalis, quâ teneatur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est.* Addit tamen idem, artem contra distractiones, & lubricitatem esse amorem. Serm. 39. O *Amor Dei, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cetera, contemnis omnia præter te, te contentus,* &c. Hunc amorem petam in sacratissima Eucharistia, quem ibidem vel accepit, vel auxit B. Aloysius, trium dierum præmissâ præparatione, & sequente tot dierum gratiarum actione, quoties communicabat.

## MEDITATIO CCCXC.

## De sancto Ioanne Baptista.

*Fuit unus ex tribus Sanctis DEO summè charis.*

ASpiciam sanctum Joannem Baptistam Deo charissimum, Ducem Christi gloriosissimum vexillo instructum, dæmoni formidabilem. Petam mores Sancti assequi.

*Cons.*

*Conf.* 1. Tres Deo summè placuisse, diabolo summè displicuisse. B. V. S. Joannem Baptistam. S. Magdalenam. Ut revelatum D. Brigittæ lib. 4. c. 108. Dæmones enim ad ortum Divæ territi videbant omnes suos laqueos sicut stuppam rumpi, omnem malitiam sicut putridos funes dissolvi, omnem immunditiam sicut fœnum rescindi, omnem mundi delectationem faciliùs, quàm scintillam à torrente aquarum extingui. Ad conversionem B. Magdalenæ pinguis prædæ nec posse, auderéque aspectum ad eam figere, adeo lacrymis lota fuit. Ad ortum S Joannis Baptistæ fuisse se confusos, quia omnem superbiam contemnebat, ad divitias oblatas occiput verterat, ad voluptatem insensibilis & quasi mortuus erat.

*Conf.* 2. Causam post Dei gratiam tantæ sanctitatis non fuisse, quòd corpori suo venenum pro cibo, spinas pro indumento dedissent, vel quòd jacuissent in tumulo formicarum; sed quia 1. animam ut Dominam, corpus ut servum habuerunt. 2. Nihil dilexerunt sicut Deum. 3. Nihil facere voluerunt contra Deum. 4. Nihil eorum omittere voluerunt, quæ erant Dei.

*Conf.* 3. Verba S. Joannis Chrysost. de S. Joanne Baptista, expectabat Christum, noverat esse venturum, *oculi ejus nihil aliud di-*

*gnaban-*

*gnabantur aspicere* ! ô saltem ego in sacratissimo Sacramento nihil aliud monte aspicerem, cum revera quidquid Deus non est, vel ad Deum directum, non sit vel unico actu amoris dignum, præterquam, quòd non sit in homine particula ullius affectûs, quæ Deo non debeatur infinities.

## MEDITATIO CCCXCI.

## De SS. Petro & Paulo.

### *De Officio boni Pastoris.*

ASpiciam duo luminaria, duas olivas, duos oculos mundi, duo ubera, geminas manus Christi, duos montes sicut Sinai lucentes fumantésque petras, Apostolorum Principes. Petam eos assequi.

*Cons.* 1. Boni Pastoris esse, quod infirmum consolidare, quod ægrotum sanare, quòd confractum alligare, quod abjectum reducere, quod perijt, quærere. Ut ait Ezech. cap. 34. Sit pietate Mater, disciplinâ Pater, ait D. Gregorius de cura Pastorali. Debet medicamenta providere & ornamenta, inquit D. Augustin. hom. 26. inter 50. Denique vulnera curare, abluere sordida, reparare perdita, & quæ sunt integra spiritualibus margaritis ornare. Atque, ut Dominus ait, & fecit, animam dare, quem imitari sunt sancti Apostoli, & Principes Apostolorum,

ad

ad quorum imitationem me ita hortatur D. Chrysost. hom. 66. ad pop. *Tu neque Paulo melior es, neque Petro, qui nunquam remissionem assecuti sunt*, in amando, operando, & patiendo pro Deo & Proximo. *Nudi sæculo, induti Christo*, ut ait idem hom. de Pentecost.

*Cons.* 2. Et cum Diva Gertrude requiram à Domino, ut cùm absim à tanto zelo, & perfectione Apostolica, quásnam ego oves pascere possim, unde summam dilectionem Domino demonstrem, & audiam responsum lib. 4. cap. 45. pasce agnos tenerrimos mihi dilectissimos. Cor tuum pasce divinis meditationibus, in laudem Dei, bonum proximi. Os salutari loquelâ. Oculos sacrâ lectione, aspectúque piarum imaginum & Crucifixi. Aures utili auditu & acceptione reprehensionum. Manus continuis exercitationibus juxta vocationem. Horum studium summæ dilectionis erit exhibitio.

*Cons.* 3. Quonam modo fieri possim particeps tantæ dilectionis, & intelligam tribus id modis assequi me posse. 1. Fatendo me ejus indignum. 2. Fiducialiter sperando. 3. Imitando, imò sumendo in Venerabili, ipsam dilectionem & charitatem.

*IVLIVS.*

## MEDITATIO CCCXCII.

## De Visitatione B. M. Virginis.

De

*De ineffabili B. M. Virginis gratia.*

ASpiciam cor B.M. Virginis instar thimiamatis effusum in laudem Dei propter ea, quæ accepit à Domino. Petam DEVM laudare cum ipsa.

*Cons.* 1. Quòd B. Virgo laudes Deo reddat, dum ipsa laudatur, totum quidquid haberet, assueta in Deum semper reflectere, & 1. laudat Deum propter beneficia particularia collata Animæ, corpori & passionibus, spiritui, menti, rationi, voluntati, quòd respexerit humilitatem, vilitatem, puritatem, abjectionem ancillæ suæ. Ex hoc deinceps me omnia futura secula tot altaribus, sacellis, templis, cõgregationibus, Religionibus, processionibus, concionibus, invocationibus, votis beatam dicent, quia fecit mihi magna, in hoc verbo inclusa sunt omnia. quo fatetur, se explicare non posse, quod capere potuit ab Omnipotente & Sancto.

*Cons.* 2. Quomodo B. Virg. laudet Deum propter beneficia communia, quæ secundo loco ponit, tanquam inferiora. Quàm potens Deus in vindicta sumenda de impietate & injustitia, & superbia, non solùm in una persona Nabuchodonosore, Salmanasar, sed in integris nationibus, quas depressit, Cananæos, Amorrheos, Amonitas, Philisteos, aliàs Sauli substituit Davidem humilem,

lem, Amano Mardochæum modestum. Esurientes per Angelum, Danielem per Abacuc, satiavit, divites autem dimisit inanes, qui egnerunt & esurierunt.

*Cons* 3. Quòd B. Virgo rursum ad particulare beneficium redeat cõmemorandum, & Deum propterea laudandum. Quòd Israëlem servum & filium susceperit misericordiæ suæ non oblitus, sicut promisit Adę, Abrahę, Davidi, quòd eos non à Romanorum, sed à duriore dæmonis tyrannide liberaturus sit perenniter. Quando Deus suos magnificat, facit magnos opibus, honore, donis, gratijs, idque agit amore benevolentiæ; nos autem quando Deum magnificamus, nõ possumus, nisi amore cõplacentiæ, celebrare ejus majestatem, omnipotentiam, sanctitatem, sapientiam, bonitatem. Et adhuc sim difficilis, ad hoc saltem Deo reddendum? quin imò hostiam insuper laudis Eucharistiam immolabo, & cum Diva conscendam festinanter superiora virtutum, ut ait D. Ambrosius. *Quid enim Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet?* in cap. 2. Luc.

## MEDITATIO CCCXCIII.

## De S. M. Magdalena.

### *De bono Dilectionis & Devotionis.*

Aspiciam

ASpiciam Magdalenam projectam ad pedes Domini dilectione & devotione diffluentem. Petam eam in his imitari.

*Conf.* 1. Qui se tota dilectione Deo dant, quod sæpe fit unico actu heroico renunciationis suæ, exinanitionis atque victoriæ, quâ de se hodie triumphat S. Magdalena, tales inquam curæ Deo esse triplici jure creationis, redemptionis, & specialis electionis atque dilectionis. Et amans ex toto plus valet apud Deum pro vivis atq; defunctis salutē orans, quàm non amantium millia duodena. Ita ipse Dominus D. Gertrudi l. 4. c. 55. Imò anima toto corde conversa ad Deum, & integra voluntate supplere volens omnem defectum honoris Dei, in blanditijs amoris accensa sic placet Deo, ut propter quinque tales Deus parceret toti mundo. ibid. lib. 3. c. 30. In B. Magdalena se vincente tantus fuit amor, ut à Domino multus dicatur. Conflictuq; peracto anima ejus deinceps ab illa hora liquefacta est. Pro cujus conversione, qui in dies gratias Deo agit, non morietur sine actu contritionis, inquit Dominus S. Mechtildi.

*Conf.* 2. Quòd devotio in B. Magdalena dilectionē auxerit. Si enim charitas est gemma, devotio est ejus fulgor, si illa balsamum, hæc ejus fragrantia, si illa peccatum fugat & timorem, hæc est vapor pellens dæmonia septem

ptem, id est omnia, & definitur quòd sit quædam promptitudo mentis & affectûs, qua res divinæ libenter suscipiuntur, & delectabiliter cum sapore quodam exercentur. Est devotio effectus meditationis, cui quærendæ ibidem insistendum, & quia est donum Dei studiosè peti debet. Cui ut vacaret Magdalena, triginta annis desertum incoluit.

*Cons.* 3. Quòd frequentatio SS Eucharistiæ devotionem perficiat, ideo D. Paulinus epist. 4. devotionem S. Magdalenæ adscribit communioni, *osculis* (inquit) *sugentibus prælibavit vivificum panem*, hunc & ego manu, ore, spiritu, tenebo, stringam, prælibabo, & gratiam devotionis, & deinceps plenæ dilectionis, meique exinanitionis, (hæc enim se invicem consequuntur) impetrabo cum Magdalena, quæ *non quæsivit sicut Cananea micas, sed ipsum Panem Vitæ amplexa est.* Ita D. Chrys. serm. de Magdal.

## MEDITATIO CCCXCIV.

### Die S. Iacobi.

### *De remedij contra defectibilitatem humanam.*

ASpiciam filios Zebedæi animosos, sed nisi majori gratiâ suffultos, defectibiles velut folium in omnia mobiles & defluos. Petam simili gratiâ præmuniri.

*Cons.* 1.

*Conf.* 3. Quàm multi cum duobus filijs Zebedæi, optant esse proximi Christo, insignibus ejus indui, calicem bibere, & in momento aliter sentiunt ad levem displicẽtiam, ignem è cœlo mitti volunt, de majoratu contendunt, relicto Jesu diffugiunt. Deplorabo defectibilitatem humanam.

*Conf.* 2. Causam tantæ defectibilitatis esse corpus aggravans animam. Ut via floribus strata duret, debet iterari florũ sparsio, quia ibi non crescunt flores, sicut in hortis. Ut transplantatæ arbores fructificent, specialî curâ opus est. Quòd proposita non servemus causa est, quia sunt partus spiritûs prompti, non autem carnis infirmæ. Hinc non, quod volo, bonum, hoc ago. Ad Rom. 7. Frigus, quia connaturale est aquæ, semper cum ea manet; calor, quia violentus, non manet, nisi igne admoto.

*Conf.* 3. Remedium huic malo esse specialis gratiæ subsidium; ex parte verò nostra majora facienda, ut serventur minora. Et semper ascendendum, sive per myrrham pœnitẽtiæ, vel thus orationis, vel aurum virtutum, lucémque boni exempli. Petam quàm ferventissimè tria in sumptione Eucharistiæ: ordinari appetitus inordinatos, roborari defectibilitatem meam, & sublevari me ad eam mei renunciationem,

ut nunquam amore mei quidquam velim, sed amore Dei omnia.

## MEDITATIO CCCXCV.

### Die S. Annæ.

### *Quomodo fieri possimus Gazophylacium* DEI.

ASpiciam D. Annam, Venerabilem DEI Matris Parentem, velut arcam testamenti, in qua reclusum est omne Dei bonum nostrumque solatium. Petam assequi partem aliquam gratiæ ipsius.

*Cons.* 1. S. Annam dici ab Angelo apud S. Brigittam, serm. 10. Omnipotentis Dei gazophylacium, quia ipsius thesaurum, super omnia sibi amabilem, in suo utero recondebat. Si ubi thesaurus, ibi oculus, jugiter DEVS huic thesauro oculos suæ Majestatis infixit.

*Cons.* 2. Ideo B. Annam in Parentem Matris Dei, & aviam Christi Domini electam; quia sicut aquila eligit pro nido suo arborem maximè proceram & solidam, sic Deus, cui omnia nota & aperta sunt, dum universa conjugia honestissima, quæ à primi hominis creatione deinceps fieri debebant, prospiceret; nullum simile *Ioachim & Annæ conjugio in omni divina charitate & honestate providit*, idcirco ei placuit de hoc sancto

conjugio

conjugio, honestissimæ suæ Matris corpus, quod per nidum intelligitur, generari, in quo ipse cum omni consolatione dignaretur quiescere. Ita Angelus ibidem.

*Cons.* 3. S. Annam plus aliquid habuisse, quàm Joachim, ut ait S. Vincentius Ferrerius, serm. 2. de Nativit. B. Virgin. Anna habuit majorem participationem cum Virgine Maria, quàm Pater. Sicut fasciculus violarum plus redolet in eo, qui diu eum portat, quàm in eo, qui solum tangit. S. Anna verò tulit B. Virginem in utero, & post nativitatem lactavit, manibus gestavit, exosculara est. Unde discã, quòd si major B. Virginis cultor fuero, magis me adoptandum, ut efficiar gazophylacium Dei, & Paradisus Domini JESV Eucharistici. Sicut ait D. Thomas opusc. 58. c. 31. *Eucharistia facit animam quasi paradisum.*

## MEDITATIO CCCXCVI.

## De S. Ignatio.

### *De Victoria sui.*

ASpiciam S. Ignatium illustre exemplar Victoriæ sui, omnia virtutis obstacula, amorisque proprij fructus, ramos & radicem, absumentem, sicut solent ad odorem ignis lina consumi. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Sicut absente calore naturali omnia mortua sunt, sic D. Ignatius amorem

proprium ejecit, ut nihil ejus superesset. Et quidem 1. Victoriæ sui gradus est amoris proprij *lethales fructus* pœnitentiâ resecuisse. Quæ sui Victoria licet sit infima, in sancto Ignatio tamen mira fuit, ut ipse docuit 1. gradu humilitatis. *Vt ne mundi quidem totius ablato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine objecto transgrediar ex deliberato mandatum vllum divinum.* Id, quod exercuit; quia peccatum esto non esset vetitum, admittere noluit. Quæ conditionata spem dæmoni aufert, qui ultimam tentationem conditionatam proponere solet hanc: si esset licitum vellémne? si adhuc nolo, tunc de me vincendo desperat.

*Conf.* 2. Alteram victoriam sui esse illorum, qui *amoris proprij ramos* seu passiones domant & coërcent, est hæc major sui victoria, sed in B. Ignatio multò maxima, qui duas origines mali, amorem & dolorem domuit. De amore domito, loquitur Maffæus in vita B. Ignatij inquiens: *Qui nihil habebat humani, quo animam posset relaxare.* De domito dolore legitur in Bulla Can: *Quòd lætitiâ perfruebatur, dum irrisiones, opprobria, confusiones injurias, persecutiones pateretur.* Qui secundus est gradus humilitatis.

*Conf* 3. Tertiam & supremam victoriam sui esse illorum, qui radices ipsiusmet amo-

ris

tis proprij evellunt per Dei amorem purum, quod S. Ignatium feciſſe in Canonizat. ejus ita teſtatur Cardinalis Monti. *Ignatius in Deum caritatem adeò puram in ſuo corde aluit, retinuitque, ut etiam ſuiipſius amorem à ſe prorſus amandaret. In quo amoris argumento Martyrum, ac multorum renovavit exempla Sanctorum.* Conformiter doctrinæ. 3. gradûs humilitatis. Et quia amor Dei nunquàm eſt ſine amore proximi, quantum dilexerit ſalutem proximi conſtat. S. Franciſcus Seraphicus ſui causâ ſe in nivibus volutavit. S. Ignatius ad tentationem in alio extinguendam, in gelidas undas inſilijt. Alij Sancti in terris mira tulerunt in ſalutem proximi, S. Ignatius cœlum ſibi differri paratus fuit, dummodo peodeſſe poſſet proximo. Quem actum charitatis, dubitat S. Bernard. eſſe in Angelis, ſerm. de S. Mart. Medium ad hanc victoriam ſui, eſt cognitio Dei, ſuíque, ut refertur lib. Canonizat. S. Ignat. cap. 8. Quòd poſt raptum dixerit: *Dominus meus, & Deus meus, amor animæ meæ. O ſi homines te agnoſcerent!* certè imitarentur; quia *gloria magna eſt ſequi Dominum*, Eccleſ. 23. Petam per ejus merita mediante ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptione: de qua ait Nicetas in vita S. Ignatij Martyris, quòd ſit *cæleſtis carbo, gratiæ radios ſpargens*; cognitionem DEI,

meique, dolorem de peccatis meis, abstractionem affectûs à terrenis, desiderium vivum cœlestium, diligentiam, verum solidúmque profectum in omni virtute, præsertim victoria mei.

## MEDITATIO CCCXCVII.

## De S. Laurentio.

### *Tres Virtutes sancti Laurentij miraculis majores.*

ASpiciam S. Laurentium virtutibus illustriorem, quàm flammis, inter quas sibi fuit præsentissimus. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Virtutem miraculo majorem esse Eleemosynam, D. Chrysostm. ad pop. hom. 36, *Hæc major est gratia, quàm mortuos suscitare, esurientem pascere Christum; his enim ipse Deo debes: eleemosyna verè Deum habet debitorem.* Id præstitit sanctus Laurentius facultates Ecclesiæ in pauperes distribuendo ante martyrium.

*Cons.* 2. Alteram virtutem miraculo majorem esse conversionem peccatoris, ita S. Gregorius lib. 3. dial. cap. 17. *Majus est miraculum prædicationis Verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quàm à carne mortuum resuscitare: in isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima æternum victura.* Id præstitit S. Laurentius in carcere

conver-

convertens homines, in quem, ut ipse perverteretur, fuerat inclusus.

*Conf.* 3. Tertiam Virtutem miraculo majorem esse patientiam, *signa Apostolatûs meî facta sunt super vos in omni patientia*, inquit Apostolus 2. ad Cor. 12. præponit patientiam, postponit prodigia, quia sequitur *in signis, & prodigijs, & virtutibus*. Pati sponte est honorificum, quia à Christo honoratum: pati, quod evadere non possumus, DEO est tam gratum, ut humanitùs nequeat discerni, quid sit gratius sponte, vel necessitate pati; est enim hoc sanctificatum verbo Christi in extrema necessitate constituti, orantisque *Pater, si fieri potest, &c.* Ita Dominus S. Gertrudi lib. 3. cap. 70. Imò, qui compatitur alteri, particeps fit meriti illius, ut si pannus intingatur in crocum, quidquid cum panno intingitur, coloratur. Excelluit S. Laurentius in craticula in omni genere patientiæ. Cujus meritis & intercessione petãmus illustria virtutum exempla imitari, præsertim in tentationum flammis, præsentiam mentis, Deique non amittere: ad quem sumendum in Venerabili, accedo vario tribulationum igni expositus Viator, & *Eucharistia est cibus viatorum, non civium*, inquit sanctus Villanova de Venerabili.

## MEDITATIO CCCXCVIII.

### De B. Staniſlao.

*Quibus vijs tam citò iſte Sanctus evaſerit,*

ASpiciam B. Juvenem ætate, ſenem virtute, ex Novitio Palatinum cœleſtem, Petam eum imitari.

*Conſ.* 1. Quomodo B. Staniſlaus deſiderio Vitæ perfectæ generis nobilitatem, ampliſſimáſque facultates negligens, Societati Jeſu nomen dedit, multis ante obſtaculis ſuperatis, in eáque religioſi inſtituti tenaciſſimus intra octodecim menſes diſciplinæ exactæ brevi exemplar factus, præſertim, quòd dives pauperrimus, nobilis humillimus, juvenis caſtiſſimus, ſui Victor acerrimus. Quid agerem, ſi ijſdem ad Sanctimoniam medijs eſſem præditus?

*Conſ.* 2. Quomodo à puero JESV cum ejus Matre ægrotans Novitius meruit viſitari, & antè à duobus Angelis, præſente S. Barbara Martyre, cœli pane refici. Spectans favores iſti ad centuplum, quod Deus ſuis adhuc in hac vita elargiri ſolet, ut nos amplius excitet ad deſiderium vitæ perfectæ.

*Conſ.* 3. Tres operationes Dei in anima fieri ſolitas, dum eam in morte ad ſe vocat. 1. Eſt ſenſus gloriæ, quo Deus Pater animam ad ſe

ad se vocatam replet. 2. Sensus gaudij, quo eam accipit Filius. Tertia operatio est sensus ignei, nullíque mortalium perceptibilis amoris, quo Spiritus sanctus animam sibi unit, & cum dilecta in cœlum fugit. Ità Dominus patefecit S. Gertrudi, lib. 1. cap. 4. Et expertus est B. Staniſlaus præcordia Dei amore flagrantia pannis in aqua frigefactis refrigerare coactus. Petam aliquid caloris ejus in sacratissima Eucharistia, idque petam per lacrymas Beati, divinæ dulcedinis vi expressas, & per ipsum cibum Angelicum eorundem manibus allatum, ut quem à Beatissima Virgine Deum oblatum brachijs suis gestavit in terris, ego in cœlis eo fruar.

## MEDITATIO CCCXCIX.

## De Assumptione B. Virginis.

### *De Gloria B. Virginis.*

VIdebo B. Virginem divinâ virtute Dei absorberi, sicut fervidus Sol stillam roris exsiccat, & in cœlum transferri, ac super Angelos exaltari. Petam agnoscere ejus gloriam, eíque magis servire.

*Cons.* 1. Quòd B. Virgo sit assumpta hora 3. Matutina, postquam pridie in Deum absorpta, & tam copiosè divinis influxibus superfusa fuisset, ut ab ea cum impetu resilierint in modum stellarum lucentium radij

charitatis & gloriæ, quos Sancti colligebant, quia ex superabundantibus meritis Divæ gaudium hauriunt Beati: ita Dominus S. Gertrudi lib. 4. cap. 4.

*Cons.* 2. Affectum, quem B. Virgini Dominus exhibuit è corpore exeũti maximum, ut ipsa ibidem revelavit lib. 5. cap 2. fuisse: *in hoc*, inquit, *magis delectabar, quia tam securum refugium, Fili mi, in ulnas tuas habui.* Cujus causam addit Dominus, *hoc Mater mea pro eo accepisti, quòd toties dolorosis suspiriis Passionem meam in terris recolueris.*

*Cons.* 3. Aspiciendo Divam super omnes cœlos exaltari, cui festivè gratulantur Angeli. 1. Propter dignitatem Matris Dei, quâ nihil est in creatis sublimius. 2. Propter puritatem Virginitatis, cum Maternitate, neutram alteri adversam. 3. Propter exemptionem ab omni peccato. 4 Propter gratiam super omnes Angelos & Sanctos. 5 Propter virtutes perfectissimas, dona & prærogativas super omnes Sanctos. 6. Propter continuationem meritorum, ut semper mereretur. 7. Propter conversationem cum Filio DEI per totam vitam, quem parvulum gestavit, cui in omni necessitate providit. 8. Propter coronam Virginitatis, Martyrij & Doctrinæ, quia Virginum antesignana, gladius pertransijt animam ejus, Apostolorum Magistra exstitit,

exstitit. 9. Propter abundantissimam gloriam animæ & corporis, quâ super choros Angelorum, & super omnem creaturam est exaltata. Distribuam hæc per Novem choros Angelorum, quibus comitantibus accedam ad sanctissimam Evchariſtiam, ut innitar super dilectum, Dilectam suam ita alloquentis: *Quàm pulchra es, ô decora in deliciis.* Cant. 3. Quasi diceret interprete D. Thoma, opusc. 58. cap. 26. *Delicato cibo & potu Corporis Christi, & Sanguinis enutrita, facta es multum decora, & idcirco grata* DEO, *& chara.* Orabo fieri DEO charus per intercessionem B. Virginis. Quàm idcirco DEVS de præsenti sæculo transtulit, ut pro peccatis nostris apud DEVM fiducialiter intercedat. Ita orat Ecclesia in Vigilia Assumptæ Virginis.

## MEDITATIO CCCC.

### Pro tota, & infra Octavam Assumptionis B. Virginis.

### *De Natura Contemplationis, & ad eam media.*

VIdebó, quòd vocatus ad contemplationem si ire negligat, idem agat, quòd Vocatus ad serviendum mensæ Regis, si abeat ad stabulum equis purgandis: è contrario non vocatus, se tamen ad contem-

plandum applicans, accedit ad mensam Regis, qui ei ministrare deberet: donum enim contemplationis nemo habet, nisi, cui donatum est. Ita Dominus D. Gertrudi lib. 3. cap. 44. Ad quam B. Virgo, cùm sit vocata, eam velut aquilam & solem suum contemplandum intuebor.

*Cons.* 1. Contemplatio est liber perspicax, & certus intuitus Dei, ac rerum cœlestium admirationem inferens, in amorem desinēs, atque ex amore procedens: dicitur intuitus, quia non est opus rationis discurrentis, sed opus intelligentiæ, veritatem absque omni discursu simpliciter inspicientis. Qui perspicuus est, quia non à Fide, sed à dono sapientiæ procedit, aliisque Spiritùs sancti donis adjuvatur.

*Cons.* 2. Gradus contemplationis. 1. Est intuitio veritatis, quâ simplici quodam intuitu, absque discursu veritas videtur, idque vel per species à sensibus acceptas, vel per infusas, vel per lucem quandam intellectum confortantem. 2. Est secessus animæ ad interiora, quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora recipitur, ut ibi cogitet & amet, & ab exterioribus elongetur. 3. Spirituale silentium, in quo anima videt & audit Dominum, ipsa verò nec intellectu, nec affectu loquitur, aut petit. 4. Est quies,

jucun-

jucunditas quædam voluntatis nihil quærentis, nisi sic in Deo perseverare. 5. Vnio est illud donum, quo Deus in intimo animæ clarissimâ luce se illi præsentem ostendit, cum suo erga eam amore & intuitu. 6. Auditio loquelæ Dei, quæ purè percipitur in intellectu mentis. 7. Spiritualis somnus est ille gradus amoris vehementis, qui præ suo fervore operationem intellectûs expellit, aut certè eam tam simplicem relinquit, ac subtilem, ut eam anima minimè advertat. Quod facit somnus circa hominem exteriorem, hoc iste circa interiorem. 8. Extasis elevatio mentis in Deum, cum suavi abstractione à sensibus exterioribus ex magnitudine ipsius elevationis procedens. 9. Raptus est abstractio, quædam violenta à sensibus, per quam mens ad divinorum inspectionem & amorem elevatur. 10. Apparitio Christi ac Sanctorum corporea. 11. Apparitio eorundem imaginaria. 12. Visio intellectualis, quæ est manifestissima rerum cœlestium ostensio, soli intellectui objecta. 13. Visio Dei in caligine est cognitio illa, quâ transcursis omnibus creaturis, & relictis omnibus similitudinibus mysteriorum, etiam supernaturalium, in Deum, ut incomprehensibilem, & nobis incogitabilem ferimur, & eo quasi pelago infinitæ essentiæ, quam ignogamus,

ramus, penitus absorbemur. 14. Admiranda manifestatio Dei, quâ se Deus revelat, neque in caligine, neque in sua claritate, sed alio modo ineffabili. 15. Visio clara & intuitiva Dei, quæ est Comprehensorum in patria.

*Conf.* 3. Requisita ad contemplationem, 1. Natura quieta & placida: naturæ enim inquietæ, durę, & cordis ad externa propensi activæ sunt. 2. Peccatorum etiam minimorum fuga. 3. Vitiorum peremptio. 4. Vsus mortificationis quorumvis excessuum, maximè elationis. 5. Omnimoda nuditas affectuum terrenorum, etiamsi habeant speciem pietatis. 6. Negotiorum & occupationum externarum moderatio, quâ effusio in res externas cavetur, non actiones officij & statûs intermittuntur. 7. Omnium virtutum, sed præcipuè humilitatis studium. 8. Puritas vitæ, quæ comparatur cogitationum tranquillitate, vacuitate à vanis discursibus, & affectuum perfectâ mortificatione. 9. Perseverantia in oratione mentali, non omittenda propter ariditatem, aliáve impedimenta. 10. Discreta cura salutis corporalis. 11. Divina specialis ad contemplationem vocatio, & gratia. 12. Præsentia Dei, quæ tribus modis cogitari potest. 1. In imagine sensibili, si Christum Dominum in omni loco & opere, quasi præsentem & aspicientem intueamur,

mur. 2. Conspiciendo oculis fidei sanctissimam Trinitatem, aut ipsam divinam Naturam nobis præsentem, & omnia nostra considerantem. Juvatur quis in hoc modo, si se centrum cogitet, Deum sphæram, cujus circumferentia terminum nullum habet, si se ut atomum cogitet, Deum lucem omnia replentem. Spongiam immēso mari circumdatam. Pupillam in oculo, sonum in aëre. 3. Deum intra nos intuendo nostri curam habentem, & in nos bona sua effundentem, Templum Dei sumus, psallereque in cordibus nostris Deo nos jubet Apostolus. 13. Continuata oratio. 14. Statutis horis orationi quietæ vacare, & in ea cognitioni Dei tam per affirmationem, quâ Deo omnes perfectiones in creaturis repertas tribuimus: quàm per negationem, quâ Deo subtrahimus eorum limitatam perfectionem, omnémque imperfectionem: prior modus respondet picturæ, alter sculpturæ, cognitioni, item per opera naturæ, gratiæ, gloriæ, per sacram Scripturam.

*Conf.* 4. Fructus contemplationis sunt 12. 1. Efficit, ut Dei sanctitatem imitemur. 2. Vitiorum radices evellit. 3. Affectus ordinat. 4. Judicium, & propriam voluntatem abnegat. 5. Tentationes superat. 6. Virtutes perficit. 7. Opera expolit. 8. Intentionem rectifi-

rectificat. 9. Sensus utriósque colligit. 10. Adversa libenter sustinet. 11. Pacem & tranquillitatem infert. 12. Curat proximos ad omnem profectum juvare.

*Cons.* 5. Cautela opus esse, & perpetuâ circumspectione in usu cõtemplationis. Cavendum videlicet, ne diuturniore motu, vel proximo desimus, vel inaniter efferamur, vel curiositati obsequamur, vel denique valetudinem lædamus, juxta illud Cant 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* His enim ni prospiciam, Deum à me avolare faciam, cui ejusmodi indiscretio, vel incuria valde displicet. Ita SS. Ambros. Gregor., Bernard. hîc.

## MEDITATIO CCCCI.

## De S. Bartholomæo.

### *De Oratione attenta, & modo.*

ASpiciam S. Bartholomæum, quem quidam putant Natanaëlem, centies de die, centies de nocte flexisse, & meditatione ad illam fortitudinem ascendisse, ut velut prudens serpens pellem dederit, quo caput suũ Dominum JESVM, conservaret in se. Petam gratiam orandi attentè.

*Cons.* 1. Quomodo ad bene orandum me impellat mea paupertas & indigentia, cœli divitiæ, unde omne bonum emanat; imò ipse

ipse infernus ad orandum attentè me urget, quia dæmon visus est omnes syllabas in officio, præcipitatè omissas notare, ut est apud S. Gertrudem lib. 3. cap. 32. Quid eo infelicius, quàm cui oratio fit in peccatum, & quomodo audiri me sperem, qui me ipsum non audio?

*Conf.* 2. Adorandum attentè juvari me memoriâ Domini JESV, qui cor suum Patri pro nostro distracto, sicut & manus perforatas pro lapsibus earum offerre se fatetur. Ibidem cap. 41. Præterea juvari me devoto aspectu imaginis Christi, unde velut è speculo divini amoris radij suscipiantur, & in corde renoventur. Denique juvari me oratione interruptâ, sed frequentatâ, exemplo Ascetarum in Thebaide, & S. Bartholomæi, qui centies per diem, & nocte vicibus totidem genua flectere consuevit, saltem toties de die mentem ad Deum per actus virtutum elevare potero.

*Conf.* 3. Solatium à DEO S. Mechtildi datum contra distractiones in oratione, præsertim non voluntarias, ut finitâ oratione dicatur cum Publicano: DEVS propitius esto mihi peccatori. Nam si hoc actu veniam gravium peccatorum ille adeptus est, quidni ego distractionum? Petam majorem in susceptione SS. Eucharistiæ collectionem & devotionem.

S Ex-

## SEPTEMBER.

## MEDITATIO CCCCII.

### De Nativit. B. Virg.

*De constantia in bene cœptis, & modo.*

VIdebo Divam inter duas divinæ legis tabulas fascijs involutam. Petam constanter adhærere DEO.

*Cons.* 1. Constantia, & ad diligenter aliquid efficiendum perseverantia oritur ex gaudio de re, quam quis agit; nunquam enim fatigamur in executione actionis, quam cum lætitia & gustu facimus. Neq; unquam distrahimur ab eo, quod vehementer amamus, & cujus præsentia valde gaudemus. Beata Virgo recens nata habuit intellectum illuminatum à Deo, & repletum veritatibus æternis, illum esse beatissimum Viatorem, qui occupatur in Deo, qui ejus quærit amicitiam, qui Redemptori est charissimus, qui quàm maximè abest ab omni labe, qui quàm plurima meretur, qui nullum habet in se affectum tam parvum, quem non Deo impendat, & superimpendat propter infinitum, quod Deo debet, obsequium. Ideo constans permansit in adhærentia Dei, cui initio Immaculatæ Cõceptionis suæ adhæserat; quia amabat & gaudebat in ijs. quæ Dei sunt.

*Cons.* 2,

*Conſ.* 2. B. V. faſcijs adhuc involutam, infantulam jam rationis compotem, viſis varijs familiæ domeſticæ defectibus, conſtantiam ſuo Deo dicantem, usámque verbis illis: Quis poterit me ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESV, &c. tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? certa ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit me ſeparare, &c.

*Conſ.* 3. Et petam hanc conſtantiam, & cauſam ejus, amorem & gaudium eorum, quæ DEI ſunt; ut ſicut vehemens calor liquefacit glaciem, eámque quaſi à propria natura dimovet, ut effluat per terram, eam imbibat, & cum illa quaſi unum fiat; ſic vehementi Dei, eiúſq; Legis amore fit, ut anima quaſi diffluat & abſorbeatur, imbibátq; Deum, & unum efficiatur penitus cum Deo in ſumptione ſacratiſſimi Sacramenti.

## MEDITATIO CCCCIII.

## De S. Matthæo.

*De duplici pulſu, quo hominum corda movet Chriſtus.*

VIdebo Dominum miſericorditer Publi-

ca nup-

canum Matthæum vocantem. Petam simi-
lem gratiam assequi.

*Cons.* 1. Quòd, sicut nullus sensus potest pulsum interrumpere, sic Christum Dominũ à sequentibus pulsibus cordis, nec cœli, nec terrâ dimovere possint; quia incessanter peccatores primò ad justitiam, deinde justos ad perfectionem excitat & urget, ut ipse testatur Divæ Gertrudi lib. 3. cap. 51.

*Cons.* 2. Quòd primus in corde Christi pulsus operetur salutem peccatorum tripliciter. 1. Quia sine intermissione alloquitur Patrem pro reis. 2. Quia fraternâ fidelitate reos excusat, & Sanctos suos ad orandum pro eisdem impellit. 3. Ipsos etiam reos ad orandum & convertendum se ad Dominum incitat, orátque ipse, Cantic. 2. *Sonet vox tua in auribus meis*, vox confessionis miseriæ tuæ & peccatorum tuorum; vox orationis & suspiriorum ad me, vox laudis & fiduciæ, quâ cor meum oblectetur, recreetur, vulneretur.

*Cons.* 3. Alterum pulsum, pro justis ad perfectionem adducendis, etiam esse triplicem. 1. Dominus virtutum alloquitur Patrem ad gratulandum sibi de membris incorporatis. 2. Alloquitur Sanctos suos similiter. 3. Alloquitur & justos ipsos ad profectũ eorum. Utrúmque in se expertus est S. Matthæus: auscultabo, quo pulsu me Dominus Eucharisticus excitet. MEDI-

# MEDITATIO CCCCIV.

## De S. Michaële.

### *De felicitate Angelorum, & noſtra propter eos.*

ASpiciam cœleſtes ſpiritus innumerabiles eâ formâ, quâ eſt ipſe Spiritus ſanctus viſus in ſpiritu & igne. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus & miniſtros tuos ignem urentem,* Pſalm. 103. Petam agnoſcere felicitatem eorum, & meam propter ipſos.

*Conſ.* 1. Quomodo Deus pro converſatione noſtri det auxilia interna & externa, ut in tantis periculis æternæ ſalutis conſtituti, conſervemur contra omnes hoſtilitates ſathanæ, inter alia verò auxilia eſſe Angelos Dei.

*Conſ.* 2. Quomodo Angeli Dei ament bonum noſtrum. 1. Quia Angelis ſuis DEVS mandavit de te, qui cùm ament DEVM, ament & nos. 2. Propter nos, quia opus illis habemus auxiliaribus. 3. Propter ſe, ut impleatur numerus Electorum. 4. Propter dæmones, ne habeant hunc guſtum in deprædatione noſtri. 5. Niſi nos cuſtodiant, nomen Angeli perdunt, quod eſt nomen officij, non naturæ.

*Conſ* 3. Beneficia Angelis collata à DEO. 1. Quòd eos fecerit natura immortales, incorrupti-

corruptibiles. 2. Quòd eorum intellectum perfecerit sapientiâ, quâ Deum quoad naturalia, aut honorem naturæ cognoscunt. Voluntatem virtutum rectitudine, qua nihil mali admiserunt, potentiâ robustissima, qua ad nutum cœlos, & omnia corporalia movent motu citissimo, quo se in nictu oculi, ubi volunt, constituant. 3. Quòd hanc naturam gratia exornaverit, ab omni culpa exemerit, Fide, Spe, Charitate, & omnibus supernaturalibus virtutibus expoliverit, meritis virtutum expleverit, brevi duratione aptos ad beatitudinem effecerit. 4. Quòd gratiam juxta perfectionem naturæ, gloriam juxta mensuram gratiæ & meritorum impertiverit, in cœlo collocaverit, absque experimento miseriæ ad beatitudinem extulerit. 5. Quòd eos innumerabiles fecerit, summóque ordine in tres Hierarchias distinxerit, summa pace fœderaverit. 6. Quòd quosdam sibi assistere fecerit, alios ministrare, alios inferiorem mundum gubernare, alios homines custodire. 7. Quòd meum Angelum custodem omnibus his donis exornaverit, & ejus ministerio suæ misericordiæ divitias in me effuderit, & mihi ad sanctissimā Evchariſtiam accedenti comes est, cum innumerabili multitudine Angelorum, qui velut atomi circa solem suum circumvolitant.

OCTO-

# OCTOBER.

## MEDITATIO CCCCV.

## De B. Borgia Soc. IESU.

### *De tribus Actionibus hominis DEO dicati.*

ASpiciam B. Borgiam, percalcato gustûs & honoris idolo, anhelantem velut cervũ ad compensandum, quod neglexit in seculo, obtinendum, propter quod se dicavit DEO. Petam agnoscere actiones ejus.

*Cons.* 1. A quò æternam vitam, Christique Passionem meditando agnovit B. Borgias, ex illa fructum retulit non peccandi imposterum, ex hac D. JESVM amplius amare, imitarique decrevit. Et quia vitam Religiosam ajebat esse mortem quotidianam 24. vicibus iteratam; ut exemplo doctrinam suam confirmaret, parum ei fuit quotidie semel mori, nisi continuè sibi moreretur.

*Cons.* 2. Quanto se odio persecutus sit; quia qui sibi displicet, Deo placet; Deus enim amat virtutem, & præsertim humilitatem ac veritatem. Displicet sibi, qui se agnoscit servum inutilem; ideo B. Borgias quatuor sibi titulos ordinariè dabat: bestiæ, peccatoris, dæmonis, nihili negans se dignum terrâ, aêre, vitâ, existentiâ.

*Cons.* 3. Quantâ asperitate in se sævierit, dum

dum sanguinem verberibus, lachrymas præ dolore, odióque sui tam copiosè elicuit, ut à S. Ignatio cohiberi debuerit. Subinde aquam culinæ ore hausit in lebetum exertione. Sputa in faciem ab alio projecta lætus excepit: & quia morbos mortificationi prætulit, quòd plus haberent doloris, minúsque amoris proprij; expertus est morbos ipsis medicis incognitos, in quibus amariores medicinas deliciosè masticabat.

*Cons.* 4. Quomodo honori renunciaverit: quia septies oblatum Cardinalatum toties rejecit. Sub pedibus Judæ habitavit: domum suam infernum pretio peccatorum comparatam dixit. Rogatúsque à dæmone apparente, ut se coram eo confunderet, annuit, quòd propter unicum peccatum dæmon sic cruciaretur, cùm ego, inquit, tot commiserim; lætúsque propterea moriebatur, quòd sibi DEVS dedisset vitam humilem, & mortem actu Obedientiæ perfectam: nam à Gregorio XIII. missus ad Principes conciliandos, morbo correptus est lethali.

*Cons.* 5. Si B. Borgias ad tantam sanctitatem evectus est mortificatione, & meditatione sæpe ad sex horas productâ, occupando se primis duabus horis in sui accusatione & despicientiâ, & quotidie sanctissimam Eucharistiam frequentando (de qua inquit S.

Gertr.

Gertr. lib. 13. cap. 70. *Impedit delicias Domini, qui à communione arcet*) eò vicinior ero in cœlo B. Borgiæ, quò minùs ab ejus imitatione abfuero.

## MEDITATIO CCCCVI.

### Die SS. Simonis & Iudæ.

### *De mundi vanitate fugienda.*

ASpiciam sanctos Apostolos re & affectu sublunarium contemptores, instar cœlestium Regum, illimes ab omni fæce terrena. Petam eos imitari.

*Cons.* 1. Sanctos Apostolos de mundo non fuisse, quia mundum, & omnia, quæ in mundo sunt, despiciebant, quia non secundùm mores mundi vivebant, quia mundus eos persequebatur, quia Deum diligebant: ita interroganti Judæ Thadæo, Joann. 14. *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei, si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum &c* S. August. hîc. *Causam quærit, quare non se mundo, sed suis manifestaturus sit? Respondet autem Dominus, quia hi diligunt, illi verò non diligunt.*

*Cons.* 2. Si mundus persequitur Bonos, præstat mundum nôsse, quam experiri: quod serò est, sapere. Agnoscitur autem, si aspiciatur mũdus, quòd sit aër infectus, & nocivus,

fumus sulphureus, qui tumorem animi, fœtorem concupiscentiæ, & ardorem pœnæ secum habet: quòd sit mare mortuum, ubi abyssus alta superbiæ, plena solicitudinis, immunditia, cura carnis, de qua bibentes sitiunt amplius, & lippientes oculi graviùs infirmantur. Mundus est domus tenebrosa pauperum æternorum; est navis, spirituum immundorum ludibrium, est Jordanis transvadandus, cum propheta, ut audiantur secreta Dei: denique *ruit mundus, si ruit, quare non migras?* inquit D Augustin serm. 9. de Temp. *Si tibi architectus diceret ruituram domum tuam, nónne priùs migrares, quàm murmurares? Structor mundi tibi dicit, ruiturum mundum: & non credis?*

*Cons 3.* Hinc inferri me beatum, dum à mundo persecutionem patior: Deo enim simillimi efficimur, si in operibus habeamus perversores, quia Christus detractores habuit, Apostoli persecutores. Quod ut obtineam, inquit S. Augustin. suprà: *Leva cor in cælum, ne computrescat in terra, consilium est ejus, qui te vult salvare, non perdere.* Ut quasi piscis extrahar è mari mundi, adibo escam Eucharisticam, *hamum ferreum habet in esca, id est, verum Deum in carne vera*, inquit

Rupert. Abbas de Divinis officijs lib. 4. cap. 19.

NO-

# NOVEMBER.

## MEDITATIO CCCCVII.

## Die Omnium Sanctorum.

### *De septem Fontibus beatitatis.*

ASpiciam Ecclesiam triumphantem in cœlis, & militantem in terris, utriusque statum inter se comparando. Petam ex hac transire ad illam.

*Cons.* 1. Finis sermonis Domini in monte est, impellere ad heroicas virtutes propositis beatitudinibus septenis, in quarum unaquaque duplex est actio; una in hac vita, quæ dicitur meritum, quia est laboriosa, ut patet per singulas discurrendo; altera in vita æterna, quæ dicitur præmium, ubi erit fructus laborum, juxta illud S. Ambr. de S. Laurent. *Beatitudo hic præparari potest, possideri non potest.* Beatitudines sunt operationes donorũ Spiritûs sancti. Timor Domini operatur paupertatem spiritûs; qui enim illum habet, non vult magni fieri, neque in se, neque in alijs, sed in solo Deo, cui perfectè se subijcit. Pietas operatur mansuetudinem, quia aufert obstacula. Scientia operatur luctum, quia ostendit creaturas nobis esse in tentationem. Fortitudo operatur famem & sitim justitiæ; fortis enim est animi, justitiam non tantùm facere, sed sitire. Consilium opera-

tur misericordiam, est enim consilij, utilia operari ad finem. Intellectus operatur puritatem cordis, quia ad vidēdum Deum phantasmata debēt abesse. Sapiētia operatur pacem, quia pax est tranquillitas cordis, effectus sapientiæ. *Christus beatitudines omnes suo firmavit exemplo*, inquit Origenes in Luc. 19. Discurram per singulas, ad eas me adaptando, ut dignè *Pignus felicitatis* sanctissimam Evchariſtiam recipiam: ita nominat eam Concilium Trident. sess. 13. cap. 2.

## MEDITATIO CCCCVIII.

## Die Fidelium defunctorum.

### *De modo evadendi Purgatorium.*

ASpiciam animas flammis Purgatorij detentas. Petam modum eas evadendi.

*Cons.* 1. Causas, ob quas Purgatorium subimus, revelatas à Domino S. Mechtildi 1. Quòd non fuerimus cœlum Dei. 2. Quòd eum non sanctificaverimus. 3. Quòd ad eum venire non appetiverimus. 4. Quòd ejus voluntati nos non conformaverimus. 5. Quòd ad sacratissimam Evchariſtiam nō devotè accesserimus. 6. Quòd offensi non ignoverimus ex corde 7. Quòd mundiciem carnis & cordis non servaverimus. Remedia contra has 7. culpas esse orationem Dominicam sic orandam, ut virtutes his

his vitijs contrariæ per manus Christi Domini Deo Patri offerantur: Per cujus merita culpis pœna dimittatur debita.

*Conf* 2. Octo alias causas, ob quas ineffabiles in Purgatorio animæ patiuntur pœnas. 1. Eorum, qui tantùm peccata mortalia caverunt, reliqua omnia admiserunt liberè, propter oblectamenta sua. 2. Eorum, qui Spiritûs Dei ductum sequi inceperunt, sed non continuarunt, unde tentationibus succubuerunt. 3. Qui Spiritum Dei quoad exteriora secuti, non autem quoad interiora. 4. Eorum, qui in solatio boni, in desolatione defecerunt. 5. Eorum, qui renunciârunt solatijs, sed non spiritualibus, inordinatè his adhærendo. 6. Qui renunciârunt solatijs spiritualibus, sed non omnibus eadem de causa. 7. Qui renunciârunt spiritualibus solatijs omnibus, sed Deum propter se ipsos quæsiverunt. 8. Qui Deum non quæsiverunt propter seipsos, sed id non in omnibus: quia ex occulto amore proprio non fuerunt æquè parati carere donis Dei, atque habere; quin imò inordinato affectu ausi majora petere, nec virtuti, nec saluti necessaria. Omnia hæc sunt origines lapsuum gravissimorum, & in Purgatorio expiantur, ut revelavit Dominus Susoni In libello 9. rupium. Nam inordinatus terrenorum, & cælestium propter se,

non propter Deum amor, idem est vitium in diversa materia. Remedium evitandi has Purgatorij causas dedit Dominus B. Magdal. de Pazzis, ut pura intẽtione operetur omnia.

## MEDITATIO CCCCIX.

### De S. Martino.

### *De Libertate Spiritûs.*

VIdebo S. Martinum paratum non mori pro bono suorum. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Quærere sanctitatem propter servitutem Dei est bonum, sed resignare se in manus Dei multò meliùs; quæ res Deo tam est grata, ac si emplastra Passionis tempore Christo fuissent apposita: ita ipse Dominus apud S. Gertrudem lib. 3. cap. 64. Hæc resignatio est dulcedo aurium ejus, amœnitas oculorum, honor humanitatis, delectatio divinitatis.

*Cons.* 2. Resignatio sui sita est. 1. In eo, ut nulli rei inhæreatur, quam Deus aversatur. 2. Expedire se ab omni eo, unde impediatur Deus, adeóque nil retinere, quo quis non indiget, sed illud dare non amiciori, sed magis indigo. 3. Conari agnoscere beneplacitum Dei, & continuo perficere; uti sensus mox agunt, quod vult animus. 4. Accipere de manu Dei & prospera, eáque referre in solam gloriam Dei, nihil sibi retinendo.

do. 5. Et adversa, *sive vitam arumnosam, sic* enim servitur Deo propriis imperfis, augetúrque consolatio divina: *sive vitam infirmam*, quia sponsa magis placet in conclavi sponso, quàm in publico, & anima ægrotans, quàm studio bonorum operum exercitata: *sive mortem*, cujus molestiæ excutiuntur ab animo, si eam ex Dei providentia sic ordinante cogitet accidisse, *sive* (quod sapienter intelligendum) *damnationem*, quod alij forent, qui laudarent Deum. ibid. l 3. c. 12.

*Cons* 3. Cùm resignatio sui medium sit ad summam perfectionem, & ad recipienda semper nobiliora dona Dei, atque ad evadendam omnem labem, totum me resignabo in Dei beneplacitum: quia, ut non noeuerunt S. Martino, nec gentiles eum sub arbore cadente, ut obrueretur, collocando, nec dæmon apparendo eidem, sic nulla tentatio nocebit voluntati bene roboratæ in resignatione sui ad manus Dei. Ad quam à me abstractionem juvabor sumptione sanctissimæ Eychariftiæ, quia *Christus immolatus est, & Sanguine suo nos asperfit, ut nascantur in nobis alæ ad volandum, sine ullo impedimento in aërem divinum.* Ita sanctus Macharius Homil. 87.

## MEDITATIO CCCCX.

### Die Præsentationis B. Virginis.

## De Consecratione sui DEO in Templum.

VIdebo trimulam Virginem Parentum religione, suâque devotione in Templo Domini, in Templum consecratam. Petam eam imitari.

*Cons.* 1. B. Virg. Templum DEI pulcherrimum, altare cordis omni sanctâ cogitatione, & desiderio divino exornatum, portas & claustra sensuum omni custodiâ custodita; nihilominus adhuc magis sanctificanda, quod ipsa futura esset Templum, Altare, Tabernaculum Altissimi.

*Cons.* 2. Quomodo summus Sacerdos, Spiritus sanctus, ad eam consecrandam descenderit; intellectum lumine Fidei & Sapientiæ, omníque virtute intellectuali ad Deum contemplandum pluribus oculis, quàm illa Prophetæ animalia, accenderit, inunxerit voluntatem dono sanctæ devotionis, omníque virtute morali.

*Cons.* 3. Colligendo me intra me, videbo & lugebo stragem, quam in me peccatum fecit, quia Altare cordis inanibus cogitationibus, & vanis desiderijs prophanavit, portas & claustra disciplinæ excussit, malas herbas inordinatorum desideriorum, & affectuum germinare fecit. Orabo Dominum, ut Templum suum emundet, ac sordes re-

dire

dire non permittat, ut Sacrificium & Hostiam immolem, in susceptione sacratissimæ Evchariſtiæ, de qua ait Gloſſa in Cap. 16. Exod. *Corpus Christi ſicut pruina, refrigerat ardorem peccatorum.*

## MEDITATIO CCCCXI.

### Die S. Catharinæ.

### *De Studio Dilectionis.*

VIdebo S. Catharinam visibiliter in sponsam à Christo desponsatam. Petam esse de Virginibus, quæ Prudentes habuerunt oleum charitatis, legémque igneam in manibus suis.

*Conſ.* 1. *Qui non vult habere charitatem, ei omni parte Hierusalem portæ ei clausæ inveniri*, inquit D. Cæsarius Hom. 11. Et hæc est causa, cur quinque fatuis dicatur: *Amen, nescio vos.*

*Conſ.* 2. Quàm multi sint in fatuorum numero, quòd vel in uno offenderint, ánne putem omnes inferos, omnia admisisse peccata? omnia mandata transgressos? omnes conculcasse virtutes? Unius Præcepti transgressio, unius virtutis neglectus, divisit inter eos & Deum. *Perire necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita ut ardeat*, ait S. Bernard. serm. 2. de S. Michaële.

*Conf* 3. Si non esset decreta tanta non amantibus pœna: tamen adhuc nullum nobis quærendum esset amoris objectum præter Deum, in quo quidquid desiderabile, reperiri integrè potest. Quòd si ab illo discessero, inania, falsa, & fucata sunt omnia, larvæque deformes & odibiles; Quia verò non diligentibus Deum adjecta insuper est pœna, ut loquitur D Augustl.lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Nisi tantum impertiat cuique Spiritus sanctus, ut eum DEI & proximi faciat amatorem, à sinistra nō transfertur ad dextram:* quomodo aliud agere, loqui vel cogitare potero, nisi amorem? Amo te, ó supremum Bonum amore *complacentiæ*, quâ te traho in cor meū, sicut Sol recipitur à speculo, quantum illud est ejus capax. *Amo amore benevolentiæ*, quâ si per impossibile tibi aliquid deesset, vellem non deesse, multò magis volo tibi omnem, quem potero, gustum dare *Amore amicitiæ*, quâ mei odio, tui amore agam, quidquid egero. *Amore obedientiæ*, quâ opto voluntatem tuam esse regulam omnis actûs mei. *Accelerandæ consumationi in unum*, quâ citius eo veniam, ubi te amem ex toto corde, mente, anima, viribus, virtute, spiritu, præsertim in Eucharistia, ubi hæc est Virginum specialis prærogativa. Quia in communione omnibus dat Dominus osculum, Virginibus

post

post osculum oris infigit osculum pectoris. Ita divæ Gertrudi Dominus lib. 3. cap. 17.

## Meditatio CCCCXII.

### Die S. Andreæ.

### *De tribus clavis, seu triplici causa crucem ferendi.*

Videbo D. Andream viriliter in cruce gaudio gestientem. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Verba S. Andreæ in cruce pendentis, & disquiram: homo est, qui loquitur hoc, an non est homo, sed Angelus, aut nova aliqua creatura? homo planè similis nobis passibilis, nam passibilem esse passio ipsa testatur. Quâ vicinâ lætabundus exultabat unde, an à te? abfit; Spiritus erat, qui adjuvabat infirmitatem, per quem diffunditur in corde charitas, morte quavis fortior, quavis ejus amaritudine dulcior, quacunque ejus longinquitate præstantior. *Spiritus, si adesset, adjuvaret infirmitatem nostram*, ait S. Bernard. serm. de S. Andr. Optabo hunc Spiritum toto corde.

*Cons.* 2. Quomodo hic Spiritus triplici ratione impellat ad crucem. 1. Egóne, ut me amem, hostem Dei? 2. Egóne, ut aliam sortem quæram? 3. Egóne, ut non amem bonitatem infinitam? Non est explicabilis vis incitamentorum his verbis inclusorum.

ad triplicem viam purgativam, illuminativam, unitivam spectantium. Quia nunquam tantam crucem perferam, quantum debeo habere odium propter leviſſimum lapſum, qui meretur odium, quo Deus illum odit, & quando ego aſcendam ad tale odiũ? Nunquam tantam perferam crucem, quantam tulit Dominus JESVS, quia nunquam elevabor ad talem perſonam, nec unquam in me ſolvetur poteſtas illa tenebrarum, quæ fuit ſoluta in Chriſtum. Nunquam tantum diligam Deum, quantum ſatis eſt, ut Bono infinito, Domino infinito, Benefactori infinito, ego creatura undequaque defectibilis ſatisfaciam.

*Conſ.* 3. Verba ſancti Ambroſij ſerm. 20. in Pſal. 118. *Quanti quotidie in occultis Martyres Chriſti ſunt*, Modus à S. Agnete datur apud S. Brigittam. *Martyrij genus eſt delitias habere, & delitijs non uti.* Non deeſt nobis Martyrium, modo nos non deſimus martyrio. Ipſa communio crucis eſt ferax, ubi ſæpe ſubtrahitur gratia devotionis, ut virtus habeat ſuum exercitium, nec curandum, quòd non ſtatim ſentiatur affectus: nec enim ſentitur ſtatim medicinæ effectus. Petam intelligere axioma ſancti Gregorij Nazianzeni

Orat. 3. *Mihi cunctis rebus emendus eſt* DEVS *&* CRUX.

DE-

# DECEMBER.

## MEDITATIO CCCCXIII.

## De S. Xaverio.

ASpiciam genuinum sancti Ignatij filium igneum, spiritu ejus plenum, suis unicè suadentem victoriam sui, hoc inquiens tantum didici ex optimo parente nostro: si hoc fiat, sufficit. Petam eum imitari.

*Cons.* 1. Victoriam sui in sancto Xaverio respiciam *fructum amoris proprij*, id est, peccatorum, quia (ut refert P. Bartolus in Asia sua, fol. 432.) à Nativitate sua, nec corpus, nec animam ulla fœditate unquam contaminavit. Confessarij autem ejus fassi sunt, quòd in nulla specie lubrica unquam labis venialis deliberatæ, eum damnare potuerint. Qui etiam dormiens occurrenti speciei malæ usque ad venarum pectoris læsionem & sanguinem se opposuit. Cúmque adhuc Juvenis in viridi ætate persona pulcher, vultu amabilis, & sanguineus esset, qui humor in eo prædominabatur, nobilitate illustris, juríque sui, nunquam adduci potuit, ut se alicui malè olenti crederet amicitiæ.

*Cons.* 2. Victoriam sui in S. Xaverio respectu *ramorum amoris proprij*. seu passionum, quarum habuit ingens dominium, ex heroicis suis victorijs, dum pus Elephantiaci ore

terfit, dum leprosum & crustis morbidis cooperтum lavit, & postmodum aquam illam ore bibit, factáque oratione sanitati eundem leprosum restituit, subinde totâ septimanâ à Dominica Palmarum ad Sabbatum sanctum nihil bibit, nihil comedit Denique nemo devotissimè usque ad extremum spiritum omnia incommoda suffert, qui passiones suas non domuerit. Atqui de sancto Xaverio in Bulla Canon. refertur: *Contractis ob assiduos labores morbis gravissimis, sæpius naufragium passus est, æstûs, frigoris, nuditatis, vigiliarum, sitis, famis incommoda devotissimè sustinuit.*

*Cons.* 3. Quomodo per amorem Dei, & proximi radicem amoris proprij extirpaverit. Quia à Deo quidem solatiorum satis accepit, sed pro Deo & proximo agere, atque pati nunquam satis potuit, quæ sine fine *amplius* expetebat. Et hæc est differentia Naturæ, artis, & virtutis perfectæ. Illa duo sunt definita: quia animal non omni tempore sibi simile gignit: nec Pictor quavis ætate excellit, tremunt manus, hebescunt oculi, sed virtus, morúmque perfectio immensa est, gradus infiniti, vita tota, quamvis ad finem usque mundi producta, augeri potest Cujus metam nec ipse quidem Paulus attigisse se fatetur. Ad Philipp. 3. Quid ergo ipse

ipsi de nobis statuere debemus, qui tanto intervallo distamus ab Apostoli & Xaverij perfectione, qui postquam Chinas conversurus erat, per septentrionem redire voluit in Europam, & inibi Tartariam, teráque redux Africam, atque ita totum, quâ latè patet, orbem uni Deo subijcere. Orabo corã Venerabili orationem S. Francisci Xaverij.

Neque ad amandum te Domine, movet cor meum illud cœlum, oblatum in præmium bene te amanti, neque ille adeo communis me movet horror, quod, qui te non amat, ei infernus sit apertus. Tu moves, ô mi Deus! mi Redemptor! quem in hac cruce video suffixum, movet me corpus adeò dilaceratum; movent clavi, sanguis, dolores; movent opprobria tua, & mors, quam pro me reo perpessus es. His me moves DEVS meus ad tam sincerum amorem, qui integer durabit, etsi præmium cœli, & exilium inferni deficerent ex toto. Nil mihi dando habere potes amorem meum, quia nil sperando te amo, & amabo, quia es Deus meus.

## MEDITATIO CCCCXIV.

## De Immaculata Conceptione.

### *De adhærentia B. V. Deo.*

ASpiciam B. Virginem sine umbra labis totam lucidam, amictam sole gratiæ. Petã partem aliquam ejus gratiæ, *Cons.*

*Conſ.* 1. Homo, ut ſimilis ſit Deo in vita, debet juxta regulam rationis vivere, non verò ſensûs, qui moribus Dei contrarius eſt: & quia opera Dei perfecta ſunt, data eſt vis & virtus homini, quâ ſemper vivere poſſet juxta rationem. Hac virtute ſpoliati ſumus per labem originalem, ita, ut quod beſtijs eſt naturale, hoc nobis ſit ex pœna. Et in hanc maculam, ut permittat Deus labi ſuam Matrem futuram? abſit, quin potiùs gratulabor Divæ tam raram gratiam.

*Conſ.* 2. Immaculatam Virginem visâ hinc omni creaturâ, inde Creatore, tergo creaturis obverſo, adhæſiſſe Creatori ſuper omnem altitudinem proſperitatis, ſuper omne profundum miſeriæ, ſuper omnem vim corporalem & ſpiritualem creatam, dixiſséq; illud Pſ. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Hoc totum bonum eſt, vultis amplius? dolce volentes!* inquit D. Auguſtin. in Pſal. 72.

*Conſ.* 3. Et dolebo commune malum perditæ gratiæ, & juris ad cœlum; gratias agam de remedio: petam per merita Chriſti & Immaculatæ Virginis preces, levari maculam ab univerſis, qui concipiuntur. Petam & me amplius emundari, dicendo: Væ cæcitati, quâ te non agnovi: væ tempori, quo te non amavi. Deinceps mihi adhærere Deo bonum eſt. Quid mihi eſt in cœlo, &c.

Hunc

Hunc affectum adhærentiæ frequentabo singulis Communionibus.

## Meditatio CCCCXV.

## De S. Thoma.

### *Quid obsit, quidve prosit fructui Communionis.*

Aspiciam D. Thomam conversum ad pedes Christi, humillimè Dominum confitentem. Petam ejus fervorem imitari.

*Cons.* 1. Tria fuerunt in Thoma converso, humilis proprij lapsûs recognitio, devota intentio, fidelis confidentia manifestata per adorationem vulnerum Christi. Conabor agnoscere præstantiam horum vulnerum, expendendo, quòd ea sint, Abyssi perfectionum divinarum, Altaria virtutum, Anchoræ Spei, Aquæ fragrantes, dulces & amaræ, Alvearia, Balnea, Canales, Civitas refugij, Emporia, Favus cum melle, Fenestræ templi, Flores, Fodinæ, Fontes, Foramina petræ, Fornax accensa, Foveæ nivis, Gloria patientium, Hortuli, Hospitia, Incentiva martyrij, Lavacra, Lectuli, Libri, Linguæ, Lux patens & abdita, Magnes cordiũ, Mamilla divina, Mare rubrum, Medicinæ, Mors culpæ & pœnæ sensuum & concupiscentiæ, Myrrha cum aromatibus, Naves onerariæ, Nidus divini amoris, Nubes fœcundæ, Oblatio sacrificij

crificij & hostiæ, Officinæ sanctitatis, Oleum balsami & unctionis Spiritûs sancti, Opus nostræ redemptionis, Ora, Paradisus & Patria, Rosæ, Retia, Scholæ, Signacula, Solitudines, Spiracula amoris, Spongię peccatorũ, Vasa auri, Vivaria, Vineæ, Vinum cum lacte, Umbracula, Vita spiritûs, Zelus amoris.

*Conf.* 2. His tribus virtutibus munitum hominem triplices effectus ex frequentatione sacratissimæ Evchariſtiæ consequi. Ex humili proprioꝝ defectuum agnitione redditur anima sole, nivéque mundior. Ex devota intentione adaptatur anima ad dona spiritualia, sicut cera calore solis liquata ad sigillum recipiendum. Ex fideli confidentia fit anima capax virtutum, ut terra florum accedente sole. Sicut autem, qui bis Consul fuit, majori est in honore altero, sic, qui frequentiùs communicat, verùm non ex usu, sed debita præparatione, & gratiarum actione.

*Conf.* 3. Impediunt fructum Communionis 1 labes omnis, quæ, si per contritionem deleatur, supplet omnes defectus una Communio. 2. Os non custoditum pretiosissimum Christi mysteriorum receptaculũ, agit enim cum Christo talis, ut qui hospitem lapidibus obrueret in vestibulo, vel veste duro caput benignissimum, mansuetissimum

tissimum & humanissimum obtunderet. Ita Dominus D. Brigittæ lib. 3. cap. 18. Continentes autem se ab inutili verbo & facto, triplex donum accipiunt. Ibid. lib. 30. 1. delectaberis in Domino. 2. Sustollam te super altitudinem terræ, ne prævaleant nocivæ cogitationes. 3 In altera vita Filius Dei præ cæteris se communicabit fructu conversationis suæ. Petam triplicem S. Apostoli Thomæ virtutem initio consideratam, triplicémque effectum Communionis, fervorem, fruitionem, & liquefactionem, ex divinitate sumpta eo modo, quo aurum conflatur cum argento; ideóque conabor veste violaceâ humilitatis, viridi spei, aureâ caritatis ornatus accedere ad mẽsam Domini: ruminando verba illa: Dominus meus, & Deus meus.

## *Ex his Meditationibus pro Octiduana Recollectione* Incipientes *desumere possunt* pro

1. Die. De Appetitione Finis ultimi, Medit. 189. De Fine Christianę Perfectionis Medit. 1. De Causa, cur ab hoc fine aberretur. Medit. 2. De indifferentia. Medit. 5. Pro Reformatione Meditationis legendum Proloquium.

2. Die. De Malitia peccati mortalis. Medit. 190. De fœditate peccati. De abyssali confu-

confusione peccatoris. Ibidem. De Minis mortis. Medit. 337. Legenda erit Meditatio de Exstinctione Vitiorum. 203. De Gulæ vitio, ibidem. Et de Causis peccatorum mortalium. Medit. 195.

3. Die. De Minis Judicij. Medit. 338, De Minis Inferni. De pœnarum æternitate. De causis tam horribilium minarum. ibidē legenda erit Med, 205. De Vitio Luxuriæ.

4. Die. De Spe Veniæ data Viatori. Medit. 193. De proposito non peccandi,& satisfaciendi. De causis lapsuum cavendis, Ibidem. De inevitabili necessitate Mortificationis. Medit. 218. Legenda erit Meditatio 206. de Vitio Avaritiæ.

5. Die. De Renunciatione sathanæ,adhæsione Christo. 117. De optimo vitia superandi modo. 243. De Causis Incarnationis. 343. De Nativitate Domini Nostri. 371. Legenda erit Medit. 207. De Vitio iræ.

6. Die. De Præceptis Christi audiendis & explendis. Meditat. 21. Deus Incarnatus. Exemplum Obedientiæ, 14. usque ad 20. De Architecto Sapiente & Stulto. 34. De Passione Domini. 56. Legenda erit Medit. 208. De Vitio Invidiæ.

7. Die. De resignanda voluntate nostra Deo. Medit. 86. De primis 4. Verbis Christi in Cruce. 115. De reliquis Christi Verbis

in

in Cruce. 116. Passio nostra collata Passioni Christi nil est 117. Legenda Medit. 210. de Acedia.

8. Die De Resurrectione Domini Nostri. 119. De Gloria Beatorum in anima. 147. usque ad 154. De Gloria Beatorum in corpore. 140. usque ad 146. De Amore Dei Incipientium. 165. Legenda erit Med. 211. De Vitio inanis Gloriæ, & Vitio Superbiæ. ibid.

## Proficientibus *apta erunt Meditationes sequentes.*

1. Die De Cavendo errore in negotio salutis. Med. 9. De Causa cur aberremus à fine Med 13. De secreta praxi assecurandæ salutis. Med. 3. De quærendo ubique gustu Dei. Med. 30. Relegendum erit Proloquium ad reformandā Orationem mentalē,

2. Die. Qui censeantur esse in Via Purgativa, qui in Illuminativa. 238. De peccatis venialibus fugiendis. 196. usque ad 202. De peccatorum venialium causis. 159, & 202. De Purgatorio. 408. Legenda erit Med. 370. de signis Profectûs, vel de Circumspectione. Discretione. Docilitate. Prudentia. Pœnitentia. Studiositate. Taciturnitate. Timore, quomodo in his profecerim. Invenientur hæ virtutes ordine Alphabeti positæ inter Med. de Virtutibus, ut in Indice appareat initio posito.

3. Die

3. Die. De minis desolationis spiritualis, 336. De Mortificatione interna. 219. usque ad 227. De Mortificatione externa. 228 usq; ad 237. De Differentia præceptorum Evangelij à lege veteri 222. Legenda Med. de signis profectûs in abstinentia. Castitate. Maceratione, Modestia. Pudicitia. Puritate cordis. Sobrietate. Temperantia. Virginitate.

4. Die. De Triplici Virtutum genere in Christo D. Med. 11 & de Sanctitate D. JESV. à Med 357. usque ad 363. Dominus IESVS præest regno virtutum. 245. De Remedijs contra obices virtutum. 247. De Instrumentis virtutum. 246. Legendæ Med. de Signis profectûs in mansuetudine. Pietate. Religione. Securitate, Siplicitate, Solicitudine. Spe.

5. Die. De Tentationum necessitate 42. & 239. usque ad 241. De Cautelis in tentationibus. 213 & 214 De varietate Tentationũ à 35. usque ad 55. De Signis eversæ Tyrannidis vitiorum 248. Legendæ Med. de Signis profectûs in Fortitudine. Magnanimitate. Fide. Fiducia.

6. Die. De Actis Christi in horto. 78. &c. De Actis Christi apud Magistratum Ecclesiasticum 98. &c. De Actis Christi apud Magistratum Politicum. 105 &c. De Actis D. Iesu in Calvatio. 112. &c. De Compassione B. V. vide Sabb. 40. Legendæ Medit: de Signis profe-

profectûs in Humilitate. Obedientia. Observantia. Patientia. Pace. Veracitate.

7. Die. Spes Resurrectionis minuit sensum Passionis. 74. De Promissis Evangelicis. 127. usq; ad 137. De bonis Beatorum in altera Vita. 133. usq; ad 139. Non datur in hac vita frui Deo, quantò minùs Creaturis. 120. Legendæ Med. de Signis profectûs Beneficentiæ. Clementiæ. Commiserationis. Gratitudinis. Iustitiæ. Liberalitatis. Pauperiatis.

8. Die, de Indicijs adepti regni virtutum. 149. De alijs Indicijs. ibid. Habitandum in Vulneribus Christi 121. De Amore Dei Proficientium. 166. Legendæ Meditat. de Constantia. Perseverantia. Zelo. Et Communione digne frequentanda. 28. & 188.

## Magis aspirantibus ad Perfectionem

*apta erunt Meditationes sequentes.*

1. Die. Vt agnoscamus finem nostrum ex toto, considerandus Deus, quòd sit *primum principium*. Med. 332. puncto 9. Quod sit *à se*. 326 p. 1. *Aeternus* ibid. p 10. *Vnus* 353. p. 8. *Beatus*. 327. p. 1. *Spiritus* 334. p. 5. *Vita*. 335. p. 6. *Creator*. 327. p. 10. *Conservator*. ibid. puncto 7. *Præsens*. 332. p. 8. *Vocans*. 335 p. 9. *Providens* 333. p. 11. *Finis*. 328. p. 10. Legendus §. 9. Proloquij de Applicatione sensuum ad Meditandum. & §. 12. De impulsibus extraordinarijs in Med. & qui

ad

ad Viam Vnitivam admittantur. Med. 322.

2. Die. Vt Timor Dei Sanctus omnes alios Pellat ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Rectus*. Medit. 333. p. 5. quòd sit *Odiens malũ*. 331. p. 7 quòd *bene omnia fecit*. 327 p. 3. quòd sit *Iustus* 330. p. 6. *Iudex*. ibid. p. 4 *Zelans*. 335. p. 10. *Vltor*. ibid. p. 7. *Terribilis*. ibid. p. 1. *Immutabilis*. 330. p. 2. Legenda Medit. de Contemplatione 325. & 400.

3. Die. Vt ad Spem veniæ ascendamus ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Spes* 334. p. 1. *Pater noster*. 331. p. 10 & 332. p. 1. *Pater futuri seculi*. Quòd sit *Patiens*. ibid. p. 2. *Longanimis*. 330. p. 10 *Misericors*. 331. p. 5. *Pius*. 332. p. 4. *Susceptor*. 330. p. 7 *Adjutor*. 326. p. 2. *Clemens*. 372. p. 6. *Iustificans*. 330. p. 5. *Protector*. 332 p. 10 *Fidelis*. 328. p. 9. *Custos* 328. p. 1. *Consolator*. 327 p. 9. *Redemptor* 333. p. 6. *Salus* ibid. p. 9. Legendæ Tentationes Perfectorum, à Medit. 40. usque ad 55.

4. Die. Vt Spiritui Dei obediamus ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Gubernator*. 329. p. 5. *Revelans profunda*. 333. p. 7. *Discretor Spirituum*. 328. p. 3. *Veritas*. 335. p. 3. *Sapiens*. 334. p. 2. *Predestinator*. 332. p. 7. *Legislator*. 330 p. 7. *Consiliarius*. 327. p. 8. *Perseverantiæ Dator*. 332. p. 6. *Artifex*. 326 p. 9. *Firmamentum*. 329. p. 1. *Fortitudo*. ibid. p. 2. *Suscitator*. 334. p. 9. Legendæ

Medit.

Medit. de discretione Spirituum à 168. usque ad 174.

5. Die. Ut mores Dei imitemur ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Virgo*. 335. p. 4. *Immortalis*. 330. p. 1. *Liber*, ibid. p. 9. *Operans*. 331. p 9. *Virtus*. 335. p. 5. *Sanctus* 333. p. 10. *Perfectissimus*. 332. p. 5. Legenda Medit. de Bono dilectionis & devotionis. 393.

6. Die. Ad renunciandum possessionibus ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Benignus*. 327. p. 4. *Beneficus*. ibid. p. 2. *Liberalis*. 330. p 8. *Donum*. 328. p. 6. *Dives*. ibid. p. 6. *Satians*. 334. p. 1. *Merces*. 331. p. 4. *Spiritus sanctus*. 334. p. 6. *Simplicissimus*. Ibid. p. 4. *Admirabilis*. 326. p 3. *Ineffabilis*. 329 p. 8. Legenda Meditat. de Contemptu seculi. 266. & 379.

7. Die. Ad renunciandum Carni ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Bonus* 327 p. 5. *Pulcher*. 333. p. 2. *Purus*. ibid. p. 3. *Lux*. 331 p. 1. *Quies*. 333. p 4. *Pax*. 332. p. 3. *Amabilis*. 326. p. 6 *Amans*. ibid. p. 7. *Amor*. ibid. p. 8. *Suavis*. 334. p. 8. *Affabilis*. 326. p. 4. *Desiderabilis*. 328. p. 2. *Dulcedo*. ibid. p. 7. *Incomprehensibilis*. 329. p. 7. Legenda Medit. de plenitudine odij sui. 396.

8. Die. Ad renunciandum Superbiæ ex toto considerandus Deus, quòd sit *Nobilis*. 333. p. 6. *Dominus*. 328. p. 3. *Magnificus*. 331.

p. 2. *Excellentissimus.* 328. p. 8. *Rex* 333.
p. 8. *Majestas.* 33 . p 3. *Omnipotens* ibid.
p. 8. *Altissimus* 326 p. 5. *Glorificator.* 329.
p. 4. *Gloria.* ibid. p. 3. *Incomparabilis.* ibid.
p. 6. *Invisibilis* 330. p. 3 *Sanctissima Trinitas.*
334. p 1. DEVS *Infinitus* 329. p 9. *Immensus.*
ibid p. 10. *Totum.* 335. p 2. Legenda Medit.
de amore DEI Perfectorum. 267. Plures de
Amore DEI à 252. usque ad 256. & à 287.
usque ad 293.

*Pro triduana recollectione.*

DIE 1. De facili ad summam sanctitatem
via: Meditat. 384.
De eadem via. 387.
De exemplo euntis per hanc viam. 398.
De constantia in bene cœptis. 402.
Legenda Medit. 378. de beneficijs collatis Ecclesiæ.
Die 2. De exuendis imperfectionibus Meditat. 264.
De operationibus ad exemplum Christi perficiendis. 365.
De mundi vanitate fugienda. 406.
De tribus actionibus hominis DEO sacris. 405.
Legenda Medit. 379. de beneficijs collatis Religioso.
Die 3. De Sanctitate Animæ Christi. 375.
De Sanctitate appetitûs Christi. 361.

De

De Sanctitate Carnis Christi. 362.
De Sanctissimo usu libertatis Christi. 363.
Legenda Medit. 381. de holocaustomate offerendo DEO.

*Alia Materia.*

Die 1. De perfectionis possibilitate. Med. 7.
De motivo ad eam maximo. 8.
De modo agnoscendi, quòd utar hoc motivo 9.
De septē excitatorijs ad perfectionem. 10.
Legenda Medit. 410. de consecratione sui DEO in templum.
Die 2. De ordinanda potentia concupiscibili. Meditat. 23.
De ordinanda potentia irascibili. 24.
De ordinanda potentia rationali circa gloriam. 25.
De ordinanda potentia rationali circa juramenta. 26.
Legenda Med. 409. de libertate spiritūs.
Die 3: Vita Religiosa Martyriū. Med. 376.
De paupertate. 298.
De triplici præsidio servādæ puritatis. 373.
De Obedientia. 294.
Legenda Medit. 412. de tribus causis ferendæ crucis.

*Omnia ad majorem DEI Gloriam.*

# Errata sic emendanda:

Pag. 45. Lin, 10, omne, Lege, omnem. Pag. 81. lin. 4. à fine, nostris, lege, nostri. Pag. 130. lin. 3. sentire, lege, sentiret Pag. 145. lin. 15. animi, leg. amici. Pag. 146. lin. 2. à fine, operationi, leg. ordinationi. Pag. 150. lin. 12. Iuda, leg. Iudæ Pag. 151. lin. 3. à fine, repugnet, lege recedat. Pag. 158 lin. 5. à fine, nostra, lege, vestra. Pag. 159. lin. 2. à fine, Annam. lege, ad Annam, Pag. 172. lin. 12. displiceat, leg. displiceant. Pag. 196. lin. 1, morem, l amorem. Pag. 206. lin. 10. à fine imitabilem, lege, inimitabilem. Pag. 213, lin. 11. judicatum, lege adjudicatum. Pag. 218, lin. 11. à fine, visio, lege, viso. Pag. 244. lin. 11. quod, lege, quin. Pag. 270, lin. 1, exornandus, lege, exorandus. Pag. 307. lin. 14. voluntati, lege, voluptati. Pag. 327. lin. 8. satiabile, lege, insatiabile. Pag 331. lin. 11. esse, lege, sese. Pag. 334. lin. 13, reverri. lege. revereri Pag. 344. lin. 3. timidus, lege tumidus. Pag. 351. lin. 8. alia, leg. alia re. Pag. 395. lin, 6, executione, lege, executioni, Pag. 360. lin 8. dissipata, lege, dissipate. Pag. 570. lin. 5. eos. lege, os. Pag. 375. lin. 14 quâ, lege. quæ. Pag. 395. lin. 12. à fine meæ, lege, mei. Pag. 418. lin. 11. in fine, idem lege ijdem. Pag. 421. lin. 14. genere, lege ingerere, Pag. 424. lin. 6. à fine, perfuse, lege, perfusa. Pag. 432. lin. 2. à fine, purgatâ. lege, purgatis. Pag. 434. lin. 7. invocabo, lege. invoca Pag. 435. lin. 2. extinguatur. lege extinguantur. Pag. 436. lin. 2. oppositum, l. oppositæ. Pag. 437. lin. 4, à fine, Deo, lege, Dei Pag. 450. lin. 5. dilectionem, lege, dilectione. Pag. ead. lin. 13. amabiles, lege amabilis. Pag. 457. lin. 7. animo, lege, anima. Pag. 462. lin. 13. præposita, lege, proposita. Pag. 467. lin. ult, tererent, lege. tenerent. Pag. 469. lin. 14. passinem, lege. passionem.
Pag. 479. lin. 4. à fine, optabatur, lege, operabatur. Pag. 480. lin. 3. et, lege, ad. Pag. ead. lin. 4. operabantur, lege, operabatur. Pag. 392. lin. 13. homini, lege, hominis, Pag. ead. lin. 13. referenti, lege, referentis. Pag. 549. lin. ult. clamasse, lege, legitur clamâsse. Pag. 592. lin. 13. à fine, hominum, lege, hominem. Pag 599. lin. 1. ipse, lege, ipsi. Pag. 615. lin. 7. à fine, operi, lege, operam. Pag. 641. lin. 6. à fine simplice, leg. simplices. Pag. 664. lin. 9. à fine, particeps, lege, participes.
Pag. 679. lin, 12. voluerunt lege, noluerunt. Pag. 687. lin. 10. Ascendisse se, omitte, se. Pag. 696. lin. 6. à fine, remedij, lege, remedijs. Pag. 706. lin. 9. ulnas tuas, lege. ulnis tuis. Pag 708. lin. 6. &, lege, at. Pag: 717. lin. 9. à fine, ament, lege, amant.

Th
4466

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN